
NOV: ANGL: 1630: SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB:
CHRISTO ET ECCLESIÆ
From the
Library Fund
Subscribed in 1842
Recd June 14,
1844

ISAGOGE

HISTORICO-CRITICA

IN

LIBROS NOVI FOEDERIS SACROS

SCRIPSIT

D. HENRIC. AUGUSTUS SCHOTT


THEOL. PROFESSOR ORDIN. IN ACADEMIA IENENSI.

CUM II MAPPIS GEOGRAPHICIS

IENAE

SUMTIBUS C. H. WALZII, BIBLIOP. ACAD.

MDCCCXXX.


HARVARD COLLEGE
14 June 1844
LIBRARY

VIRIS

SUMME VENERANDIS, CLARISSIMIS, AMPLISSIMIS DOCTISSIMIS

DE STUDIIS LITTERARUM THEOLOGICARUM ET ECCLESIA CHRISTIANA DOCENDO AC SCRIBENDO MERITISSIMIS

COLLEGIS CONIUNCTISSIMIS

IOANNI TRAUGOTT LEBERECHT DANZ

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, SERENISSIMI MAGNI DUCIS SAXONIAE VIMARIENSIS ET ISENACENSIS A CONSILIIS CONSISTORII INTIMIS, THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI CATECHETICI DIRECTORI, SOCIETATUM LATINAE ET MINERALOGICAE QUAE IENAE FLORENT SODALI

L. FRID. OTT. BAUMGARTEN-CRUSIUS

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, SERENISSIMI MAGNI DUCIS SAXONIAE VIMAR. ET ISENAC. A CONSILIIS ECCLESIASTICIS INTIMIS, THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, SEMINARII THEOLOGICI DIRECTORI, SOCIETATIS IENENSIS MINERALOGICAE SODALI.

ANDREAE THEOPHILO HOFFMANN

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, SERENISSIMI MAGNI DUCIS SAXONIAE VIMARIENSIS ET ISENAC. A CONSILIIS ECCLESIASTICIS, THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,

IOANNI CAROLO EDUARDO SCHWARZ

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, THEOLOGIAE PROFESSORI ORDINARIO HONORARIO DIOECESEOS IENENSIS SUPERINTENDENTI ET AD AEDEM S. MICHAELIS PASTORI

HUIUS LIBRI DEDICATIONEM

OBSERVANTIAE ET AMICITIAE INTERIORIS TESSERAE INSERVIRE VOLUIT

AUCTOR.

Praefatio.

Quod per magnam annorum seriem animo volveram, ut librum ederem, cuius usum facere possem in lectionibus meis academicis isagogen historico-criticam in libros N. F. tradentibus, id quo minus citius perficerem, ipsa me inpedivit huius operis indoles atque natura. Permulta enim, immo plurima eorum, quae olim et de toto librorum divinorum N. F. codice, et de partibus singulis ita doceri ac disputari solebant, ut veluti in traditionem indubitatam abirent, ab uno scriptore ad alterum propagatam, recentius, post Semlerum, tot tamque diversis Theologorum et Philologorum curis denuo sunt examinata, tot novis doctrinae historiarum, antiquitatum, linguarum veterum luminibus collustrata, tantaque libertate secundum praecepta criseos certius constitutae indagata, aliis labefactantibus et evertentibus, aliis fundamento novo superstruentibus sententias hucusque probatas, ut ad hunc usque diem opinionum prodiret diversitas, quantam non memini (si libros veteris Testamenti exceperis) de alio scriptorum veterum genere unquam exstitisse. In eiusmodi sententiarum certamine, utramque

partem et eruditione ſubacta, et ingenii ſagacitate haud parum adiuvante, nonniſi lectio admodum aſſidua, meditatio diuturna multumque iterata, exercitatio uſu multiplici comparata efficere poteſt, ut de iis certe, quae potiora ſint harum quaeſtionum capita, ad perſuaſionem firmam ipſe pervenias. Magis arduum ac difficile, noſtra aetate ſcriptis ex ſcholarum umbraculis prodeuntibus hunc ingentem et praeſidiorum illi litterarum generi recte tractando inſervientium, et ſententiarum, quae argumentis diverſiſſimis defenduntur, apparatum coram lectoribus et ingenii cultu et perſuaſione hucusque probata admodum diverſis ita exhibere, ut neque gravius quicquam omittas, neque iis, quae levioris ſint momenti, iuſto operoſius atque diutius inhaereas, et nexum quaeſtionum ſingularum interiorem ſermone brevi quidem ſed perſpicuo patefacias. Arduum eſt, docendo et ſcribendo viam praeire aliis ineundam, qui facultatem ſibi comparare voluerint, de eiusmodi rebus recte iudicandi. Quas difficultates quum experiundo magis magisque cognoviſſem, diu cunctatus ſum librum emittere pridem meditatum atque praeparatum, ſermone latino (quo haec diſciplina theologica recentius a nemine tractata eſt) conſignandum, qui non tantum iuvenum ſcholas meas adeuntium commodis inſerviret, ſed etiam ab aliis utiliter adhiberetur, inter ſtudia privata iſago-

gen historico-criticam desiderantibus, iis operibus Virorum Doctissimorum notissimis breviorem, quae plura volumina complecterentur. Multumque abest, ut, quum nunc proposito meo satisfecerim, aeque mihi videar satisfecisse iis omnibus, quae iudices eruditi atque subtiles exspectaverint et postulaverint. Id unum liceat absque omni superbia profiteri, neque industriam defuisse nec veritatis amorem. Sedulo cognovi et examinavi, quae et olim Theologi insigniores, et nostrates harum rerum peritissimi aestumatores (Haenlein, Eichhorn, Bertholdt, Hug, De Wette), haud raro quidem tramites diversissimos ingressi, disputaverunt, haud neglectis, quae in scriptis minoribus, ephemeridibus, diariisque et promtuariis theologicis de variis quaestionibus ad isagogen historico-criticam spectantibus observata reperiuntur. Patres ecclesiae antiquioris graecos et latinos saepenumero consului, ubi testimonia suppeditabant, quae sententiis propositis vel illustrandis vel confirmandis inservirent. Libris ipsis N. F. iterum iterumque legendis, atque in scholis academicis per longam annorum seriem explicandis meum de his rebus iudicium conformavi, ne unquam ab aliena auctoritate penderem. Nihil antiquius putavi, quam, ut pro virili parte defenderem, quaecunque argumentis maxime exploratis commendari intellexissem, sive laudem haberent

antiquitatis, ſive ſententiae olim probatae contradicerent. Sedulo cavendum putavi, ne indubitata pronuntiarem, quorum demonſtrationi certae argumenta idonea vel interna vel externa etiamnum deeſſe ipſe viderem. Denique, ubi de quaeſtione controverſa coniecturam ſingularem propoſui, quod ſubinde factum eſt in iſagoge ſpeciali (in parte enim univerſali, praeſertim in hiſtoria textus N. F. critica enarranda, idem mihi accidit, quod Vener. de Wette in praefat. editionis I. iſag. in N. F. de libro ſuo profeſſus eſt, ut fere prorſus, cum delectu quidem, veſtigia premerem aliorum, qui admodum accurate et copioſius hiſtoriam illam expoſuiſſent), nolui meam qualemcunque ſententiam cuiquam obtrudere, ad probanda meliora magisque explorata, quae Cenſores eruditi et benevoli ſuppeditaverint, quovis tempore paratiſſimus. Quam veritatis ſtrenue indagandae ceterisque omnibus praeferendae regulam quo maiori fide ſectatus ſum, eo laetior ſpes adfulget, fore, ut, Deo Ter O. M. iuvante, in hoc ſtudiorum theologicorum genere promovendo non prorſus incaſſum elaboraſſe videar.

Auctor.

Ienae d. VI. menſis Iulii MDCCCXXX.

Argumenti descriptio.

PROLEGOMENA.

§. 1.

Iſagogen hiſtorico-criticam [1]) *in libros novi foederis* tractant, qui de origine, de indole, de fatis horum librorum diſputationem inſtituunt eruditam et ſubtilem, cuius ope vera eorum interpretatio uſusque rectus praeparari et adiuvari poſſit [2]). Diſtinguitur *univerſalis* atque *ſpecialis* [3]).

1) *Hiſtorica* recte appellatur, ſiquidem libros illos tanquam *obiectum hiſtoriae* (i. e. rem in facto poſitam, aliis rebus in facto poſitis arcte coniunctam) contemplatur, ſuoque conſilio non poteſt niſi ita ſatisfacere, ut ubique hiſtoriam gentium, civitatum, litterarum, religionum in ſubſidium vocet, adhibita ſemper eiusmodi exploratione (*criſi*), qualem omnes omnino quaeſtiones, de rebus potiſſimum geſtis ſcriptisque antiquiorum temporum inſtitutae, deſiderant.

2) His limitibus ea, quam dicimus, diſciplina circumſcribenda eſt, ne quis in ſcholis librisve eam tractantibus alia omnia exſpectet, quae viam muniant ad libros ſacros recte intelligendos (philologiam ſacram ipſam, geographiam ſacram, archaeologiam etc.) Alia eſt iſagoge *practica* in libros divinos.

3) Parte ſpeciali *prius* tractanda brevitati conſulimus, quum de authentia et integritate totius codicis N. F. nil accuratius conſtitui poſſit, niſi de partibus ſingulis quaeſitum fuerit.

§. 2.

Sub *libris Novi Foederis* ea intelligimus ſcripta, ex quibus, tanquam *fonte limpidiſſimo*, novam religionis doctrinam et oeconomiam, per Chriſtum Deo volente patefactam et inſtitutam cognoſcimus. Eosque *ſacros* appellamus, non tantum ratione *argumenti* habita, ſed etiam propter *originem* horum ſcriptorum ab Evangeliſtis et Apoſtolis repetitam.

§. 3.

Poſtquam primis eccleſiae Chriſtianae temporibus de his libris formulae: *ευαγγελιον*, et *ο αποστολος* [1]) ſive *ευαγγελια* et *οι αποστολοι*, itemque: *το ευαγγελικον* et *το αποστολικον* (inſtrumentum evangelicum et apoſtolicum), uſurpatae fuerant; exeunte ſaeculo ſecundo magis invaluerunt phraſes: *ἡ καινὴ διαϑήκη*, libri *καινῆς διαϑήκης*, novi foederis, ſive novi teſtamenti, ita ut totum complecterentur ſcriptorum utriusque generis ambitum [2]).

1) Apud *Marcionem* quippe ex Ponto oriundum, et *Marcionitas* Saec. II. primum uſu receptum fuerat, ut commentarium Lucae, quem ſolum illi agnoſcerent, *το ευαγγελιον*, et decem, quas haberent, Pauli epiſtolas *τον αποστολον* appellarent. Cfr. *Bertholdt* hiſtoriſch-kritiſche Einleitung in die Schriften des alten und neuen Teſtam. 1. Th. p. 49. ſq. p. 105. ſq. *Eichhorn* Einleit. in das N. T. 4. B. p. 22. ſſ. Itaque, quum alii coetus Chriſtiani plura evangelia, pluresque epiſtolas (praeter illas decem Paulinas) tanquam documenta apoſtolica agnoviſſent, partim numerus *pluralis: τα ευαγγελια* et *οι αποστολοι* de ſcriptis illis ſacris uſurpatus eſt (*Irenaeus* contra haereſes l. 3. c. 11. §. 8. *Clemens Alexandr.* ſtromata l. 5. p. 561. ed. Sylburg. l. 6. p. 659. *Tertullianus* adverſus Praxeam c. 15.) itemque: *τα ευαγγελικα* et *τα αποστολικα* (*Iren.* contra haer. l. 1. c. 3. §. 6.), partim etiam numerus *ſingularis το ευαγγελιον* ad totum quatuor evangeliorum ambitum, itemque *αποστολος* ad omnes, quas Chriſtiani variis locis agnoverant, epiſtolas collectione comprehenſas et Acta Apoſto-

lorum transiit (*Clemens* Alexandr. locis supra laudd. ubi το ευαγγ. occurrit et οι αποστολοι, et l. 7. p. 706. ο αποστολος. *Iren.* contra haer. l. 3. c. 11. §. 8. ubi et ευαγγελια legitur, et το ευαγγελιον τετραμορφον. Apud eundem *Clementem* Alex. ftromm. l. 3. p. 455. et *Tertull.* adv. Praxeam c. 20. *evangelium* et evangelia et epiftolas complecti videtur. *Inftrumentum* apoftolicum et evangel. apud. *Tertull.* legitur de pudicitia c. 12. contra Marcionem l. 4. c. 2.)

2) Origo harum formularum ex ipfo loquendi ufu librorum N. T. repetenda, quo antiquior illa religionis oeconomia per Mofen inftituta (fimilis foederi, Deum inter et Ifraelitas fancito, *Exod.* c. 24. *Ierem.* 31, 32.) διαθήκη πρώτη f. παλαιά, oeconomia vero nova per Chriftum inftituta (fimilis foederi Deum inter omnesque homines fancito) διαθήκη δευτέρα f. καινή dicebatur. *Matth.* 26, 28. *Marci* 14, 24. ad *Galatas* 4, 24. ad *Hebrr.* 8, 8. fqq. 9, 15. Cfr. *Meyer* differtatio foederis cum Iehova notionem in fcriptis V. T. frequentiffime obviam illuftrans. Gottingae, 1797. *Rofenmüller* comment. de vocabuli διαθήκη in libris N. T. vario ufu. Erlangae, 1778. Proinde etiam *libri Iudaeorum facri* διαθήκη παλαιά Paulo appellantur 2 *Corinthh.* 3, 14. (βίβλος διαθήκης *Sirac.* 24, 23. 1 *Maccabb.* 1, 57.) Quanquam phrafis: η καινή διαθήκη, de *libris Chriftianorum facris* non ante *Origenem* (περι αρχων l. 4. c. 1.) deprehenditur, citius tamen iam ufurpatam fuiffe apud doctores ecclefiae graecae, ex eo recte colligimus, quod *Tertullianus*, Origene prior, hanc dicendi rationem: *libri utriusque teftamenti* (cuius loco fubinde *inftrumentum* dicit) ufitatam effe perhibuit. *Tertull.* contra Marc. l. 4. c. 1. c. 2. adverfus Praxeam c. 15. c. 20. Refpondet quippe *teftamentum* in verfione vulgata (Matth. 26, 28.) graeco διαθηκη, quod accuratius vertitur: *foedus*. — Ceterum *utriusque foederis* fcripta facra, praeeunte *Chryfoftomo* (homilia IX. epift. ad Coloff. hom. X. in Genefin), τα βιβλια fcil. θεια, latine *biblia*, appellata funt.

§. 4.

Tria diftinguimus genera librorum Chriftianorum, qui canone facro continentur, libros *hiftoricos*, *didacticos*, five *epiftolicos*, unum *propheticum*.

Scriptores praecipue notandi, qui isagogen in libros N. F. tractaverunt.

A) Qui *utriusque foederis* libros scriptis suis ad isagogen spectantibus complexi sunt.

1) Patres ecclesiae veteris: *Augustinus* (Saec. 4.): libri quatuor de doctrina Christiana, e recensione Benedictt. ex congregat. S. Mauri, varietate lectionum, animadverss. illustravit *B. Teegius*, Lips. 1769. 8. *Cassiodorus* (Saec. 6.) de institutione divinarum scripturarum in eius operibus ed. *Garet.* Rouen, 1679. 2 Voll. separatim ed. *Pamelius* Paris. 1575. 8. *Adrianus* (de cuius aetate viri docti dissentiunt) isagoge sacrarum litterarum opera *Hoeschelii*, Augustae Vindelic. 1602. 4. (exstat hic liber in *Criticis sacris* ed. Francof. T. VII.) De iis, quae patres ecclesiae vet. isagogen sensu latiori dictam, hermeneuticen potissimum, magis quam criticam tractantes, hac in re praestiterint, cfr. *Orelli* selecta patrum capita ad εισηγητικην sacram pertinentia, partic. I. et II. Turici, 1820. 1821. 8.

2) Scriptores saeculi 16. et 17.: Bibliotheca sancta a *Sixto Senensi* ex praecipuis catholicae ecclesiae auctoribus collecta, Venet. 1566. 2 Voll. fol. posthac iterum ed. *Hay*, Lugd. Bat. 1591. 4. novissima ed. Colon. 1626. 4. Mich. *Walter* officina biblica noviter adaperta, in qua perspicue videre licet, quae scitu cognituque maxime sunt necessaria de sacra scriptura in genere et in specie etc. Lips. 1636. 4. ed. recentior, Viteb. 1668. 4. (Hic primus fuit, qui isagogen *historico - criticam* exhiberet *uberiorem.*) *Brian. Walton* (Anglus) apparatus biblicus in bibliis polyglottis Londin. 1657. fol. separatim ed. *Heidegger*, Tiguri, 1673. fol. *Rivetus* isagoge ad scripturam s. V. et N. T. Lugd. Bat. 1627. *Heidegger* enchiridion biblicum ἱερομνημονικὸν, Tiguri, 1681. ed. recent. Jenae, 1723. 8.

3) Scriptores saeculi 18 et 19.: *Salomon van Til* opus analyticum, comprehendens introductionem in scripturam sacram, ad *Heideggeri* enchiridion concinnatam, Traiecti ad Rhenum, 1720. 2 Voll. 4. recentius Basil. 1722. *Aug. Calmet* prolegomena et in omnes et in singulos S. s. libros lat. vertit *Dan. Mansi*, Lucc. 1729. Voll. II. fol. deutsch mit Anmerkk. von Mosheim, Bremen, 1738—46. Voll. 6. 8. *Dav. Collier*: Einleitung zum richtigen Verstande der heil. Schrift, aus dem Engl. übers. von *Rambach*, Rostock, 1759. (uterque vero notionem huius disci-

plinae isagogicae latiorem tennit.) *Moldenhauer* introductio in omnes libros canonicos cum V. tum N. T. ut et eos, qui apocryphi dicuntur, Regiom. 1744. 8. *Wagner* Einleitung in die heiligen Bücher des alten und neuen Gesetzes, Passau, 1794. *Wahl* historische Einleitung in die sämmtlichen Bücher der Bibel, Leipz. 1802. 8. *Scherer* historische Einleitung zum richtigen Verstehen der Bibel, Halle, 1802. 8. *Bertholdt* historisch-kritische Einleitung in sämmtliche kanonische und apokryphische Schriften des A. und N. T. Erlangen, 1. Th. 1812. 2. Th. 1813. 3. Th. 1813. 4. Th. 1814. 5. Th. 1 Hälfte, 1815. 2 Hälfte, 1816. 6. Th. 1819. *De Wette* Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung in die Bibel A. und N. T. 1. Th. (Einl. in das A. T.) Berlin, 1817. 2. Th. (Einl. in das N. T.) 1826. 8. Biblische Hermenentik Erster Theil, *Einleitung* in die heil. Schriften des alten und neuen Bundes von *D. Gerhauser*, nach seinen Vorlesungen herausgegeben, Kempten, 1829. 8. (Inde ab eo tempore, quo *Semmlerus*, *Michaelis*, *Eichhornius* prodierant, quae proprie dicitur isagoge *historico critica* in sacram scripturam, laetius, quam antea, effloruerat.) Isagogen *popularem* et *practicam* tractaverunt: *Tilgenkamp* Versuch einer Einleitung in die biblischen Schriften für Schulen und forschende Bibelfreunde, Dortmund, 1808. *Voss* Belehrungen über die Bücher der Bibel, Flensburg und Leipzig, 1797. *Von Zobel* populäre Einleitung in die sämmtlichen Bücher der Bibel, Leipz. 1806. 8. *Stäudlin* Lehrbuch der praktischen Einleitung in alle Bücher der heiligen Schrift, Göttingen, 1826. 8.

B) Qui *novi foederis* libros scriptis suis isagogicis *separatim* tractaverunt:

Richard Simon (qui *primus* inter Theologos Saec. XVII. multarum rerum huc spectantium crisin exercuit accuratiorem): histoire critique du texte de nouveau Testament, Rotterdam, 1689. 4. histoire critique des Versions du N. T. Rotterd. 1690. 4. nouvelles observations sur le texte et les versions du N. T. Paris. 1695. 4. histoire critique des principaux commentateurs du N. T. Rotterd. 1693. 4. Rich. Simon kritische Historie des Textes des N. T. übers. von *Cramer*, und mit Anmerkungen begleitet von *Semler*, Halle, 1776. 8. R. S. kritische Historie der Uebersetzungen des N. T. übers. von *Cramer*, mit Anmerkk. von *Semmler*, Halle, 1777. 80. 2 Voll. 8. Uterque liber eodem

titulo comprehenditur: R. Simon kritische Schriften über das N. T. 3 Bände. Introductio ad lectionem novi testamenti etc. auctore G. *Pritio* Lips. 1704. 12. uberius digessit novasque dissertationes passim adiecit *G. Hoffmann*, Lips. 1737. 8. ed. recentior, 1764. *W. Rumpaei* comment. critica ad libros N. T. in genere, cum praefatione *G. Carpzovii*, Lips. 1730. 4. ed. recent. 1757. 4. *R. Rus* introductio in N. T. generatim spectatum, Ienae, 1733. 4. *I. Millii* prolegomena N. T. cum *Dan. Salthenii* commentatione in §§. 19. priores, Regiomonti, 1752. 4. *Wettstenii* prolegomena in N. T. notas et appendicem adiecit *Semmler*, Halae 1764. 8. *Semmler* apparatus ad liberalem N. T. interpretationem, Halae, 1767. 8. Cfr. *Eiusdem* Abhandlung von freier Untersuchung des Canon, 4 Theile, Halle, 1771—75. 8. Neue Einleitung in das Studium und die Kenntniss des N. T. aus dem Englischen des *Harwood* übers. mit Anmerkk. von *Fr. Schulz*, Halle, 1770. 73. 8. 2 Volumm. D. *Michaelis* Einleitung in die göttlichen Schriften des N. B. vierte Ausgabe, Göttingen, 1788. 2 Voll. 4. *Herbert Marsh* Anmerkungen und Zusätze zu Michaelis Einleitung in die göttlichen Schriften des N. B. aus dem Englischen übers. von *C. Rosenmüller*, Göttingen. 1795. 1803. 2 Voll. 4. *Paulus* introductionis in N. T. capita selectiora, Ienae, 1799. 8. *Haenlein* Handbuch der Einleitung in die Schriften des N. T. zweite Auflage, Erlangen, 1801. 1802. 1809. 3 Voll. 8. *Chr. Schmidt* historisch-kritische Einleitung in das N. T. neue Ausgabe, Giessen, 1818. 2 Volum. 8. *Eichhorn* Einleitung in das N. T. 1. Bd. Leipzig, 1804. (ed. II. 1820.) 2. B. 1810. 3. B. 1. Hälfte, 1812. 2. Hälfte, 1814. 4. und 5. B. 1827. 8. *Hug* Einleitung in die Schriften des N. T. dritte Auflage, Stuttgart und Tübingen, 1826. 8. 2 Voll. Libri *breviores*: *K. Klotzsch* Handbuch der kritischen Geschichte des N. T. zum Gebrauch bei akademischen Vorlesungen, Wittenberg und Zerbst, 1795. 8. *Griesinger* Einleitung in die Schriften des N. B. Stuttgart, 1799. 8. *Haenlein* Lehrbuch der Einleitung in die Schriften des N. T. Erlangen, 1802. *Feilmoser* Einleitung in die Bücher des N. B. Insbruck, 1810. 8. *Ferd. Guericke* Beiträge zur historisch-kritischen Einleitung in das N. T. Halle, 1828. 8.

ISAGOGE SPECIALIS.

PARS PRIMA.

DE LIBRIS NOVI FOEDERIS HISTORICIS.

Caput Prius.

DE EVANGELIIS.

SECTIO PRIMA.

DE EVANGELIIS APOCRYPHIS.

§. 5.

Quum legati Servatoris, eorumque discipuli et adiutores doctrinam atque historiam Christi ore praedicare coepissent, locis diversissimis [1]); documenta quoque litteris consignata de sermonibus, factis, fatisque Iesu Christi mature prodierunt [2]), quae *evangelia* dicerent. [3]) Et, quanquam plurimi Christianorum veterum quatuor tantum commentarios evangelicos, qui vere apostolicae essent auctoritatis, agnoverunt; certum tamen est, prioribus post Christum natum saeculis alia quoque evangelia a quibusdam usurpata esse. [4])

1) Historiae Iesu Christi, consentienti iis, quae scripta V. T. prophetica praedixerant vel adumbraverant, tanquam fundamento doctrinam superstruebant. *Actt. Apostst.* 2, 22. ff. 8, 31. ff. 10, 37. ff. et al.

2) Testis est *Lucas* ev. c. 1. v. 1. Verba enim ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν *scriptioni* potius, quam institutioni ore factae (quae v. 2. verbo: παρέδοσαν indicatur, et ab illa distinguitur) conveniunt, praesertim quum Lucas v. 3. ἔδοξε κἀμοὶ etc. semet ipsum, evangelium *scripturum*, coniungat illis, qui ἐπεχείρησαν etc. Cfr. programma *meum* de prooemio evangelii Lucae, eiusque usu in quaestione de fontibus evangeliorum tractanda, Ienae, 1828. 4. *Origenis* homilia I. in Lucam. *Hieronymus* praef. ad Matth.

3) Substantivi εὐαγγέλιον (nuntius laetus, i. q. ἡ εὐαγγελία, 2 *Samuel.* 4, 10. 18, 20. ff. LXX. *Cicero* epp. ad Atticum l. 2. ep. 3.) usus *biblicus*, quo nuntium laetum regni divini innuit, *Marci* 1, 14. sq. Matth. 4, 17. 23. al. deinde ad totam Iesu Christi et Apostolorum doctrinam transfertur, illius regni divini indolem, bona, conditiones amplius describentem, *Marci* 13, 10. 16, 15. *Matth.* 11, 5. *Romm.* 1, 1. 1 *Corinthh.* 15, 1. al. distinguendus est ab usu *ecclesiastico*, quem §. sequitur. Cfr. *Suiceri* thesaurus ecclesiast. T. I. p. 1229. sq. De sensu, quo εὐαγγέλιον, εὐαγγελίζειν, εὐαγγελίζεσθαι in N. F. dicitur, uberius disseruit V. *Paulus:* theologisch-exegetisches Conservatorium, erste Lieferung, Heidelberg, 1822. p. 132. ff.

4) Historia eorum, quae apocrypha dicuntur, evangeliorum quaestioni criticae de origine et authentia evv. canonicorum illustrandae vario modo consulit.

§. 6.

Evangelii, quod dicitur *secundum Hebraeos*, sermone hebraeo consignati, [1]) cuius originem primam neque haec vulgaris libri inscriptio, neque formula seriori aevo de eodem volumine usurpata: evangelium duodecim apostolorum, accuratius indicat, mentio saepius iniecta est apud patres ecclesiae veteris, auctoritatem summam testantes, quam Ebionaei et Nazaraei huic evangelio tribuerint. [2]) Quod multi olim hunc librum ab evangelio Matthaei authentico (hebraice s. syro-chaldaice scripto) non differre existimaverunt, [3]) parum probatur, quum non defuerint (Origenis quidem et Eusebii aetate) [4]) qui inter scripta νοθα refer-

rent, et loca ſingula ex eo allata [5]) doceant, originem eius hanc fuiſſe, ut evangelium Matthaei inter Chriſtianos Iudaiſmi ſtudioſiores diverſimode interpolaretur, aliis detrahendis, aliis addendis et amplificandis. [6])

1) *Hieronymus* adv. Pelagianos l. 3. c. 1. comment. in Matth. ad c. 12. v. 13. catalogus ſcriptorum eccleſiaſt. ſub v. *Iacobus*. Ipſe Hieronymus verſionem huius evangelii et graecam et latinam exaraverat.

2) Poſtquam Iudaeo-Chriſtiani Palaeſtinenſes, fere omnes, legem Moſaicam cerimonialem exacte obſervaverant, decenniis primis ſaeculi ſecundi, quum Hadrianus imperator cultui ſacro Iudaeorum Hieroſolymitano finem intuliſſet (*Sulpit. Severus* hiſtoria ſ. l. 2. c. 31. *Euſebius* hiſt. eccleſ. l. 4. c. 6.), permulti quidem illorum Iudaeo-Chriſtianorum, qui, bello Iudaeorum contra Romanos ineunte, Pellam (oppidum in Peraea ſitum) confugerant, Hieroſolymas reverſi, ad homines Ethnico-Chriſtianos, (qui, Hadriano regnante, ab imperio ſynedrii Iudaici liberati, ad eccleſiam rite conſtitutam in illa urbe congregati ſunt), ita ſe applicuerunt, ut illam legis Moſaicae obſervationem miſſam facerent (*Epiphanius* de ponderibus ac menſuris §. 15.); alii vero, ceteras Palaeſtinae regiones et Syriam inhabitantes, ſtatuta hucusque obſervata porro ſequi maluerunt, ita ut ſectam conſtituerent, *Ebionaei* ſ. *Ebionitae* apud auctores antiquitatis Chriſtianae appellati, quo nomine Iudaei Chriſtianos ex Iudaeis tanquam *pauperes* ſ. *adflictos* notaverant. Cfr. *Lange:* die Iuden-Chriſten, Ebioniten, und Nicolaiten der apoſtoliſchen Zeit, Leipzig 1828. p. 82. ff. *Van Heyſt* diſſert. theolog. de Iudaeo-Chriſtianiſmo etc. Lugduni Batav. 1828. 8. De doctrina placitisque horum Ebionaeorum univerſe teſtantur patres eccleſiae veteris, eos a) legem Moſaicam exacte obſervaſſe, ideoque Paulum, liberius ſentientem, noluiſſe verum agnoſcere apoſtolum, *Irenaeus* adv. haer. 1, 26. coll. 3, 11. *Tertull.* de praeſcriptt. adverſus haer. c. 33. *Epiphan.* haer. XXX, c. 2. c. 13. b) Ieſum verum Ioſephi et Mariae filium, modo vulgari generatum, quanquam poſthac Chriſto coniunctum, et hoc ſenſu Dei filium habuiſſe, *Iren.* adv. haer. 5, 1. *Tertull.* de carne Chriſti c. 14. de velandis virginn. c. 6. de praeſcriptt. l. l. *Epiphan.* l. l. c) Exſpectationem imaginem-

que regni terrestris millenarii per Christum condendi studiosius exornasse. *Hieronymus* comment. ad Ies. 60, 1. 66, 20. Zachar. 14, 9. Praeeuntibus vero *Origene* (contra Celsum l. 5. Opp. Vol. I. p. 625. 628. ed. de la Rue) et *Eusebio* (histor. eccles. 3, 27.) duplicis fuerunt generis, originem Iesu hominis miraculosam aliis agnoscentibus, aliis negantibus. Qui eam agnoscebant, legisque Mosaicae observationem solis Iudaeo-Christianis iniungebant, Ethnico-Christianos liberos iudicantes, neque auctoritatem Pauli apostolicam reiiciebant, *Nazaraei* dicuntur *Hieronymo* (comment. in Ezech. Opp. T. III. p. 794. ed. Martianay, comm. in Ies. Opp. T. III. p. 15. p. 83. epistola 74 ad August. Opp. T. IV. P. II. p. 623.) qua formula olim omnes Christiani ab adversariis Christi iudaicis appellati fuerant (*Act.* 24, 5. *Tertull.* adv. Marc. l. 4. c. 8. in.) iidemque ab Ebionaeis, Christianos omnes legi Mosaicae etiamnum obnoxios, Iesumque hominem Iosephi filium habentibus distinguuntur, comment. in ep. ad Gal. Opp. Vol. IV. P. I. p. 225. 230. 285. ad Ephess. ib. p. 364. Cfr. *Olshausen*: die Aechtheit der vier canonischen Evangelien aus der Geschichte der zwei ersten Jahrhunderte erwiesen, Königsberg, 1823. p. 30. ff. *Gieseler* über die Nazaräer und Ebioniten, im Archiv für alte und neue Kirchengeschichte herausg. v. *Stäudlin* und *Tzschirner*, 4. B. 2. St. 1819. *Credner* über Essaeer und Ebioniten, in *Winer* Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie, 2. Heft, Sulzbach, 1827. 3. H. 1829. Huius utriusque familiae Christiani teste *Hieronymo* (comm. ad Matth. 12, 13. ad Matth. 23, 35. ad Ies. 11, 2. adversus Pelagiann. l. 3. c. 1. et al.) evangelio secundum Hebraeos usi sunt; perhibetque de Ebionaeis *Eusebius* histor. eccles. l. 3. c. 27. (coll. c. 25.) eos huic tantum evangelio auctoritatem tribuisse.

3) Cfr. *Irenaeus* adv. haer. l. 1. c. 26. l. 3. c. 11. §. 7. *Epiphanius* haer. 29, §. 9. haer. 30, §. 3. qui hoc potissimum observat, Nazaraeos evangelium Matthaei, litteris quidem hebraicis consignatum, habuisse *integrum*, Ebionaeos vero *interpolatum* atque mutilatum. Testante *Hieronymo* comment. ad Matth 12, 13. adversus Pelagg. l. 3. c. 1. evangelium, quo Nazareni et Ebionitae utuntur, a *plerisque* Matthaei authenticum appellatum est, et ipse Hieron. in catal. scriptorum eccles. sub v. *Matthaeus* hanc sententiam probare videtur (porro *ipsum hebraicum* habetur usque hodie in Caesareensi bibliotheca etc.), quan-

quam idem l. l. adversus Pelagg. neque confirmat, neque refellit, quod plerique evangelium secundum Hebraeos pro authentico Matthaei habebant, de eiusque usu hoc profitetur, etsi non adhibeatur ad auctoritatem, cognosci tamen inde posse, quid omnes ecclesiastici viri senserint.

4) *Origenes* comm. in Io. Opp. Vol. IV. p. 63. ed. de la Rue ἐὰν δὲ προσίεταί τις τὸ καθ' Ἑβραίους εὐαγγέλιον etc. Idem in Matth. tract. 8. ad Matth. 19, 19.: si placet alicui suscipere illud (ev. secundum Hebraeos) non ad auctoritatem, sed ad manifestationem propositae quaestionis etc. *Euseb.* hist. eccles. 1, 3. c. 25.

5) Quae *Clemens Alexandr.* stromm. l. 2. p. 380. ed. Sylburg. *Origenes* in *Io.* et *Matth.* locis nota 4. laudd. idemque in *Ierem.* homilia 15. *Epiphanius* haeres. XXX. c. 13. 14. 16. 22. 26. *Hieronymus* comm. in *Ies.* Opp. T. III. p. 99. 304. in *Ezech.* c. 18. in *Michae* 8, 6. in ep. ad Ephess. c. 5. ex evangelio Ebionaeorum et Nazaraeorum attulerunt, ita comparata sunt, ut pariter cognatio magna, atque discrimen evangelii κατα Ματθαιον, et ev. secundum Hebraeos inde elucescat.

6) Evangelium quippe *Matthaei*, in usum maxime Iudaeo — Christianorum Palaestinensium litteris consignatum, (qua de re infra videbimus), permulta continet, quae placitis Ebionaeorum (cfr. nota 2.), iis potissimum, quae ad necessitatem legis Mosaicae porro observandae spectabant, praesertim favere videbantur. Cfr. *Lange* in l. l. die Juden-Christen, Ebioniten, und Nicolaiten u. s. w. p. 50. ss. Ex his facile patet, quare Christiani illi, legis studiosiores, decreta sua huic potissimum evangelio superstruenda putaverint, *non integro quidem, sed variis locis partim mutilato* (v. c. duobus primis Matthaei capitibus omissis, *Epiphan.* haer. XXX. c. 13.), *partim etiam amplificato*, sive hoc evangelium ab ipso Matthaeo *hebraice s. syro-chaldaice scriptum* hac ratione tractavisse, sive (ut alii volunt) ab ipso auctore *graece scriptum* in linguam hebr. s. syro-chald. *transtulisse*, et vertendo interpolasse existimentur, ita, ut vel traditionem ore factam, vel alia documenta evangelica, quae satis mature exstitissent (§. 5. n. 2.) sequerentur. Ceterum duplicem fuisse evangelii secundum Hebraeos recensionem, alteram, eamque uberiorem, cuius usum facerent Nazaraei, alteram breviorem apud Ebionaeos usurpatam, ex testimonio *Epiphanii* colligitur (vd. supra nota 3.), collatis iis,

quae *Hieronymus* comment. ad Ies. c. 11. v. 1. *Epiphanius* haer. XXX. c. 13. diversimode laudaverunt.

Conferendi ad hanc §. *Eichhorn* Einl. in das N. T. Vol. I. in. *Hug* Einleitung etc. T. II. p. 20. ss. ed. II. *Bertholdt* Einleitung etc. T. III. §. 322. *Schütz* dissert. critica de evangeliis, quae ante canonica in usu ecclesiae Christ. fuisse dicuntur, pars prior, Regiomonti, 1812. p. 10. ss. *Stroth* in *Eichhornii* repertorio litteraturae biblicae et orient. Vol. I. *C. F. Weber* neue Untersuchungen über das Alter und Ansehen des Evangelium der Hebraeer, Tübingen, 1806. *Emmerich* dissert. de evangeliis secundum Hebraeos, Egyptios, atque Iustini Martyris, Argentorati, 1807. 8. *Paulus* theologisch-exegetisches Conservatorium, erste Lieferung, Heidelberg, 1822. p. 5. ss. *Gieseler* historisch-kritischer Versuch über die Entstehung und die frühesten Schicksale der schriftlichen Evangelien, Leipzig, 1818. 8. *Olshausen* in libro nota 2. laud. p. 32. ss.

§. 7.

Evangelium, cuius usum Cerinthus et Carpocrates, gnostici, saeculo I. et II. fecerunt, si Epiphanium sequimur, [1]) ab illo secundum Hebraeos dicto parum diversum fuisse existimandum est, evangelio Matthaei canonico simillimum. Idemque de eo valet, quod *κατα Πετρον* dicitur. [2])

1) Cerinthus cum asseclis suis, et Carpocrates, teste *Epiphanio* haer. XXVIII. c. 5. (coll. haerr. XXX. c. 3.) evangelio Matthaei utebantur ἀπὸ μέρους, καὶ οὐχ ὅλω, sive, praeeunte eodem haer. XXX. c. 14. idem habebant cum Ebionitis evangelium, quanquam ab his eo discrepabant, quod recensionem maiorum Iesu Christi (Matth. c. 1.), apud Ebionaeos omissam (§. 6. nota 6.) reciperent et usurparent. Quae idem *Epiphan.* haer. XXVII. c. 5. ex evangelio Carpocratianorum attulit, partim cum Matth. 5, 25. sq. partim cum Lucae 12, 58. prorsus conveniunt, exceptis paucis. Similiter Ebionaei in suo evangelio habebant, quae ad evangelium Lucae canonicum propius accedebant. *Epiphan.* haerr. XXX. c. 13. De interpolatione vero evangelii Matthaei, *ab his Christianis* facta, nuspiam sermo est. Quod *Irenaeus*

adv. haer. l. 3. c. 11. §. 7. de Cerinthianis perhibet, eos ceteris omnibus praeferendum indicasse evangelium *Marci*, ex similitudine summa evangeliorum Matthaei et Marci facile intelligitur.

2) *Origenes* ad Matth. 13, 54. ff. *traditionem Hebraeorum* et *evangelium iuxta Petrum* tanquam unum eundemque fontem sententiae eorum commemorat, qui Iesum fratres habuisse dicerent. Idemque περι αρχων l. 1. prooem. §. 8. in libro, quem ipse διδαχην Πετρου appellat, locum exstitisse dicit, quem *Hieronymus* catal. scriptorum ecclesiastt. sub V. *Ignatius* evangelio Nazaraeorum tribuit. Praeeunte *Eusebio* hist. eccles. 3, 25. 6, 12. evangelium Petri plane suppositum fuit, prorsus reiiciendum, neque ulli ecclesiae Christianae doctori probatum est, quanquam Christianis Rhossum in Cilicia inhabitantibus usurpatum, (quibus rectius edocendis *Serapion* eiusmodi libello scribendo consuluerit, quo evangelium κατα Πετρον haereticum esse doceret.) Denique *Theodotus* haerett. fabb. II, 2. de Nazaraeis testatur, eos usum fecisse huius evangelii.

§. 8.

De evangelio Marcionis gnostici [1]) Saec. II. haud parum dissentiunt. Quanquam omnes cognationem agnoverint huius evangelii atque illius, qui Lucam auctorem habet, commentarii, diversimode tamen de causa huius cognationis indicatum est, aliis quidem sententiam tuentibus antiquiorem, [2]) Marcionem evangelium Lucae in usum dogmatum suorum permultis locis mutilasse, aliis Marcionem vel novam recensionem criticam textus Lucae, vel epitomen evangeliorum exhibuisse dicentibus, [3]) aliis denique evangelium Marcionis inter ea documenta antiquiora referentibus, quae Lucas ipse, commentarium suum consignaturus, adhibuerit, vel de fonte communi utriusque scripti cogitantibus. [4]) Nuperrime vero sententia antiquior argumentis idoneis defensa et amplius illustrata est, [5]) confirmata quippe testimoniis veterum, Tertulliani potissi-

mum et Epiphanii, [6]) luculentissimis, atque iis, quae insuper de Marcione tradita leguntur, probe accommodata. [7]) Sequebatur ille sua dogmata, suamque de commentario Lucae antiquitus depravato persuasionem, quum et integras sectiones, et effata breviora haud pauca omitteret, atque omnino in textu huius evangelii tractando emendatorem sese gereret eumque audaciorem.

1) Ex Sinope, oppido Pontico, oriundus, episcopi filius, ingenio atque doctrina multiplici insignis, quum ab ipso patre (propter incestum, praeeunte Epiphanio haer. 42. in.) ecclesia pulsus fuisset, neque, Romam delatus, ut in ecclesiam reciperetur, impetrare potuisset, saeculo secundo medio eiusmodi dogmata (iam pridem ipsi haud improbata), quae ab ecclesia orthodoxa deflecterent, tanto studio propagare ac defendere coepit (*Cerdonem* potissimum gnosticum sequutus), ut auctor sectae *Marcionitarum* existeret. Distinguebat quippe a natura summa eademque optima (*Deo* κατ' ἐξοχην dicto) partim *Demiurgum*, creatorem mundi visibilis, iustum quidem, sed illius amoris infiniti, quo Deus summus praeditus sit, expertem, partim *materiam*, ὑλην, naturam malam. Deus summus (principium bonum) et materia tanquam principia describuntur, quae ab aeternis inde exstiterint. An Demiurgo eandem existentiam aeternam vindicaverit, sub iudice lis est. Cfr. observata Censoris eruditi libri a *V. Hahnio* scripti (infra laud.) in ephemeridibus: allgemeine Hallische Literaturzeitung 1823. N. 246. Leipziger Litteraturz. N. 64. 1825. Docebat, homines, quum per naturam malam (ὑλην, ex qua totus mundus visibilis exstitisset) ad peccandum seducti fuissent, et corrupti, miseriae summae obnoxios esse redditos auctore Demiurgo, exceptis Iudaeis, quibus Demiurgus, propter fidem et obsequium, quod plurimi certe ei praestitissent, legem Mosaicam et solatia vaticiniorum contingere iusserit; *Deum* vero amoris plenum, generis humani misertum, forma hominis assumta (persona *Iesu Christi*), in terra apparuisse, hominesque, ab imperio Demiurgi liberatos, sibi recte colendo devinxisse. Ceterum, de animi in aeternum perficiendi vita perpetua persuasissimus, resurrectionem corporum fore negabat. Doctrinam morum sequebatur se-

veriorem, quae duram corporis tractationem iniungeret. De vita Marcionis, eiusque placitis, auctoritatem librorum antiqui foederis prorſus inpugnantibus (unde factum, ut etiam in multis libris, ſectionibus, locisque N. F. offenderet) cfrr. *Iuſtinus Martyr* Apol. I. c. 35. c. 75. (ed. Thalemanni.) *Irenaeus* adverſus haerr. l. 1. c. 27. §. 2. c. 28. l. 3. c. 4. §. 3. c. 25. §. 3. l. 4. c. 33. §. 2. *Clemens Alexandr.* ſtromm. l. 3. p. 431. l. 7. p. 764. Sylburg. *Tertull.* de praeſcriptt. adverſus haerett. c. 51. idemque l. 1. c. 19. l. 5. c. 19. aliisque locis multis quinque librorum contra Marcionem ſcriptorum. *Epiphanius* haer. 42. *Hieron.* comment. in Hoſeam c. 10. Ex recentioribus cfr. *Hahn* diſſert. de gnoſi Marcionis antinomi, particula I. et II. Regiomonti, 1820. 21. 4. *Eiusdem* comment. antitheſes Marcionis gnoſtici liber deperditus nunc quoad eius fieri potuit reſtitutus, Regiom. 1823. 8.

2) Teſtimonia veterum, quanquam alia definitius, alia minus definite rem tradunt, in eo tamen conſentiunt, quod Marcionem eiusque aſſeclas evangelia Matthaei, Marci, Ioannis propter ipſos eorum auctores, (quos Iudaiſmi ſtudioſiores fuiſſe exiſtimarent), reiéciſſe perhibent, ſolumque Lucae commentarium, varie quidem mutilatum et interpolatum, (cui Marcion ipſe nullum adſcriberet auctorem, Tertull. adv. Marc. l. 4. c. 2.) uſurpaſſe. Cfrr. *Irenaeus* adv. haerr. l. 1. c. 27. §. 2. l. 3. c. 2. c. 11. §. 7. c. 12. §. 12. c. 14. §. 4. *Origenes* epiſtola ad Alexandrinos (opp. ed. de la Rue T. I. p. 6.) contra Celſum l. 2. c. 27. comment. in Io. Opp. T. IV. p. 98. *Adamantii* dialogus de recta in Deum fide (in *Origenis* opp. Vol. I.) *Ephraëm Syrus* hymni adv. haerr. carm. 22. 24. 27. 38. 47. *Chryſoſt.* homilia in ep. ad Gal. 1, 6. *Hieron.* praefatio comment. in epiſtolam ad Titum. *Theodoretus* fabb. haerett. l. 1. c. 24. *Iſidorus Peluſiota* l. 1. ep. 371. De indole evangelii Marcionitarum prae ceteris nos edocuerunt *Tertullianus* de praeſcriptt. adv. haerett. c. 29. coll. c. 37. ſq. de carne Chriſti c. 2. c. 3. contra Marc. l. 4. c. 2. ſeqq. et *Epiphanius* haer. 42. Uterque, dum ſyſtemati Marcionis, cuius rationem in libro: *antitheſes* reddiderat, ipſum eius evangelium (i. e. ejusmodo loca, quae Marcion intacta reliquerat) opponit, permulta notat, quibus pateſiat, evangelium Marcionis non tantum ſaepenumero eiusmodi lectiones habuiſſe, quae a textu evangelii Lucae canonici diſcreparent, et additamenta, quae in textu canonico non

leguntur, sed etiam brevius fuisse, effatis sectionibusque haud paucis plane omissis. Ad hanc sententiam antiquiorem hi potissimum propius accedunt (etsi plures eorum concedant, patres ecclesiae vet. subinde iusto cupidius de Marcione iudicasse): *Storr* über den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Iohannis (2. Aufl.) p. 254. ss. *Hug* Einleitung etc. (2. Aufl.) Vol. I. p. 68. ss. *Schütz* dissertatio (§. 6. nota 6. laud.) pars prior p. 26. ss. *Gratz* kritische Untersuchung über Marcions Evangelium, Tübingen, 1818. *Arneth* über die Bekanntschaft des Marcion mit unserem Kanon des N. B. Linz, 1809. (cfr. censura huius libri: Ienaische allgem. Litter. Z. N. 2. 1810.) *Olshausen* in libro §. 6. nota 2. laud. p. 104—216. *Hahn* das Evangelium des Marcion in seiner ursprünglichen Gestalt, Königsberg, 1823. 8. *De Wette* Lehrbuch der Einl. in die Bücher des N. T. p. 103—119. Limitibus multis hanc sententiam circumscribit *V. Paulus* in l. theologisch-exegetisches Conservatorium, 1. Lieferung p. 115. ss. qui negat, quod testimonia veterum negari vix patiuntur, Marcionem loca *multa*, sectionesque *longiores* evangelii Lucae pro interpolatis habuisse, etsi multa, pro consilio suo, silentio praeterierit.

3) Cfr. *Bolten* der Bericht des Lucas von Iesu dem Messias, übersetzt mit Anmerkungen, Altona, 1796. (in praefatione.) *Griesbach* opuscula academica ed. *Gabler*, Vol. II. (historia textus graeci epistolarum Paulinarum sectio III.) p. 124. ss.

4) *Semmler* in praef. libri: *Townson* Abhandlung über die vier Evangelien, mit Zusätzen von *Semmler* T. I. Lips. 1783. 8. *Loeffler* comment. Marcionem Pauli epistolas et Lucae evangelium adulterasse dubitatur, Francof. ad Viadrum, 1788. 4. inserta commentationibus theologg. a *Velthusen*, *Kuinoel*, *Ruperti* collectis Vol. I. *Corrodi* Versuch einer Beleuchtung der Geschichte des Bibelcanon, Vol. II. p. 172. *Eichhorn* Einl. in das N. T. T. I. p. 40. ss. *Feilmoser* Einl. p. 151. ss. *Bertholdt* Einl. Vol. III. p. 1294. seqq. *Schmidt* Einl. Vol. II. p. 131. *Eiusdem* Bibliothek für Kritik und Exegese des N. T. 2. B. 3. St. *Censor* libri supra laud. *V. Hahnii* in ephemeridd. *Göttinger* gelehrte Anzeigen, N. 39. 1823. Qui evangelium Marcioni usurpatum iampridem ante Marcionem exstitisse putant (ab auctore incognito litteris consignatum), docere non possunt, qua de caussa scriptor ille, *aevo* qui-

dem *apostolico* vivens, aliis multis commentario suo insertis, ea potissimum historiae evangelicae capita graviora *omiserit*, quae evangelio Marcionitis probato defuisse testimonia veterum perhibent.

5) Sententiae antiquiori non obstat, quod evangelio Marcionis plura continentur, quae placitis eius adversabantur, iisque apud Tertullianum et Epiphanium vere sunt opposita. Audiatur *Tertull.* contra Marc. l. 4. c. 43. ex.: Marcion quaedam contraria sibi, illa credo industria eradere de evangelio suo noluit, ut ex his quae eradere potuit nec erasit, illa quae erasit, aut negetur erasisse, aut merito erasisse dicatur. Nec parcit, nisi iis, quae non minus aliter interpretando, quam delendo (alia), subvertit. Posterioris generis exempla attulit *Tertull.* contra Marc. l. 4. c. 9. c. 15. c. 22. c. 43. *Olshausen* in libro laud. p. 195. seqq. Neque causa desideratur idonea, quare maluerit Lucae, quam Ioannis evangelium, consilio suo accommodare. Noverat quippe, Lucam comitem fuisse et amicum *Pauli*, qui solus, ex Marcionis sententia, vera et perfecta uteretur dignitate apostolica, quum Iudaismum graviter inpugnaret (*Tertull.* contra Marc. l. 1. c. 20. l. 4. c. 3. l. 5. c. 2.), neque ab auctoritate Lucae, cuius Acta Apostt. ipse reiiceret, sed ab auctoritate Pauli pependit, ipsiusque Pauli evangelium incorruptum *suo* (secundum crisin suam conformato) inesse existimavit. Ceterum, quod nonnulli obiiciunt, Marcionem omnino non cogitare potuisse de textu Lucae crisi suae placitisque accommodando, quum ipse, quod sibi in promtu esset, evangelium a *Cerdone* doctore accepisset, testimonio fide digno prorsus destituitur (siquidem locus *Tertulliani* de praescriptt. haerett. c. 51. non Tertulliani, sed, omnium quidem consensu, alius scriptoris, qui librum Tertull. appendice locupletavit, narrationem continet), aliisque effatis vett. repugnat, *Iren.* adv. haerr. l. 1. c. 29. *Tertull.* contra Marc. l. 4. c. 4. et al. *Cyrillus Hieros.* catech. 6. *Theodor.* Fabb. haerett. 1, 24.

6) Vd. nota 2. Recensionem eorum omnium, quibus evangelium Marcionis a textu Lucae canonico differt, uberiorem exhibent *Olshausen* in libro laud. p. 126—189. et *Hahn:* das Evangelium des Marcion etc. p. 132 — 223. brevioremque conspectum *De Wette* Einl. in das N. T. p. 107. ff.

7) Simili ratione, ut alio loco videbimus, textum epiſtolarum Pauli tractavit. Ceterum lubentiſſime concedimus, Marcionem, qui morum praecepta teneret ſeveriora, non fraudulenter egiſſe, ſed ita, ut ſuam perſuaſionem ſequeretur de neceſſitate evangelii Pauli ab additamentis ſpuriis, quae vel per Lucam, vel per alios irrepſiſſent liberandi.

§. 9.

Illa vero, quae Iuſtinus Martyr (ſaec. II.) ſaepenumero commemoravit, *απομνημονευματα των αποστολων*, numero evangeliorum apocryphorum recte eximuntur. Quaecunque enim Iuſtinus de illis memorabilibus prodidit, omnino docent, eum neque evangelium ſecundum Hebraeos, eiusve recenſionem ſingularem [1]), neque aliud evangelium antiquum [2]), quo Matthaeus uſus fuerit, ex Luca locupletatum, neque harmoniam ex evangeliis canonicis compoſitam [3]), ſed ipſa noſtra evangelia canonica hac voce indicari voluiſſe [4]), eorumque uſum (liberiorem quidem) feciſſe [5]), exceptis paucis, quae in evangeliis noſtris non obveniunt [6]).

1) Sententia eſt *Strothii* in commentatione: Fragmente des Evangelium nach den Hebraeern aus Iuſtin dem Märtyrer, in *Eichhorn* Repertorium für bibliſche und morgenländiſche Litteratur, 1. Th. p. 1. ſſ. et *Storrii*: über den Zweck der evangeliſchen Geſchichte und der Briefe Iohannis, p. 363. ſſ. Quanquam veriſſime monent, effata Iuſtino Martyri laudata *prae ceteris* ad evangelium *Matthaei* eſſe conformata, huiusque (Matth.) et *evangelii ſecundum Hebraeos* neceſſitudinem fuiſſe interiorem (§. 6.), itemque, nonnulla eorum quae Iuſtinus attulerit, praeeuntibus veterum teſtimoniis, in ipſo ev. ſecundum Hebraeos apparuiſſe; inpedit tamen, quo minus Iuſtinum vel omnia vel pleraque ex ev. Hebrr. petiiſſe dicamus, et ipſa horum *αποuμνημονευματων* deſcriptio (Apol. II. p. 98. ed. Colon. a. 1686. *καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται*, dial.

cum Tryphone p. 331. ἐν γάρ τοῖς ἀπομνημονεύμασιν, ἅ φημι ὑπὸ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ καὶ τῶν ἐκείνοις παρακολουθησάντων συντετάχθαι), et ratio omnis atque indoles locorum multorum ex memorabilibus laudatorum, praesertim quum saepenumero ea proferantur, quibus vel hic vel ille evangelistarum canonicorum (Matthaeus potissimum aut Lucas) sermone suo graeco et narratione a ceteris *differat*. Cfr. *Gratz* kritische Untersuchungen über Iustins apostolische Denkwürdigkeiten, Stuttgart. 1814. p. 53. ff. *Paulus* theologisch-exegetisches Conservatorium, 1. Lieferung, p. 59. ff.

2) Huic coniecturae ab *Eichhornio* defensae (Einleit. in das N. T. Vol. I. p. 78. sqq.) eadem argumenta obstant. Cfr. insuper *Iustini* Mart. Apologia II. p. 98. p. 75. et alia loca multa quae docent, sermonem esse de documentis, quae *plures* scripserint, evangelicis.

3) Vd. *Gratz* in libro nota 1. laud. *Paulus* l. l. p. 70. ff. *Emmerich* in dissert. ad §. 6. laud. qui Iustinum eiusmodi harmoniam evangel. habuisse existimat, quae ex commentariis Matthaei et Lucae esset composita. His calculum adderem, si modo *saepius* apud Iustinum effata (praesertim, quae dicuntur, parallela) ex duobus pluribusve evangelistis composita occurrerent, neque eiusmodi loca, quae nonnullos in illam sententiam duxerunt, ad consuetudinem Iustini, loca aliorum scriptorum *liberius* laudandi referri facile possent.

4) *Dialogus* quippe Iustini cum *Tryphone Iudaeo*, eiusdemque *apologia* I. et II. *permulta* exhibet, quae in evangeliis *Matthaei* et *Lucae* canonicis obveniunt. Recensus effatorum, quae Iustinus laudavit, omnium accuratior exstat apud *Gratzium* in libro laud. Cfr. *De Wette* Einl. in das N. T. p. 87. seqq. Unus *Marcus* (3, 17.) habet, quae in dial. cum Tryph. p. 333. leguntur. In evangelio *Ioanneo* obveniunt, quae in dial. cum Tryph. p. 316. et Apologia II. p. 94. laudata sunt. Audimusque Iustinum satis perspicue profitentem, *memorabilia* sua ab evangeliis canonicis omnino non differre. Apol. II. p. 98. οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν. p. 75. ὡς οἱ ἀπομνημονεύσαντες πάντα τὰ περὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐδίδαξαν. Cfr. loca nota 1. et 2. laudata. His non repugnat, quod subinde (dial. cum Tryph. p. 227. p. 326.) de *uno* loquitur evangelio. Solebant illi quatuor

commentarii, quum in uno eodemque argumento tractando versarentur, ad unum referri ευαγγέλιον. *Ignatii* epist. ad Philadelph. §. 6. *Iren.* adv. haerr. l. 3. c. 11. Neque in eo haerendum, quod memorabilia sua nunquam ita laudaverit, ut *nomina* evangelistarum commemoraret. Plerumque enim haec effata memoriter attulisse videtur; neque alia loca in scriptis Iustini desideramus, quae effatum scriptoris proferant, ipso eius nomine omisso, *Apol.* II. p. 54. cohort. ad gentes p. 19. dial. cum Tryph. p. 257. Ipsa denique formula illa Xenophontea: ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων, haud dubie ea de causa Iustino praeplacuit, quod omnino sermoni graeco studuit elegantiori.

5) Consensus quidem *litteralis*, idemque perfectus, rarius deprehenditur (v. c. *dial. cum Tryph.* p. 301. 327. 333. *Apol.* II. p. 64. 75.) Plerumque aliquod apparet huius illiusve vocis aut formulae discrimen. Haud raro *sententia eadem* partim iisdem verbis, quae in textu canonico leguntur, partim simillimis (interdum admodum breviter) enuntiatur. Itemque coniuncta videmus, paucisve comprehensa, quae in textu evangeliorum nostrorum canonico variis locis obveniunt. Iustino Martyri omnino familiarem fuisse hanc rationem, effata aliorum scriptorum memoriter liberiusque proferendi, et loca docent antiqui foederis ab eo laudata, dial. cum Tryph. p. 228. p. 245. Apol. II. p. 79. 80. 86. et, quae subinde ex memorabilibus Apostolorum ita adfert, ut unum idemque effatum, iterata vice commemoratum, non iisdem plane verbis repetatur. *Apol.* II. p. 62. coll. *dial.* cum Tryph. p. 324. *Apol.* II. p. 63. coll. *dial.* p. 328. Apol. II. p. 64. coll. *dial.* p. 301. *Apol.* II. p. 95. coll. *dial.* p. 326. *Dial.* cum Tryph. p. 308. coll. p. 253. *Dial.* p. 326. coll. p. 331.

6) Cfr. *dial.* cum Tryph. p. 267. p. 296. p. 303. sq. p. 315. 316. (coll. p. 272.) p. 333. Quae Iustinus p. 315. sq. de baptismo Christi attulit, teste *Epiphanio* haer. XXX. p. 138. ed. Petav. T. I. in evangelio secundum Hebraeos legebantur. Ex his vero omnibus nihil nisi hoc efficitur, Iustinum vel praeter evangelia nostra canonica aliud documentum apocryphum, praesertim ev. secundum Hebraeos, in usum suum *subinde* convertisse, vel in suo Matthaei textu canonico additamenta deprehendisse ex ev. secundum Hebraeos desumta, vel (quod nuper defensum

est, vd. *Winer* und *Engelhardt* neues kritisches Journal der theol. Litter. 1. B. 2. St. 1824. p. 227. sqq.) eiusmodi locis traditionem secutum esse ore propagatam. Quo iure Iustinum Mart. evangelia nostra canonica usurpasse dicamus, hi potissimum recentius docuerunt: *Schütz* dissert. ad §. 6. laud. P. II. p. 1. ss. *Hug* Einl. in das N. T. T. II. p. 94. ss. ed. II. *Winer* comment. Iustinum Martyrem evangeliis canonicis usum fuisse ostenditur, Lips. 1819. 4. *Olshausen* in libro §. 6. nota 2. laud. p. 286—335. *Mynster* kleine theologische Schriften, Koppenhagen, 1825. 8.

§. 10.

De Tatiani (doctoris ecclesiae graecae Saec. II.) libro evangelico, qui *δια τεσσαρων* dicitur, non est, quod dubitemus, harmoniam fuisse ex nostris quatuor evangeliis ita adornatam [1]), ut eiusmodi loca, quae Servatorem ex gente Davidica stirpem duxisse ostendunt, praesertim genealogiae Christi, omitterentur [2]), nonnulla vero ex evangelio secundum Hebraeos textui Matthaei canonico adderentur [3]).

1) Cfr. *Euseb.* hist. eccles. l. 4. c. 29. *Theodoret.* haerett. fabb. l. 1. c. 20. *Ephraëm Syrus* Saec. 4. hoc diatessaron commentario (deperdito) illustrasse narratur. *Assemanni* bibliotheca orient. T. I. p. 57. sq. T. III. p. I. 13. Iis, qui diatessaron Tatiani ex solo evangelio secundum Hebraeos, sive ex alio pluribusve apocryphis adornatum esse coniecerunt (*Eichhorn* Einl. in das N. T. Vol. I. p. 110. ss. *Schmidt* Einl. Vol. I. p. 125. ss. *idemque* in promtuario: *Hencke* Magazin für Religionsphilosophie, Exegese, und Kirchengeschichte, 4. B. 3. St. p. 587. ss.) adversatur, quod Eusebius l. l. librum Tatiani συνάφειάν τινα καὶ συναγωγὴν τῶν ἐυαγγελίων simpliciter appellat; quod, teste Theodoreto l. l. non tantum Severiani (quae secta ex schola Tatiani prodiit) sed etiam Christiani τοις αποστολικοις ἑπομενοι δόγμασιν non dubitarunt, usum facere huius evangelii; quod ipse *Severus*, cum Tatiano prorsus consentiens, evangelia nostra canonica habuisse dicitur (Euseb. hist. eccles. l. 4. c. 29.); denique, quod Tatianus in scriptis suis eiusmodi effata attulit, quae

verbotenus apud Matthaeum et Ioannem leguntur (cfr. fragmenta apud *Clementem Alexandr.* obvia stromm. l. 3. c. 12. p. 460. et p. 463. ed. Sylburg. itemque, quae *Barhebraeus* et *Barsalibi* de initio diatessari testantur in *Assemanni* biblioth. orient. T. I. p. 57. T. II. p. 159. et *oratio Tatiani contra Graecos* p. 152. ed. Colon. a. 1686.)

2) Vd. *Theodor.* l. l. cui testimonio quo minus fidem habeamus, ratio nulla idonea prohibet.

3) Sequutus est Tatianus exemplum doctoris, Iustini Martyris. Cfr. §. 9. nota 6. Unde factum, ut nonnulli librum Tatiani pro evangelio secundum Hebraeos haberent. *Epiphanius* haerr. XLVI. c. 1. Ceterum *Victor Capuanus* (episcopus) in praefatione ad Anonymi harmoniam evangelicam (si in textu latino recte sic legitur) Tatianum evangelio suo titulum: *diapente* inposuisse perhibet, ad ipsum provocans Eusebium (quanquam in *nostris* Eusebii codd. constanter δια τεσσαρων legitur). Qua lectione (διαπεντε) probata, Tatianus ipse hoc titulo eligendo indicasse existimandus est, se praeter evangelia canonica aliud documentum (ev. secundum Hebraeos) harmoniam adornaturum adhibuisse. Cfr. *Fabricius* in codice apocr. N. T. Vol. I. p. 378. ss. et, qui lectionem *Diapente* in textu Victoris defendit, *Zahn* comment. in diario: Analekten für das Studium der exegetischen und systematischen Theologie, herausg. von *Keil* und *Tzschirner*, 2. B. 1. St. p. 165. ss. De origine evangelii Tatianei ex nostris potissimum canonicis repetenda cfr. *Feilmoser* Einl. in das N. T. p. 161. ss. *Hug* Einl. Vol. I. p. 44. ss. *Schütz* comment. laud. part. II, p. 18. ss. *Olshausen* l. l. p. 335. ss.

§. 11.

Praeterea apud doctores ecclesiae veteres haud pauca obveniunt evangelia vere apocrypha, quae minoris quidem momenti fuisse videntur, quam illa, de quibus hucusque, praesertim §. 6. 8. disputatum est. Nonnulla ex fragmentis quodammodo innotuerunt [1]; aliorum mentio tantum subinde facta est [2].

1) Evangelium *secundum Egyptios*, Saec. II. Encratitis et Sabellianis usurpatum, quanquam evangeliis Matthaei et Lucae cognatum fuisse videtur, multa tamen effata habe-

bat, quae mysticismo cuidam et vitae asceticae faverent, ab evangeliis nostris prorsus aliena. Fragmenta exstant apud *Clem. Alex.* stromm. l. 3. p. 452. p. 465. ed. Sylburg. et *Epiphanium* haeress. LXII. c. 2. An *Clemens Romanus*, quae epist. II. ad Corinthios c. 5. et c. 12. habet, ex illo ev. petierit, sub iudice lis est. Mentionem eius praeterea iniecerunt *Origenes* homilia I. in ev. Lucae, *Hieron.* prooem. comment. in Matth. *Theophylactus* comment. in ev. Lucae in. Quae ex *evangelio Basilidis* gnostici servata sunt (cfr. *Clemens* Alexandr. stromm. l. 1. p. 340. l. 3. in. p. 426. ed. Sylb. *Epiphanius* haerr. XXIV. c. 5.), si verba quaedam exceperis, cum locis Matthaei et Lucae conveniunt. Commemoratur insuper apud *Origenem* homil. I. in Lucam, *Hieron.* prooem. comment. in Matth. *Ambrosium* prooem. comment. in Lucam. *Agrippa Castore* testante idem Basilides viginti quatuor libros commentarii in evangelium consignavit, *Euseb.* hist. eccles. l. 4. c. 7. De *evangelio Apellis*, qui Marcionis sectator fuit, cfr. *Epiphan.* haerr. XLIV. c. 4. et c. 2. (ubi effatum profertur, quod Christo ille tribuit, in nostris evangeliis omnino non obvium), *Origenes* in Io. T. 19. Vol. IV. p. 289. ed. de la Rue, *Hieron.* praef. in Matth. idemque epist. 119. *Evangelium secundum Matthiam* (Matthaeo tributum, de progenie Mariae, et infantia Christi) itemque, quod *secundum Thomam* dicebatur, de infantia Christi, apud *Eusebium* hist. eccles. l. 3. c. 25. inter ea scripta refertur, quae ab haereticis sub nomine apostolorum divulgata fuerint. Cfr. *Orig.* hom. I. in Lucam. *Hieron.* praef. in Matth. *Epiphan.* haerr. XXX. c. 23. in. *Fabricii* codex apocr. N. T. Vol. I. p. 2. ss. p. 131. sq. p. 152. 351. 354. 379. 954. De *protevangelio Iacobi minoris*, quod in historia Mariae et infantia Christi enarranda subinde cum Matthaeo consentit, vd. *Origenes* comment. ad Matth. 13, 54. ss. *Epiphan.* haerr. XXX. c. 23. in. *Fabricius* l. l. p. 40. ss. *Birch* auctarium codicis apocr. N. T. Fabriciani, Havniae, 1804. p. 197. ss. *Evangelium*, quod *Nicodemo* (de quo Io. ev. c. 3. sermo est) aetas serior vindicari voluit, *post* saeculum II. ab homine quodam Iudaeo-Christiano litteris consignatum esse videtur (forsitan ex iis oriundum, quae Pontius Pilatus de fatis Christi ultimis ad Tiberium Caesarem retulisse dicebatur, *Tertull.* Apologet. c. 21. *Euseb.* hist. eccles. l. 2. c. 2.) Quanquam liber est apocryphus, usum tamen praestat interpreti historiae supplicii de Christo sumti in

evangeliis nostris expositae. Vd. *Fabricius* l. I. p. 214. ff. *Birch* auctarium p. 1. ff. *Brunn* disquisitio historico-critica de indole, aetate, et usu libri apocryphi, vulgo inscripti: evangelium Nicodemi, Berolini, 1794. 8. *Paulus* theologisch - exegetisches Conservatorium, 1. Lieferung, p. 181. ff. *Münter* Probabilien zur Leidensgeschichte aus dem Evangelium des Nicodemus, in promtuario: Archiv für alte und neue Kirchengeschichte von *Tzschirner* und *Stäudlin* herausgeg. 5. B. 2. St. Evangelium *Valentinianis* (Saec. II.) usurpatum apud *Irenaeum* commemoratur adversus haerr. l. 3. c. 11. et l. 1. c. 20. ubi historia profertur, quae ex eo depromta esse videtur.

2) De *evangelio Bartholomaei* (*Hieron.* praef. in Matth. *idemque* in catal. scriptorum eccless. c. 36. *Euseb.* hist. eccles. l. 5. c. 10. *Beda* comment. in ev. Lucae in.) dissentiunt viri docti, fueritne idem, quod in canone nostro Matthaei nomine inscribitur litteris quidem hebraicis exaratum, an simile illi, a Bartholomaeo eiusve discipulis scriptum. — De his omnibus aliisque evv. apocryphis praeter *Fabricii* codicem apocr. N. F. *Birchii*que auctarium laud. librosque *Schützii* et *Olshausenii* saepius commemoratos conferendi sunt: *Grabe* spicilegium sanctorum patrum, ut et haereticorum, saeculi post Christum natum I. II. et III. etc. Tomus I. sive saeculum 1. Oxoniae, 1698. 8. Saeculi II. Tomus I. ib. 1699. utrumque volumen iterum litteris descriptum Oxon. 1700. 8. *Beausobre* differt. de libris N. T. apocryphis, Berol. 1734. *Rössler* Bibliothek der Kirchenväter, T. IV. (Leipzig, 1777.) p. 348. ff. *Kleuker* über die Apocryphen des N. T. Hamburg, 1798. L. *Schmidt* corpus omnium veterum apocryphorum extra biblia, P. I. Hadamar, 1804. Christ. *Schmidt* comment. in promtuario: *Hencke* Magazin für Religionsphilosophie u. s. w. 4. B. 3. St. p. 576 ff. Imman. *Nitzsch* de apocryphorum evangeliorum in explorandis canonicis usu et abusu, Viteb. 1808. 4.

§. 12.

Doctores vero ecclesiae antiquissimos in sermonibus Christi laudandis sequutos esse evangeliorum apocryphorum auctoritatem [1]), ea de causa probari non potest, quod patres illi eiusmodi effata Servatoris, quae

in evangeliis nostris canonicis omnino non obveniunt [2]), ita laudare solent, ut ex traditione ore propagata haec accepisse existimari possint [3]).

1) *Eichhorn* Einl. in das N. T. Vol. I. p. 113. ff.

2) Alia multa Christi effata, quae patres antiquissimi laudaverint, in textu evangeliorum nostrorum canonicorum deprehendi, sequens §. docebit.

3) *Barnabas* epist. c. 5.: *οὕτω, φησὶν (ἰησοῦς), οἱ θέλοντες με ἰδεῖν, καὶ ἅψασθαι μου τῆς βασιλείας, ὀφείλουσι θλιβόντες καὶ παθόντες λαβεῖν με.* *Ignatius* quoque ep. ad Smyrn. c. 3. effatum Christi (quod teste *Hieron.* in catalogo scriptorum ecclesf. sub v. *Ignatius* in ev. secundum Hebraeos, et, praeeunte *Origene* περι αρχων praef. in libro: διδαχη πετρου legebatur) ita adfert, ut nullam γραφην commemoret. In *Clementis Romani* epistola II. ad Corinthios, de cuius authentia dubitatur, c. 5. et c. 12. praemissis quidem formulis: λέγει ὁ κύριος s. εἶπεν ὁ κύριος effata Christi adferuntur, in evangeliis nostris desiderata (quorum posterius c. 12. quanquam ad ea propius accedit, quae teste *Clemente Alexandr.* stromm. l. 3. p. 465. ex. Sylburg. in evangelio secundum Egyptios legebantur, uterque tamen locus ab altero ita discrepat, ut certo probari non possit, quae *Clemens Rom.* l. l. habeat, ex ev. secundum Egyptios esse desumta.) Apud *Origenem* comment. in Matth. 17, 12. Iesus dixisse narratur (φησι), διὰ τοὺς ἀσθενοῦντας ἠσθένουν, καὶ διὰ τοὺς πεινῶντας ἐπείνων. *Clemens Alexandr.* stromm. l. 6. p. 636. sq. ad effatum provocat, quod Iesus, testante Petro (φησίν ὁ πέτρος) coram apostolis pronuntiaverit, laudatque mandatum Christi Apostolis datum, ut, duodecim demum annis elapsis, Hierosolyma discederent, quod mandatum *Eusebius* hist. eccles. l. 5. c. 18. ex. ad παράδοσιν retulit. De patribus certe apostolicis *dubium* est, an evangelia apocrypha usurpaverint. Cfr. ad hanc §. *Körner* de sermonibus Christi αγραφοις, Lips. 1776. 4. *Schütz* comment. laud. part. II. p. 20. ff. *Olshausen* in libro laud. p. 407. seqq. collatis observationibus *Theilii*: *Winer und Engelhardt* neues kritisches Journal der theolog. Litter. 1. B. 2. St. p. 235. ff.

PARTIS I. CAPITIS PRIORIS SECTIO SECUNDA.

DE EVANGELIIS CANONICIS.

Particula A.

DE EVANGELIIS MATTHAEI, MARCI, LUCAE.

§. 13.

Authentiam [1]) evangeliis canonicis, quae *κατα Ματθαιον, κατα Μαρκον, κατα Λουκαν* [2]) inscribuntur, vindicatam argumentis et externis et internis defendimus. Apud patres quidem apostolicos pauca obveniunt [3]), quae, hos commentarios et innotuisse iis, et usurpatos esse, satis perspicue demonstrent. Testimonia vero numerosa eademque luculentissima et ii doctores Christiani Saeculi II. et III. qui ad ecclesiam orthodoxam referuntur, ediderunt [4]), et multi eorum, quos ecclesia antiquior haereticos [5]) adpellavit. Nec negligenda sunt scripta adversariorum doctrinae Christianae [6]).

1) *Authentiam* libri defendimus, quem *auctori*, certe *aetati* atque *genti*, cui vulgo tribuatur, recte vindicari docemus. De evangeliis nostris utrumque adfirmamus.

2) Certum est, his inscriptionibus (quamvis evangelistae ipsi, praeeuntibus documentis criticis antiquissimis, eas non adiecerint) *auctorem* evangelii indicari, sive cum plerisque ευαγγελιον κατα Ματθαιον etc. pro simplici ευαγγ. του Ματθαιου etc. accipiamus (cfr. de hoc usu praepos. κατα 2 *Maccabb.* 2, 13. *Epiphan.* haer. VIII. c. 4.) sive cum *Fritzschio* (: evang. Matthaei recensuit et cum commentariis perpetuis edidit, Lips. 1826. p. 1. ff.) vertamus: evangelium, prout id litteris consignavit Matthaeus etc. ita ut non tantum auctor indicetur, sed etiam hoc innua-

tur, idem argumentum (evangelium de Chriſto) aliorum quoque commentariis ſcriptis eſſe tractatum.

3) De pluribus quidem locis patrum apoſtolicorum, ubi effata Chriſti proferuntur, qualia Matthaeus, Marcus, Lucas exhibent, dubitari poſſit, utrum ex noſtris evangeliis canonicis haec attulerint (modo textu accuratius conſulto modo liberius), an ex traditione ore facta, v. c. *Barnabae* epiſt. c. 5. c. 19. *Clementis Rom.* ep. I. ad Corinthh. c. 13. c. 46. *Polycarpi* ep. ad Philipp. c. 2. c. 7. ex. Quae vero apud eundem *Barnabam* c. 2. verbis Chriſti laudatis (Matth. 20, 16, 22, 14.) additur obſervatio: *ſicut ſcriptum eſt*, omnino cognitionem uſumque ponit evangelii Matthaei. *Ignatius* ep. ad Smyrnn. c. 1. c. 6. ad Epheſſ. c. 14. ad Polycarpum c. 2. ad effata Servatoris in noſtris quoque evangeliis obvia provocat, *quanquam nulla* γραφὴ *commemoratur.* Idemque an locis ad Smyrnn. c. 5. c. 7. ad Philadelph. c. 5. c. 9. *evangelium* una cum *lege prophetisque* ita praedicaverit, ut voc. ευαγγελιον omnino *non poſſet* niſi de evangeliis *ſcriptis* canonicis, Ignatio cognitis, intelligi? diverſimode diſputatur. Cfr. A. *Niemeyer* über einige Stellen in den Briefen des Ignatius, in der Oppoſitionsſchrift für Theologie und Philoſophie, herausg. von *Fries*, *Schröter* und *Schmid*, 1. B. 2. H. Jena, 1828. add. *Schultheſs* neueſte theolog. Annalen und Nachrichten Januar, 1829. Nachr. p. 1. ſſ. *Papias*, Polycarpi ſodalis, Hierapoleos epiſcopus, in libro: λόγιων κυριακῶν ἐξηγήσεις (*Euſeb.* hiſt. eccleſ. l. 3. c. 39.) teſtatus eſt, Marcum, Petri interpretem, atque Matthaeum Apoſtolum, de factis ſermonibusque Servatoris commentarios litteris conſignaſſe. Ceterum auctor *epiſtolae ad Corinthios ſecundae*, quae vulgo *Clementi Romano* tribuebatur, c. 2. verba Chriſti laudat (Matth. 9, 13.), formula uſus: ἑτέρα γραφὴ λέγει, idemque c. 3. c. 4. c. 6. c. 11. alia adfert Chriſti effata (λεγει ο κυριος, ſ. ειπεν ο κυριος), quae cum locis evangeliorum Matthaei, Marci, Lucae fere prorſus conveniunt. Quod Saeculo I. apud patres apoſtlt. nonniſi pauca appareant evangeliorum noſtrorum veſtigia, neminem poteſt mirum habere, quum omnino exiguus ſit numerus documentorum Chriſtianorum, quae ex illo ſaeculo ad noſtram aetatem pervenerint.

4) *Juſtinus Martyr*, de cuius memorabilibus Apoſtolorum §. 9. diximus. *Irenaeus*, epiſcopus Lugdunenſis, et univerſe teſtatur, quatuor eſſe evangelia Matthaei, Marci,

Lucae, Ioannis, quae ab omnibus agnoscantur, contra haerr. l. 3. c. 11. coll. c. 1. et pluribus locis (v. c. 1. 3. c. 10. c. 11. c. 14.) effata eorum laudat, haeresibusque opponit. Cfr. *Süskind:* aus welchen Gründen nahm Irenaeus die Aechtheit unserer vier Evangelien an? in *Flatt* Magazin für christliche Dogmatik und Moral 6. St. *Theophilus*, Antiochiae in Syria episcopus, qui commentarium (deperditum) in evangelia canonica consignaverat (cfr. *Hieron.* comm. in Matth. prooem. Opp. T. IV. P. I. p. 3. edit. Martianay, eiusque epistola ad Algasiam l. 1. p. 197.), loca Matthaei, Lucae, Ioannis laudavit in libris ad *Autolycum* scriptis l. 1. c. 31. l. 2. c. 12. c. 13. c. 49. ex. *Clemens Alexandrinus* in libro: ὑποτυπώσεις testante *Eusebio* hist. eccles. l. 3. c. 14. de temporum serie exposuit, qua evangelia nostra scripta fuerint. Sequutus est traditiones ab *antiquioribus presbyteris* acceptas, *Euseb.* l. 1. l. 3. c. 13. De evangelio *Marci* separatim dixit in libro ὑποτυπ. sexto, *Euseb.* hist. eccl. l. 2. c. 15. Idem in operibus suis, quae nostram aetatem attigerunt, *stromatibus* potissimum, permulta evangeliorum nostrorum effata attulit (cfr. index horum locorum laudd. in ed. Sylburg. ab initio.) *Tertullianus*, presbyter Carthaginensis, cum universe adfirmat, evangelia nostra ab apostolis (Matthaeo et Ioanne) virisque apostolicis (Marco et Luca) vere esse profecta, iisque auctoritatem summam tribui apud omnes ecclesias apostolicas (*contra Marcionem* l. 4. c. 1. c. 2. c. 5. de *praescriptt.* adv. haerett. c. 36.) tum loca ex iis desumta saepenumero attulit. Eandem evangeliorum nostrorum originem apostolicam auctor agnovit *canonis* antiquissimi, quem *Muratori* in antiquitatibus Italicis medii aevi T. III. primus edidit, in codice veterrimo Mediolanensi repertum, de cuius canonis ad ecclesiam Romanam pertinentis antiquitate cfr. *Olshausen* in l. l. p. 281. ff. Apud *Athenagoram* doctorem Christianum Alexandrinum, in *legatione* pro Christst. ed. Paris. (1636.) p. 11. 36. 37. effata Christi laudantur, quae in evangg. Matthaei et Lucae obveniunt. Saeculo III. *Origenes* in homilia 13. in Genes. et hom. 7. in Iosuam. itemque in praefat. commentarii ad Matth. (*Euseb.* hist. eccles. l. 6. c. 25.) authentiam quatuor evangeliorum asseruit, eorumque usum in scriptis suis fecit creberrimum. *Eusebius*, Caesareae episcopus, suam hac de re persuasionem professus est, evangelia nostra inter scripta ὁμολογούμενα referens, l. 3. histor. eccles. c. 24. 25. (coll. c. 4. ubi de

evang. Lucae loquitur). Sub παραδοσει εκκλησιαστικῃ apud Eusebium *effata scriptorum* intelligi, qui saeculis prioribus eandem authentiam testati fuissent, docuit *Flatt:* über den Kanon des Eusebius, im Magazin für christliche Dogmatik und Moral. 8. St. p. 78. sqq. Origeni et Eusebio consentiunt *Gregorius*, Neocaesareae episcopus, epist. cathol. c. 1. oratio ad Orig. p. 53. 60. 75. 76. *Dionysius*, Alexandriae episcopus, in epistola ad *Basilidem*. *Cyprianus*, episcopus Carthaginensis, epist. 73. itemque in libris: ad *Quirinum* contra Iudaeos, l. 1. c. 8. c. 3. l. 2. c. 3. 6. 7. 29. l. 3. c. 22. exhort. ad martyr. c. 6. et alii. Sufficiunt testimonia tribus saeculis prioribus edita.

5) *Marcionem* gnosticum, etsi solum Lucae evangelium (secundum suam quidem textus graeci conformationem) usurpaverit (§. 8.) neque Matthaeum et Ioannem pro veris apostolis habuerit, legisse tamen evangelia illorum, effata docent *Tertulliani* de carne Christi c. 2. c. 3. coll. contra Marc. l. 4. c. 4. 5. *Ephraemi Syri* homil. 47. Opp. T. II. p. 542. Vd. *Olshausen* l. l. p. 357. ff. De *Tatiano* vidimus §. 10. De *Valentino* gnostico (Saec. II.) eiusque assectis scriptores vett. perhibent, eos *non* contradixisse authentiae evangeliorum nostrorum, usumque eos praesertim fecisse commentariorum Lucae atque Ioannis; testante hoc insuper indole tota placitorum, quae defendebant, et formularum, quibus usi sunt in explicandis suis dogmatibus (vd. *Olshausen* l. l. p. 385. ff.) Pervertebant vero, his praeeuntibus, *sententiam* sacrae scripturae, interpretationem sequuti arbitrariam, habebantque *insuper* suum evangelium (apocryphum, §. 11: nota 1. ex.) *Iren.* contra haerr. l. 1. c. 3. §. 6. l. 3. c. 11. §. 7. §. 9. c. 14. §. 4. *Tertull.* de praescriptt. c. 38. *Ptolomaeus*, Valentini discipulus, loca laudat ex Matthaeo et Ioanne desumta in epistola ad Floram, *Epiphan* haerr. XXXIII. *Heracleon*, qui et ipse ex Valentini schola prodierat, evangelia Ioannis et Lucae commentario illustravit, cuius fragmenta exstant apud *Clementem Alex.* stromm. l. 4. p. 502. Sylb. et *Origenem* comment. in Io. (vd. *Grabe* spicilegium patrum Vol. II. p. 85. ff.) Eundem locis evangeliorum nostrorum probantibus usum esse *Clemens Alex.* perhibet: εκλογαι εκ των προφητικων, p. 804. De *Theodoto* alio Valentini discipulo ad effata Matthaei, Lucae, Ioannis frequenter provocante cfr. liber *Clementis*

Alex. ἐκ τῶν Θεοδότου καὶ τῆς ἀνατολικῆς καλουμένης διδασκαλίας κατὰ τοὺς Οὐαλεντίνου χρόνους ἐπιτομαὶ, et *Epiphan.* haerr. LIV. Neque *Marcus* (Valentinianus) dubitavit, loca Matthaei et Lucae systemati suo defendendo accommodare, *Iren.* contra haerr. l. 1. c. 15. 16. De *Basilide* alius scholae gnosticae principe, cfr. *Euseb.* hist. eccles. l. 4. c. 7. *Clemens Alex.* stromm. l. 3. p. 426. Sylb.

6) *Celsum*, Philosophum Saec. II. evangelia nostra probe cognovisse, ex iisque argumenta petiisse, quibus doctrinam Christianam in libro: λογὸς αληθης inpugnare conaretur, permulta docent loca *Origenis* contra Celsum, ubi adversarius ille partim de evangeliis ita loquitur, ut pateat, nostra intelligi canonica (l. 2. contra Celsum c. 13. 15. 16. 26. 27. 49. 52. 53. coll. l. 5. c. 52.) partim permultas adfert narrationes, quae apud nostros evangeliorum scriptores obveniunt (l. 1. c. 41. 65. 70. l. 2. c. 24. 28. 31. 32. 34. 36. 37. 55. 58. 59. 61. 66. 72. l. 6. c. 16. l. 7. c. 18. al.) De *Porphyrio* ex provincia Basan oriundo qui Saec. III. evangelia nostra et alia N. T. scripta ita inpugnavit, ut authentiae quidem minime contradiceret, sed iis quae his libris tradita essent, argumenta sua exegetica et dogmatica opponeret, cfr. fragmenta collecta apud *Millium* prolegomm. in N. T. §. 702. 703. *Hieron.* quaest. in Genes. 1, 10. commentar. in Matth. 3, 3. 9, 9. contra Pelag. l. 2. §. 17. *Iuliano Caesari* (Apostatae) Saec. IV. Christianis irridenti, *Cyrilli Alex.* libri decem contra Iulianum scripti testantur, evangelia nostra innotuisse nec spuria visa esse. *Amelium* Philosophum evangelii Ioannei usum fecisse ex *Eusebio* patet, praepar. evang. l. 11. c. 18. ex. c. 19. — Habemus igitur pro authentia evangeliorum Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis, eorumque cognitione et usu Saec. II. in ecclesiis Syriae, Asiae minoris, Aegypti, Italiae, Galliae propagato testes gravissimos, in terris diversissimis versantes, placitisque diversissimis addictos. Alia est quaestio, quo tempore quatuor evangelia uno eodemque volumine comprehendi coeperint? Cfr. *Winer* und *Engelhardt* neues kritisches Journal der theolog. Litteratur, 1. B. 2. St. p. 220. ff.

§. 14.

Rerum ipsarum, in his commentariis memoriae traditarum indoles [x]), et universa narrandi scribendi-

que ratio [2]) cum populo atque tempori, cui evangelia nostra tribuuntur, tum iis, quorum nomina prae se ferunt, auctoribus quovis pacto est accommodata. Immo, quaecunque apud Matthaeum, Marcum, Lucam obveniunt, ita comparata sunt, ut coniecturam eorum, qui libros illos saeculo demum secundo litteris consignatos esse coniecerint, argumentis internis prorsus evertant.

1) a) Accuratam dico, quam evangelistae nostri prodiderunt, rerum gestarum, institutorum, rituum *illius* saeculi, gentisque Iudaicae cognitionem, collatis Philone, Iosepho, auctoribusque profanis (cfr. v. c. quae variis locis de templo Hierosolymitano, de cultu Iudaeorum sacro, de legibus et institutis, quae eo demum tempore, quo Iudaei ab inperio Romano pendebant, inter illos invaluerant, dicuntur); b) quaecunque divisionem Palaestinae, qualis illo tempore fuit, multorumque locorum situm et indolem (seriori aevo, quum bello atrocissimo Iudaeorum cum Romanis gesto haud exigua pars Palaestinae devastata fuisset, diversimode immutatam) attingunt; c) eiusmodi loca, quae ad opiniones sectasque Iudaeorum illius aevi pertinent. Exempla multa *Haenlein* Handbuch der Einleitung in das N. T. Vol. I. p. 50. ff. et *Hug* Einl. Vol. I. (ed. II.) p. 9. ff. suppeditarunt. Quae *subinde* cum historia terrarum populorumque apud alium scriptorem exposita non prorsus convenire videntur, non tanti sunt ponderis, ut authentiam evangeliorum dubiam reddere possint, praesertim, α) quum narrationis ab aliquo propositae vanitas ex *solo* alius, aliorumve scriptorum *silentio* (cuius causae probabiles haud raro in promtu sunt) evinci nequeat, β) quum pluribus locis, quae primo obtutu apparet, repugnantia, accuratiori locorum examine instituto, evanescat, γ) quum nemo facile demonstret, scriptoribus sacris *nunquam* potuisse *in rebus historicis* aliquem memoriae errorem excidere. Praeterea, quaecunque evangeliorum effata ipsam horum scriptorum de variis rebus sentiendi et iudicandi rationem declarant, ita comparata sunt, ut iis potissimum viris, quorum nomina evangelia nostra prae se ferunt, apprime conveniant (v. c. quae de daemoniacis saepe obve-

niunt, sive, quae Matthaeus potissimum habet de effatis V. T. ad Messiam translatis.)

2) Sermo est *hebraico* — graecus, quamquam hebraismi apud Lucam, quem veteres extra Palaestinam natum fuisse perhibent, minus frequenter obveniunt, quam in commentariis Matthaei (inter Iudaeos Palaestinenses nati et educati) atque Marci. Orationis *simplicitas*, dicendi generi, quod in libris historicis V. T. obtinet, simillima, eiusmodi viros evangeliorum auctores fuisse ostendit, qui neque ex scholis rhetorum prodiissent, nec laudem eloquentiae captarent. Quaecunque de Iesu Christi dictis, fatis, factisque enarrant, tanta sermonis *confidentia* tradunt, de veritate narrationum contra dubitationes defendenda parum solliciti, tantaque *evidentia*, quae in ipsa historiae brevitate saepenumero apparet, ut eiusmodi scriptores audiamus loquentes, de veritate narrationum suarum persuasissimos, qui partim ipsi essent testes rerum gestarum oculati, partim a testibus oculatis edocti. Denique, quod narratio horum virorum in tempore, loco, aliisque eiusmodi rebus notandis saepenumero parum definita est, itemque haud pauca tanquam lectoribus (aevi apostolici) abunde cognita ponit (quae observatione nulla indigeant) non permittit, ut origo evangeliorum nostrorum ad aevum serius referatur.

Cfr. ad §. 13. 14. α) qui universe de argumentis authentiae scriptorum N. F. uberius disseruerunt; Nathan. *Lardner* Glaubwürdigkeit der evangelischen Geschichte, 1. Theil, und 2. Theils 1. und 2. Band, aus dem Englischen übersetzt von Dav. *Bruhn*, Berlin und Leipzig, 1750. 2 Theils 3. und 4. Band, übers. von D. *Heilmann*, 1750. 51. *Semmler* Abhandlung von freier Untersuchung des Canon, Halle, 1771 — 1775. 4 Volumm. *Walch* kritische Untersuchung vom Gebrauch der heiligen Schrift unter den alten Christen in den vier ersten Jahrhunderten, Leipzig 1779. 8. *Less* Wahrheit der christlichen Religion, 5. Auflage, (oder 2. Theil s. Werkes über die Religion, ihre Geschichte, Wahl, und Bestätigung) Göttingen, 1785. *Nösselt* Vertheidigung der Wahrheit und Göttlichkeit der christlichen Religion, 2. Auflage, Halle, 1767. §. 304. ff. *Paley* Uebersicht und Prüfung der Beweise und Zeugnisse für das Christenthum, übers. aus dem Englischen mit einer Vorrede von *Nösselt*, Leipzig, 1797. 2. Voll. *Kleuker* ausführliche Untersuchung der Gründe für die Aechtheit und

Glaubwürdigkeit der schriftlichen Urkunden des Christenthums, 2. B. Münster, 1793. 1795. β) Qui locum de authentia evangeliorum separatim tractaverunt: *Olshausen* in libro saepius laud. *Paulus* theologisch-exegetisches Conservatorium, erste Lieferung, p. 143. ff.

§. 15.

Cognationem interiorem, quae cuivis lectori facile apparet [1]), evangeliorum Matthaei, Marci, Lucae explicaturi duplicem viam ingressi sunt Theologi. Haud pauci enim unum horum commentariorum ab auctoribus ceterorum lectum et usurpatum esse existimant [2]). Et de Marco quidem argumenta evincunt idonea ex ipsa evangelii indole desumta, hunc evangelistam et Matthaei et Lucae usum fecisse [3]). Quod vero Matthaeum [4]) attinet et Lucam [5]), utriusque libri ceterorumque comparatio docet accurate instituta, utrumque a ceteris minime pependisse.

1) a) Permulta sunt, de Iesu Christi historia sermonibusque exposita, quae Matthaeus, Marcus, Lucas exhibeant, ita ut quadraginta duae potissimum sectiones parallelae appareant, quae veluti epitomen rerum Iesu Christi integram complecti videantur. Aliquam vero partem narrationum evangelicarum *duo* tantum evangelistae suppeditarunt. Nec desunt sectiones *singulis* propriae. b) Consentiunt in ordine et oeconomia historiae Christi, si capita primaria eorumque summam spectaveris. In iis maxime commorantur, quae Iesus in *Galilaea* fecerit et docuerit, quum evangelium quartum Servatorem in *Iudaea* versantem frequentius exhibeat. Quod vero singula attinet, haud raro dissentiunt, ita ut Matthaeus quidem haud raro coniungat, quae eiusdem sint argumenti, Lucas vero, cui Marcus hac in re plerumque consentit, temporis rationes magis sequatur. c) Sectiones horum evangeliorum parallelae, quae de iisdem rebus gestis sermonibusve exponunt, in rebus primariis ubique consentiunt, solentque, ubi effata aliorum hominum referunt, in ipsis verbis conspirare. Iidem vero evangelistae, ubi vel caus-

sas dictorum sive factorum proferunt, vel adiunctas et temporis et loci rationes commemorant, frequenter dissident. d) In iisdem sectionibus parallelis vel trium, vel duorum evangelistarum, *orationis* et convenientia mira et discrepantia haud raro animadvertitur. Cfr. *Eichhorn* Einl. in das N. T. Vol. I. p. 148 ff. *Bertholdt* historisch-kritische Einleitung etc. Vol. III. p. 1098. ff. *Gratz* neuer Versuch, die Entstehung der drei ersten Evangelien zu erklären, Tübingen, 1812. p. 1. ff. p. 33. ff. p. 63. ff. *Theile* diffsert. I. de trium evangeliorum necessitudine, Lips. 1823. p. 15—22. *De Wette* Einl. in das N. T. p. 128. ff.

2) Quam diversimode hac de re iudicatum fuerit, §. sequens docebit.

3) Haec argumenta a) in ipso *rerum* a Marco narratarum *delectu* et *ordine* deprehendimus. Exceptis paucis, quaecunque Marcus habet, vel apud Matthaeum et Lucam, vel apud *alterutrum* horum evangelistarum obveniunt. Narratio Marci modo ad Matthaeum, modo ad Lucam propius accedit, ita quidem, ut in eiusmodi quoque sectionibus, quae cum sectionibus parallelis *unius* horum scriptorum, si summam spectaveris, praecipue conveniunt, singula tamen appareant, quae *alterum* potius veluti ducem sequantur. Videmusque Marcum *ordinem seriemque narrationis* eius, quem hucusque aliquamdiu sequutus fuerat, evangelistae iis locis deserentem, ubi narrationibus huius evangelistae aliquid addendum putabat, quod apud alterum, quem ducem *prius* sequutus fuerat, eo loco legitur, ubi *huius* vestigia premere desierat. Cf. v. c. *Marcus* c. 1. v. 2. 3. *Luc.* 3, 4. 5. *Marcus* c. 1. v. 4. 5. 6. *Matth.* c. 3. v. 4. 5. 6. *Marc.* v. 7. *Luc.* 3, 16, *Marc.* 1. v. 14—20. *Matth.* 4. 17—22. *Marc.* 1, 21—34. *Luc.* 4. 31—41. (*Matth.* narrationem de socru Petri sanata alio loco habet, pluribus interpositis, c. 8. v. 14 sqq. Oratio Christi montana *Matth.* c. 5. 6. 7. exposita, in commentario Lucae alio loco itemque brevius relata, apud Marcum prorsus omittitur, excepta observatione, quam Matthaeus in epilogo c. 7. v. 28. sq. habet, apud Marcum 1, 22. inserta.) *Marc.* 1, 35—39. *Luc.* 4, 42—44. *Marci* 1, 40—45. *Matth.* 8, 1—4. *Luc.* 5, 12—16. *Marci* 2, 1—12. *Luc.* 5, 17—26. *Matth.* 9, 1—8. (Cum Luca h. l. Marcus, quod *ambitum* narrationis attinet, magis conspirat, quam

cum Matthaeo.) *Marci* 2, 13 — 22. *Matth.* 9, 9 — 17. *Luc.* 5, 27 — 39. (Cum utroque consentit.) *Marci* 2, 23 — 28. c. 3. *Luc.* c. 6. 7. *Matth.* 12, 1 — 16. 10, 2. 3. 4. 8, 5 — 17. 11, 2 — 19. (Ab ordine, quem Matthaeus sequitur, multum discrepat, ad Lucam usque ad c. 3. v. 19. propius accedens.) *Marci* 4, 1 — 20. *Matth.* 13, 1 — 22. *Luc.* 8, 4 — 15. (Marcus potissimum et Matth. h. l. in ambitu narrationis et modo narrandi conveniunt.) *Marci* 4, 21 — 25. *Luc.* 8, 16 — 18. (Uterque h. l. Matthaeum comitem non habet.) *Marci* 4, 26 — 29. (apud solum leguntur Marcum) *Marci* 4, 30 — 34. *Matth.* 13, 31 — 34. *Luc.* 13, 18. 19. (Marcus h. l. eandem, quam Matthaeus, usurpavit sermonis ubertatem in parabola Christi enarranda, omissa, quam et Lucas 13, 20. 21. et Matthaeus 13, 33. uterque tamen in diversa narrationum serie, exhibuit, similitudine.) *Marci* 4, 35 — 41. *Matth.* 8, 18 — 27. *Luc.* 8, 22 — 25. (Apud Marcum h. l. exceptis, quae addidit, paucis, idem narrationis ambitus, qui apud ceteros apparet. Omittuntur tantum, quae Matthaeus solus v. 19 — 22. interposuit.) *Marci* 5, 1 — 21. *Luc.* 8, 26 — 40. *Matth.* 8, 28 — 34. (Ad Lucam h. l. multo propius accedit, quam ad Matthaeum, quum partim aeque ac Lucas *unius* tantum daemoniaci mentionem faciat, Matthaeo duos commemorante, partim easdem observationes habeat, rem gestam amplius illustrantes, a Matthaeo omissas, quae apud Lucam leguntur.) *Marci* 5, 22 — 43. *Luc.* 8, 41 — 56. *Matth.* 9, 2 — 26. (Quae *Matth.* c. 9, v. 2 — 17. habet, eadem Marcus supra 2, 1 — 22. *consentiente Luca* 5, 17 — 39. alia exhibuerat narrationum serie. Quae deinde apud Matthaeum sequuntur 9, 18 — 26. brevius sunt exposita, quam apud Lucam 8, 41. ff. et Marcum 5, 22, ff. fere eadem narrationis ubertate usos.) *Marci* 6, 1 — 6. *Matth.* 13, 53 — 58. Marcus, qui antea Lucam potissimum ducem sequutus fuerat, h. l. ad *Matthaeum* sese convertit, iisdem fere verbis historiam tradens, quam Lucas, alii tempori adsignatam, c. 4. v. 16 — 30. non eodem prorsus modo copiosius exposuerat, illamque historiam suo commentario inserit *eiusmodi loco*, ut, si Matthaeus consulatur (13, 51. 52. 53. ff.) facile pateat, *rediisse* Marcum ad eam sectionem Matthaei, qua plures Christi parabolae ad regnum divinum spectantes proponuntur, de quibus etiam Marcus 4, 1 — 34. loquutus fuerat, ita quidem, ut nonnullas tantum apud Matthaeum narratas exhiberet, deinde

c. 4. v. 35. praesertim inde a c. 5, 1. ad Lucam se converteret. Sufficiant exempla laudata, quibus alia permulta facile addit, qui commentarium Marci, ceteris collatum, accurate perlustraverit. Praecipue observanda sunt in sectionibus Marci, Matthaei, Lucae parallelis additamenta breviora (vel observationum, quibus res narrata amplius illustratur, vel, ubi aliquis loquens inducitur, verborum), quae *praeter Marcum* modo Lucas *solus*, modo Matthaeus *solus* exhibet. Subinde Marcus, quae Lucas tantum addidit, et, quae Matthaeus solus habet, coniuncta suppeditat; v. c. *Marci* 6, 14. 15. *Matth.* 14, 1. 2. *Luc.* 9, 7. 8. sive *Marci* 9, 6. *Luc.* 9, 33. (μὴ εἰδὼς ὃ λέγει, deest apud *Matth.* 17, 4.) *Marci* 9, 11. 12. 13. *Matth.* 17, 10. 11. 12. (desunt apud *Lucam* 9, 36.)
b) Accedunt argumenta ex *elocutione* desumta, singulisque *vocibus* et *formulis* a Marco usurpatis. Negari enim non potest, α) orationem Marci in sectionibus evangelistarum parallelis modo ad Matthaeum, modo ad Lucam conformatam esse, β) Marcum, ceteris collatum, haud raro verba ponere lectiora, ex more scriptoris, qui alium praeeuntem ita sequatur, ut subinde consulto formulam adhibeat sibi magis probatam, γ) eundemque saepenumero in eadem narationis serie et phrases Matthaeo adhibitas, et, quas Lucas loco parallelo de eadem re usurpaverit, coniunctas suppeditare. Exemplo inserviat caput I. Marci v. 4.: βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Luc.* 3, 3. (κηρύσσων βάπτισμα etc.) *Matth.* 3, 1. κηρύσσων ἐν τῇ ἐρήμῳ etc. *Marc.* v. 6. *Matth.* 3, 4. Locutioni hebraico-graecae in Matthaeo obviae: αὐτὸς δὲ ὁ ἰωάννης εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ etc. apud Marcum magis graeca substituitur: ἦν δὲ ἰωάννης ἐνδεδυμένος τρίχας etc. *Marc.* v. 7. 8. quanquam ordo enuntiationum non prorsus idem apparet, verba tamen fere eadem sunt, quae *Lucas* 3, 16. exhibet. Additur, quod apud Lucam deest, ὀπίσω μου praeeunte *Matth.* 3, 11. Pro βαπτίζω (apud Matth. et L.) Marcus: ἐβάπτισα, ut aoristi forma continuationem actionis involvat. Enuntiationes: ἐγὼ μὲν ἐβάπτισα etc. αὐτὸς δὲ βαπτίσει etc. apud Marcum propius coniunguntur, quo magis perspicua appareat antithesis. *Marc.* v. 9. 10. 11. Marcus (v. 9.) ἀπὸ Ναζαρὲτ τῆς γαλιλαίας, Matthaeus (3, 13.) minus definite: ἀπὸ τῆς γαλιλαίας. Marcus (v. 10.) εἶδε σχιζομένους τοὺς οὐρανοὺς, pro verbis Matthaei (3, 16)

ad sermonem hebraicum propius accedentibus: *καὶ ἰδοὺ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί.* v. 11. cum *Luca* 3, 22. orationem Dei exhibet secunda persona utentem: *σὺ εἶ ὁ υἱός μου* etc. (Matth. 3, 17. *οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου,* etc.) quanquam verba postrema: *ἐν ᾧ εὐδόκησα* cum *Matthaeo* prorsus conveniunt (Lucas: *ἐν σοὶ εὐδοκ.*) Textus graeci apud Marcum ex Matthaeo et Luca compositi exempla praecipue notanda: *Marci* 1, 32. (*Matth.* 8, 16. *Luc.* 4, 40.) *Marci* 1, 42. (*Matth.* 8, 3. *Luc.* 5, 13.) *Marci* 1, 44. (*Matth.* 8, 4. *Luc.* 5, 14.) *Marci* 2, 14. (*Matth.* 9, 9. *Luc.* 5, 27. sq.) *Marci* 2, 22. (*Matth.* 9, 17. *Luc.* 5, 37.) *Marci* 4, 15. (*Matth.* 13, 19. *Luc.* 8, 12.) *Marci* 4, 41. (*Matth.* 8, 27. *Luc.* 8, 25.) *Marci* 5, 22. 23. (*Matth.* 9, 18. *Luc.* 8, 41. sq.) *Marc.* 6, 8. 9. (*Matth.* 10, 9. 10. *Luc.* 9, 3.) *Marc.* 11, 1. 2. 3. (*Matth.* 21, 1. 2. 3. *Luc.* 19, 29. 30. 31.) *Marc.* 12, 14. (*Matth.* 22, 16. *Luc.* 20, 21.) *Marc.* 12, 26. (*Matth.* 22, 31. *Luc.* 20, 37.) *Marc.* 14, 1. (*Matth.* 26, 2. *Luc.* 22, 1.) *Marc.* 14, 12. 13. (*Matth.* 26, 17. sq. *Luc.* 22, 7.) *Marc.* 14, 36. (*Matth.* 26, 39. *Luc.* 22, 42.) *Marc.* 14, 54. sq. (*Matth.* 26, 58. sq. *Luc.* 22, 54. sq.) Quo minus, tot vestigiis praeeuntibus, Marcum a Matthaeo et Luca pependisse existimemus, minime inpedit, quod commentarius Marci haud pauca eorum, quae vel Matthaeus solus, vel Lucas solus retulit, itemque nonnulla apud utrumque obvia omisit. Consilium quippe Marci, (de quo posthac videbimus), evangelium brevius in usum lectorum, qui extra Palaestinam essent, litteris consignaturi, neque exigebat, neque permittebat, ut omnia reciperet, quae ceteri exposuissent. Neque obstat, quod oratio Marci in eiusmodi rebus gestis, quas ceteri quoque habent, enarrandis subinde minus accurata ac definita, minusve perspicua apparet, v. c. *Marci* 1, 13. (Matth. 4, 2. 3.) *Marc.* 10, 13. (Matth. 19, 13.) *Marc.* 8, 31. (Matth. 16, 21.) *Marc.* 4, 22. (Matth. 10, 26.) *Marc.* 10, 17. (Luc. 18, 18.) *Marc.* 11, 5. (Luc. 19, 33.) Talia quippe rarius obveniunt. Multo frequentius, quae vel Matthaeus, vel Lucas, vel uterque habet, accuratius exponit, amplificat, illustrat. Exempla permulta laud. *Dan. Schulze*: über den schriftstellerischen Charakter und Werth des Evangel. Marcus, in den *Analekten* für das Studium der exegetischen und systemat. Theologie herausg. v. *Keil* und *Tzschirner*, 2. B. 2. St. Leipz. 1814. p. 107. sqq. Neque

Marcum a ceteris ita pependisse dicimus, ut vel singula eorum verba *ubique* ante oculos haberet et anxie premeret, vel de omnibus iis, quae illi enarravissent, in compendium redigendis cogitaret. Immo, quum se accingeret ad historiam rerum Christi (quae *primum* ex evangelio primitivo *ore* propagato ipsi innotuerat) commentario breviori comprehendendam, quae Matthaeus et Lucas litteris consignaverant, contulit, ita quidem, ut in quibusdam sectionibus Matthaeum, in aliis Lucam potissimum (altero haud neglecto) ante oculos haberet, et, quanquam haud pauca prorsus omitteret, nonnulla brevius contraheret, plerumque tamen in iis sectionibus, quibus loca parallela vel Matthaei, vel Lucae, vel utriusque respondent, narrationem exhiberet ampliorem, addendis modo iis, quae apud alterutrum horum evangelistarum deprehendisset (ab altero omissa), modo aliis, quae Marco aliunde innotuerant, nec raro voces phrasesque ab iis, quibus Matthaeus et Lucas eandem rem descripserant, *diversas* adhiberet (quod posterius partim consulto factum esse videtur, ut res narrata vel definitius, vel magis perspicue, vel sermone hebraismum minus, quam apud Matthaeum, referente exprimeretur, partim sine eiusmodi consilio certo, quemadmodum alii faciunt, qui rem gestam, cuius historiam in commentario alius scriptoris lectam memoria tenent, ipsi enarrant, in rebus minoris momenti *de iisdem verbis referendis* minus solliciti.) Cfr. *Griesbachii* comment. I. et II. qua Marci evangelium totum e Matthaei et Lucae commentariis decerptum esse monstratur, Ienae, 1789. 1790. 4. recognita in commentatt. theoll. a *Velthusen, Kuinoel, Ruperti* editis, Vol. I. Lips. 1794. 8. p. 360. sqq. inserta *opusculis Griesbachii* academm. ed. *Gabler*, Vol. II. Ienae, 1825. 8. p. 358. sqq. *Paulus* theologisch-exegetisches Conservatorium *erste* Lieferung, p. 95 sqq. coll. p. 152. ff. *Heinr. Saunier* über die Quellen des Evangelium des Marcus, Berlin, 1825. 8.

4) Ut taceam, difficulter intelligi, quomodo consensus ille *verbalis*, qui in variis trium evangelistarum sectionibus parallelis deprehenditur, exstiterit, si Matthaeus (quod multi volunt) evangelium *hebraicum* s. *syro chaldaicum* scribens commentariis Marci et Lucae *graece* exaratis, tanquam fontibus, usus fuisse existimetur (nisi auctorem versionis graecae Matthaei in vertendo sectiones parallelas Marci et Lucae aliis quidem locis consuluisse, aliis

neglexisse dicamus), haec potissimum obstant argumenta. a) elocutio Marci pluribus locis eiusmodi sectionum, quas uterque, et Matthaeus, et Marcus habet, vel magis graeca, vel magis perspicua et definita apparet. v. c. *Matth.* 3, 4. *Marc.* 1, 6. *Matth* 3, 13. *Marc.* 1, 9. *Matth.* 3, 16. *Marc.* 1, 10. *Matth.* 16, 25. (εὑρήσει αὐτὴν) *Marc.* 8, 35. (σώσει αὐτὴν) *Matth.* 16, 28. (ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ) *Marc.* 9, 1. (τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει). Quaeritur, si Matthaeus Marcum ducem sequutus fuisse putetur, quare his similibusque locis maluerit voces formulasque minus graecas, minusve perspicuas et accuratas adhibere? Concedendum certe esset, Matthaeum, etsi commentarium Marci cognoverit, et perlustraverit, minime tamen in singulis omnibus ab eo pependisse. b) Videmus Marcum haud raro earundem, quas Matthaei evangelium continet, rerum gestarum historiam exhibentem magis perfectam et definitam, v. c. *Marc.* 2, 2. ff. *Matth.* 9, 1. ff. *Marc.* 3, 11. 12. *Matth.* 12, 15. 16. *Marc.* 5, 1. ff. *Matth.* 8, 28. ff. *Marci* 5, 22. ff. *Matth.* 9, 18. ff. *Marci* 6, 21. ff. *Matth.* 14, 6. al. Itemque prorsus omittuntur apud Matthaeum, quae Marcus habet 1, 1. 2. 23. ff. 7, 32. ff. 8, 22. ff. 12, 41. ff. Quaeritur, quare Matthaeus, quum loca V. T. ad historiam Iesu Christi lubentissime transferat, et facta Servatoris insignia studiosius persequatur, neque omnino brevitatem pariter, atque Marcus, sectatus fuisse videatur, haec omnia, apud Marcum obvia, intacta reliquerit? c) Quae de Matthaeo, similitudinem rerum narrandarum potius, quam temporis ordinem sectante dicuntur, non ubique sufficiunt, ut causa pateat idonea, quae illum moverit, ut ab eo, quem Marcus tenuit, ordine, consulto deflecteret. v. c. *Matth.* 10, 1. ff. 5. ff. *Marc.* 3, 14. ff. 6, 7 ff. Eademque argumenta, impediunt, quo minus Matthaeus usum fecisse putetur commentarii Lucae, quippe qui narrationes permultas exhibet (c. 4, 16. ff. c. 7, 11. ff. 36. ff. c. 10, 30. ff. c. 11, 5. ff. c. 15. c. 16, 1—12. 19—31. c. 18, 1—8. 9—14. c. 19, 1. ff. c. 24, 13. ff.) in evangelio Matthaei prorsus omissas, pluribusque locis historiam magis perfectam, accuratam, perspicuam proponit (*Luc.* 3, 1. 2. *Matth.* 3, 1. *Luc.* 3, 10—14. *Matth.* 3, 10. f. *Luc.* 3, 23. *Matth.* 3, 17. *Luc.* 4, 38 ff. *Matth.* 8, 14. ff. *Luc.* 5, 18 ff. *Matth.* 9, 2. 3. *Luc.* 5, 27. ff. *Matth.* 9, 9. ff. *Luc.* 6, 1. *Matth.* 12, 1. *Luc.* 6, 6. ff. *Matth.* 12, 9. ff.

Luc. 7, 18. *Matth.* 11, 2. *Luc.* 8, 41. 42. *Matth.* 9, 18. *Luc.* 11, 11. 12. *Matth.* 7, 9. 10. *Luc.* 11, 34 ff. *Matth.* 6, 22. sq. *Luc.* 22, 8. *Matth.* 26, 17. *Luc.* 23, 50. *Matth.* 27, 57.)

5) a) Quanquam Lucas de eo cogitavit, ut commentarium de rebus Christi uberiorem exhiberet (ev. c. 1. v. 3.), nihil tamen de iis rebus gestis dictisque exposuit, quae apud *Matthaeum* 9, 27. ff. 13, 24. ff. 14, 22. ff. 15, 21. ff. 32. ff. 16, 1—12. 17, 24. ff. 19, 1—12. 22, 34. ff. 25, 1—13. 31—46. 26, 6. ff. 27, 28. ff. apud *Marcum* 1, 16. ff. 6, 45. ff. c. 7. c. 8, 1—26. 10, 1—10. 12, 28. ff. 14, 3. ff. 15, 17. ff. obveniunt. b) Subinde Lucas ab eo ordine, quem ceteri in rebus gestis enarrandis tenuerunt, ita deflectit, ut causam huius discrepantiae probabilem omnino desideremus, si Lucas commentarios Matthaei et Marci ante oculos habuisse existimetur. Cfr. *Luc.* 12, 10. *Matth.* 12, 31. coll. v. 25. ff. *Marci* 3, 28. coll. v. 22. ff. *Luc.* 22, 18. *Matth.* 26, 29. *Marci* 14, 25. c) Narratio apud Lucam pluribus locis, ubi eadem facta, quae ceteri tradiderunt, eosdemve sermones persequitur, minus perfecta et accurata apparet. *Luc.* 3, 7. *Matth.* 3, 7. *Luc.* 4, 42. *Marc.* 1, 35. ff. *Luc.* 6, 6. 9. 10. *Marci* 2, 27. sq. 3, 4. 5. *Luc.* 8, 8. *Matth.* 13, 8. *Marc.* 4, 8. *Luc.* 8, 21. *Matth.* 12, 49. *Marc.* 3, 33. sq. *Luc.* 9, 1. *Marc.* 6, 7. *Luc.* 9, 28. (ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτώ) *Marci* 9, 2. *Matth.* 17, 1. (μεθ' ἡμέρας ἕξ.) *Luc.* 9, 57. *Matth.* 8, 19. *Luc.* 11, 14. ff. *Marc.* 3, 21. ff. *Luc.* 11, 29. *Matth.* 12, 38. sq. *Luc.* 12, 31. *Matth.* 6, 33. *Luc.* 20, 20. *Matth.* 22, 15. *Marc.* 12, 13. *Luc.* 22, 5. *Matth.* 26, 15. *Luc.* 22, 40. *Matth.* 26, 36. *Marc.* 14, 32. *Luc.* 22, 54. *Matth.* 26, 57. *Marc.* 14, 53. d) Ex ipso *prooemio* evangelii Lucae (c. 1, 1—4.) patet, ea, quae canone nostro, praeter Lucae commentarium, continentur evangelia, Matthaei potissimum et Ioannis, vel nondum omnino prodiisse, priusquam Lucas scriberet, vel huic certe evangelistae, quum se accingeret ad commentarium suum litteris consignandum, non innotuisse. Sententia prooemii haec est; *quandoquidem multi manum admoverunt adornandae narrationi rerum inter nos consummatarum, prouti* (eas) *nobis tradiderunt, qui ab initio testes* (earum) *oculati fuerunt et ministri doctrinae; mihi etiam visum est a principio inde omnes illas* (res gestas) *diligenter persequuto, deinceps in usum Tuum, optime Theophi-*

le, *litteris* (eas) *consignare*, *ut veritatem sermonum, quos auditione accepisti*, *indubitatam cognosceres*. Sub πολλοις v. 1. scriptores intelliguntur, nobis incogniti, qui, quanquam non integra evangelia, documenta tamen consignaverant breviora, quae vel singulas historiae Christi partes paucis complecterentur, vel brevem totius Christi vitae conspectum ita exhiberent, ut in rebus primariis acquiescerent. Tota quippe phrasis v. 1. ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν scriptionem potius indicat, quam narrationem ore traditam, et ipse Lucas verbis v. 3. ἔδοξε κἀμοὶ etc. satis perspicue semet ipsum, de rebus Christi *scripturum*, aliis *adiungit*, qui ante ipsum idem instituerant, promittitque Theophilo, se, quum totam illam πραγμάτων πεπληροφορημένων seriem ανωθεν (ab initio inde) accurate perlustrasset, commentarium *uberiorem* exhibiturum. Illa vero documenta breviora evangelica prodiisse dicit (v. 2.) ex sermonibus testium vitae Iesu Christi terrestris oculatorum, primorumque evangelii praeconum, qui historiam Servatoris *ore* propagassent. Quanquam non aperte profitetur, ex numero horum αὐτόπτων et ὑπηρετῶν τοῦ λόγου *scriptores* illos πολλους (v. 1.) *eximendos* esse; verba tamen v. 1. ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν et v. 2. παρέδοσαν ἡμῖν etc. ita apparent distincta, ut facile nobis persuadeamus, πολλους illos (v. 1.) *non eosdem* esse, qui v. 2. αυτοπται et υπηρεται του λογου appellentur. Nec probabile est, Lucam, si commentarios Matthaei et Ioannis cognovisset, utrumque communi nomine πολλων comprehendi voluisse, mentione nulla evangeliorum ab apostolis exhibitorum iniecta, praesertim, quum uterque non paucis re defunctus esset, sed historiam Christi *uberiorem* proposuisset. Uterque enim ανωθεν exorsus est, Matthaeus quidem natalibus Christi enarrandis, Ioannes vero ad λογον, qui προς θεον fuerit, redeundo. Lucas vero de illis πολλοις ita loquitur (v. 1. 3.) tanquam si ipse *primus* fuerit, qui historiam illam ανωθεν repeteret. Uberius de his exposui in programmate meo de prooemio evangelii Lucae eiusque usu in quaestione de fontibus evangeliorum tractanda, Ienae, 1828. 4.

§. 16.

His praemissis, facilius diiudicare licet diversissimas, quae hoc priori genere comprehenduntur, virorum doctorum sententias: A) Matthaei evangelium ceteris tempore prius fuit a) Marcus deinde Matthaeum, Lucas vero utrumque ducem sequutus est [1]), b) Lucas deinde Matthaei, Marcus vero utriusque usum fecit [2]). B) Marci evangelium ceteris tempore prius fuit, Marcum deinde Matthaeus (hebraice s. syrochaldaice scribens), itemque Lucas Marcum, auctor denique versionis graecae Matthaei et Marcum et Lucam consuluit [3]). C) Lucae evangelium ceteris tempore prius fuit, a) Matthaeus deinde Lucae commentarium, Marcus vero utrumque adiit [4]), b) Marcus deinde evangelio Lucae, Matthaeus vero et Marco et Luca usus est [5]).

1) Cfr. *Grotius* adnotatt. ad Matth. 1, 1. Luc. 1, 1. *Millius* prolegomm. in N. T. §. 109. §. 116. *Wettsienii* editio N. T. praef. ad. ev. Marci, et ev. Lucae. *Townson* Abhandlungen über die vier Evangelien, mit Zusätzen von *Sammler*, T. I. p. 275. T. II. p. 1. sqq. *F. Seiler* de tempore et ordine, quo tria evangelia priora canonica scripta sint, Erlangae, sectio I. 1805. sectio II. 1806. 4. *Hug* Einleitung etc. T. II. p. 100. ff. p. 186. sqq. (2. Auflage). *Benzenberg* in diario: theologische Nachrichten Iahrgang 1809. p. 226. sqq. Inter veteres *Augustinus* de consensu evangelistarum l. 1. c. 4. de *Marco* professus fuerat: Matthaeum subsecutus *tanquam* pedissequus et breviator eius videtur. Quamquam ab Augustini auctoritate non pendemus, et ne probari quidem potest, Augustinum haec ita dixisse, ut Marco *consilium* tribueret, evangelium Matthaei in compendium redigendi (cfr. *Gieseler* in l. l. historisch-kritischer Versuch über die Entstehung der schriftlichen Evangelien p. 34. sq.) argumenta tamen idonea, de quibus §. 15. nota 3. dictum est, hoc evincunt, Marcum omnino a Matthaeo itemque a Luca pependisse, nec obstant huic sententiae, quae *Koppe* in progr. Mar-

ous non epitomator Matthaei (in fylloge commentatt. theologg. edd. *Pott* et *Ruperti* Vol. I.) aliique oppofuerunt, fi modo concedatur, Marcum parum recte dici *epitomatorem tantum* fuiffe. Artificiofior apparet, neque confilio fuo et cognationem mutuam et difcrepantiam evangeliorum Matthaei et Marci explicandi omni ex parte fatisfacit *Seileri* (comment. fupra laud.) fententia (cui fimillimam *Adler* defendit: nonnulla Matthaei et Marci enuntiata ex indole linguae fyriacae explicata, Havniae, 1794.), Marcum graece vertiffe evangelium aliquod breviffimum a Matthaeo fyro-chaldaice fcriptum, paucis tantum additis, deinde, quum liber Matthaei breviffimus per apoftolos aliosque teftes fide dignos additamentis multis locupletatus fuiffet, difcipulum quendam apoftolorum hoc evangelium locupletatum in linguam graecam ita tranftuliffe, ut evangelium Marci confuleret. De iis vero, quae inpediunt, quo minus *Lucas* ceteros ante oculos habuiffe exiftimetur, vd. §. 15. nota 5.

2) Cfr. *Griesbach*, *Paulus*, *Saunier* in libris §. 15. nota 3. laudatis. Itemque: *Owen* obfervations on the four Gofpels, Lond. 1764. *Griesbach* comment. de fontibus, unde evangeliftae fuas de refurrectione Domini narrationes hauferint. Ienae, 1788. 4. in eius opufculis acadd. ed. *Gabler*, Vol. II. p. 241. ff. *Ammon* de Luca emendatore Matthaei, Erlangae, 1805. 4. *Theile* in differt. §. 15. nota 1. laud. itemque in comment. Kritik der verfchiedenen Anfichten über das Wechfelverhältnifs der fynoptifchen Evangelien: Winer und Engelhardt neues kritifches Iournal der theologifchen Litteratur, 5. B. 4. St. 6. B. 1. St.

3) *Storr* über den Zweck der evangelifchen Gefchichte und der Briefe Iohannis §. 58—69. *Idem* de fonte evangeliorum Matthaei et Lucae, Tubing. 1794. 4. in commentatt. theoll. edd. *Velthufen*, *Kuinoel*, *Ruperti* Vol. III. De argumentis huic coniecturae recte oppofitis vd. §. 15. nota 4. et 5.

4) *Büfching* die vier Evangeliften mit ihren eigenen Worten zufammengefetzt u. f. w. Hamburg, 1766. 8. Quare *Matthaeus* exiftimari nequeat Lucam confuluiffe, vd. §. 15. nota 4. ex.

5) *Vogel* über die Entstehung der drei ersten Evangelien in diario: *Gabler* Iournal für auserlesene theologische Litteratur 1. B. 1. St. 1804. Vd. §. 15. nota 4. Ceterum, quicunque vel Marcum, vel Lucam, vel utrumque, fontem evangelii Matthaei fuisse existimant, contradicunt testimoniis antiquitatis Christianae, evangelium Matthaei omnium esse antiquissimum perhibentibus (§. 13. nota 4.)

§. 17.

Ii vero, qui negant, vel Matthaeum, vel Marcum, vel Lucam ceterorum commentarios legisse et consuluisse, de fonte cogitant communi, ex quo tria evangelia nostra priora promanaverint. Eorumque alii plura ponunt documenta breviora, quibus tamquam fundamento evangelia nostra fuerint superstructa [1]). Alii, quum haec sententia ad explicandam cognationem horum librorum mutuam parum sufficere videretur, maluerunt unum evangelium, quod dicunt, primitivum litteris hebraicis s. syro — chaldaicis exaratum fontem habere principem convenientiae trium evangelistarum [2]). Quae posterior coniectura propter consensum, qui saepenumero deprehenditur, verbalem (ex solo unius eiusdemque documenti hebraici s. aramaici usu non derivandum), itemque propter eas evangeliorum sectiones, in quibus duo tantum evangelistae parallelismum vel realem vel etiam verbalem exhibent, ita est accuratius exposita, subtiliusque tractata, ut documentum illud primitivum et satis mature graece translatum, et exemplaribus diversis, quorum singula, additamentis suis locupletata, ab evangelio primitivo ambitu narrationum differrent, descriptum esse diceretur, priusquam Matthaeus, Marcus, et Lucas, his fontibus usi, commentarios suos litteris consignarent [3]).

1) Postquam *Clericus* in historia ecclesiastica, Amstelod. 1716. sect. XI. p. 429. coniecturam de iisdem similibusve fontibus (documentis quidem scriptis), unde tria evangelia priora petita fuerint, paucis innuerat (*Epiphanius* enim, quem multi huius sententiae auctorem fuisse putaverunt *haeress.* 1, 8. hac de re non cogitasse videtur); eundem tramitem ulterius persequuti sunt, vel de documentis evangelicis graece scriptis, quae Matthaeus (s. auctor versionis graecae ev. Matthaei), Marcus, Lucas adhibuerint, vel de fontibus hebraicis (aramaicis) vel de utroque genere cogitantes: *Koppe* in progr. §. 16. nota 1. laud. *Michaelis* Einleitung in die göttlichen Schriften des N. B. 4. Ausg. T. II. §. 144. *Semmler* Anmerkk. zu *Townson* Abhandl. über die vier Evangelien, Halle, 1783. T. I. p. 146. sq. 221. 290. *Paulus* introductionis in N. T. capita selectiora p. 250. ss. *Halfeld* comment. de origine quatuor evangeliorum, Göttingae, 1794. *Schleiermacher* kritischer Versuch über die Schriften des Lucas, 1. Theil, Berlin, 1817. *Rhesa* dissert. crit. de trium evangeliorum in canone N. T. priorum fonte ac origine, Regiomonti, 1819. 4. qui vir D. simul de evangelio primitivo *ore* propagato cogitavit. Iac. *Tol:* de instituto ab Iesu Christo epulo sacro evangelistarum et Pauli comparatas inter se narrationes illustravit etc. Lugduni Batav. 1819. 8. p. 98. ss. *Kaiser* de linguae aramaicae usu ad iudicanda et interpretanda evangelia canonica, Erlangae, 1823. 4. *Sartorius* drei Abhandlungen über wichtige Gegenstände der exegetischen und systemat. Theologie, Göttingen, 1820. p. 50. ss. (qui evangelia nostra ex eiusmodi documentis evangelicis, partim brevioribus, partim amplioribus, prodiisse existimat, quae ipsi Apostoli primis statim temporibus litteris consignaverint. Cfr. quae opposuit B. *Bengel:* neues Archiv für die Theologie 2. B. 1. St. Tüb. 1823. p. 214. sqq.) Similem hypothesin commendat *Rettig:* ephemerides exegetico-theologicae, fascic. I. II. III. Giesae, 1824. Leipz. Litter. Z. Nr. 287. 1826.

2) Plures eorum evangelium, quod dicitur, *secundum Hebraeos* (vd. §. 6.) hunc fontem communem fuisse statuunt. *Lessing* theologischer Nachlass, 1784. (Cfr. censura huius libri ab auctore anonymo scripta: exegetische Bruchstükke, Leipzig, Rostok, Schwerin, 1812.) B. *Niemeyer:* coniecturae ad illustrandum plurimorum scriptorum N. T. silentium de primordiis vitae Iesu Christi, Halis, 1790. 4.

Weber Beyträge zur Geschichte des neutestam. Canon, 1791. *Idem* Untersuchung über das Alter und Ansehen des Evangelium der Hebraeer, Tübingen, 1806. *Rau* de praecipuis causs varietatis et inconstantiae, quae, si modum narrandi spectemus, in evangeliis l. l. M. L. reperitur, Erlangae, 1805. Alii tria priora canonis nostri evangelia vel ex eo, quod *Matthaeus* ipse *hebraice* s. *syrochaldaice* scripserit, derivari maluerunt, C. *Schmidt* in diario: *Hencke* Magazin für Religionsphilosophie etc. 4. B. 3. St. p. 576. ff. *Idem* Einleit. in das N. T. Vol. I. p. 68. ff. vel ex *versione Matthaei graeca, antiquitus facta, a nostro, quod secundum Matthaeum inscribitur, evangelio, variis sectionibus locupletato distinguenda*, *Corrodi* Versuch einer Beleuchtung der Geschichte des iüdischen und christlichen Bibelcanon, T. II. p. 150. ff. *Feilmoser* Einl. in die Bücher des N. B. p. 59. ff. 72. 104. Attamen, ut taceam, etiamnum in diversas partes de eo disputari, utrum Matthaeus aramaico, an graeco sermone usus fuerit in consignando evangelio, neque sufficiunt hae coniecturae ad explicandam convenientiam *duorum* evangelistarum in iisdem, quae *tertius* non habet, additamentis obviam, nec favent iis testimonia antiquitatis, quippe quae *unum* tantum evangelium a Matthaeo scriptum commemorant. Cfr. quae *Bertholdt* opposuit: historisch-kritische Einl. Vol. III. p. 1187. ff. Similis est *Boltent* coniectura, et Marcum evangelium Matthaei aramaicum in compendium redegisse, consulta interdum versione eius graeca, et Lucam utriusque ev. Matthaei, partim aramaici, partim graeci, usum fecisse, adhibito insuper Marci evangelio. Vd. Bolten Bericht des Matth. von Iesu dem Messias, übers. mit Anmerckungen, Altona, 1792. praef. Bericht des Marcus etc. 1795. praef. Bericht des Lucas etc. 1796. praef. Redeunt, si haec sententia probetur, eaedem difficultates, de quibus §. 15. nota 5. diximus. Neque intelligi recte potest, qua de causa Marcus et Lucas versionem Matthaei graecam aliis quidem locis consuluisse, aliis neglexisse existimentur. Cfr. quae *Marsh* opposuit: Anmerckk. und Zusätze zu Michaelis Einl. übers. von Rosenmüller, Vol. II. p. 166. ff. Alii documentum illud, quod dicunt, primitivum (fontem communem) *evangelium singulare* fuiss. existimant, aramaice scriptum, eas quidem narrationes, quas Matthaeus, Marcus, Lucas in iis 42 sectionibus, quae apud *omnes* obveniant, suppe-

ditaverunt, *ferie continua breviter* exhibens, ab ipsis forsitan apostolis, quamdiu Hierosolymis versarentur, auctoritate certe apostolorum, litteris consignatum. *Rußwurm* über den Ursprung der 3 ersten Evangelien, Ratzeburg, 1797. *Hänlein* Handbuch der Einl. in das N. T. Vol. III. p. 30. ff. *Ziegler* Ideen über den wahrscheinlichen Ursprung der drey ersten Evangelien, in diario: *Gabler* neuestes theolog. Iournal, 4. B. 5. St. 1800. *Hartmann* Betracht. über die vier Evangelien in: *Scherer* Schriftforscher, 1. B. 3. St. *Bertholdt* historisch-kritische Einleit. u. f. w. Vol. III. p. 1205. ff. (Nolim cum Bertholdtio coniicere, vestigia certa huius evangelii primitivi in scriptis Pauli Apostoli occurrere. Illud enim, quod ep. ad *Romm.* 2, 16. praedicat εὐαγγέλιον suum, ex usu loquendi N. T. doctrinam laeta nuntiantem indicat, quam Paulus ore tradidit. Loco autem 1. *ad Corinthh.* 11, 23. illud παρέλαβον ἀπὸ τοῦ κυρίου minime indicat cognitionem, quae Paulo contigerat, institutionis coenae facrae *immediate* a *Domino* repetendam, five, ut alii volunt, ex evangelio primitivo haustam, sed eo respicit, quod Dominus illius instituti coenae sacrae *auctor* fuerat, eiusque cognitio, quocunque tandem pacto contigisset Paulo, *auctorem rei* ponebat Iesum Christum. Cfr. D. *Schulz*: die christliche Lehre vom heiligen Abendmahl, Leipzig, 1824. p. 217. ff. Alia effata, quae ἐπιταγὴν κυρίου f. λόγον κυρίου commemorant, I. Corr. 7, 6. 25. II. Corr. 8, 8. 10. 11, 17. I. Thessalonn. 4, 15. multo facilius, quam de evangelio primitivo ὁ κύριος inscripto, de institutione et mandatis intelliguntur, quae Apostolo divinitus contigerint, δι' ἀποκαλύψεως ἰησοῦ χριστοῦ *ad Galatas* 1, 12.) *Herder*: vom Erlöser der Menschen nach unsern drei ersten Evangelien, Riga, 1796. *Idem*: von Gottes Sohn der Welt Heiland nach Iohannes Evangelium, Riga, 1797. (sämmtliche Werke, zur Religion und Theologie, T. 11. 12.) *Idem*: Regel der Zusammenstimmung unserer Evangelien etc. (sämmtliche Werke etc. T. 12.) Distinguit Herderus a) evangelium breve primitivum, aramaice scriptum, b) evangelium amplius, illi tanquam fundamento superstructum, vel a Matthaeo, vel ab apostolis pluribus aramaice scriptum; c) versionem evangelii primitivi (a) graecam, quam Marcus ita, ut nihil adderet, adornavit, d) evangelium graecum uberius, quod Lucas ita composuit, ut non tantum usum faceret illius evangelii pri-

mitivi brevioris, eiusque verſionis graecae Marco auctore editae, ſed etiam documentum aramaicum amplius (b) adhiberet, ſive eosdem certe fontes adiret, ex quibus additamenta evangelio ampliori (b) propria originem duxiſſent, quanquam in adornanda narrationum ſerie haud raro a ducibus ſuis deflecteret, nec pauca ex ſuis fontibus adiiceret, e) verſionem evangelii aramaici amplioris (b) graecam, cuius auctor et Marcum et Lucam conſuluit. Sufficiunt haec ad explicandum conſenſum evangeliſtarum verbalem. Attamen, *ſi Marci evangelium verſionem documenti primitivi* (a) *graecam, eamque fidam continere exiſtimetur*, concedamus neceſſe eſt, et Matthaeum (auctorem evangelii aramaici amplioris b) et Lucam nonnulla eorum omiſiſſe, quae in evangelio primitivo (a) legerentur, *illum* quidem, quae *Marcus* tantum et *Lucas* in evangeliis ſuis exhibent, *hunc* vero, quae apud *Matthaeum* tantum et *Marcum* obveniunt.

8) *Eichhorn:* allgemeine Bibliothek der bibliſchen Litteratur, 5. B. 5. 6. St. *Idem:* Einleit. in das N. T. Vol. I. p. 162. ſſ. (ubi ſententiam ſuam recognovit, aliterque expoſuit.) *Marſh* Anmerckungen und Zuſätze zu Michaelis Einl. überſ. von Roſenmüller Vol. II. p. 170. ſſ. *Gratz* neuer Verſuch, die Entſtehung der drey erſten Evangelien zu erklären, Tübingen, 1812.

Marshii coniectura.

1. א. Evangelium primitivum syro-chaldaicum.
2. א̄. Versio evangelii primitivi graeca.

3. Exemplar evangelii primit. א. eiusmodi additamentis et minoribus (*α*) et maioribus (A) locupletatum, quae Matthaeus tantum et Marcus posthac in evv. suis suppeditarunt.

4. Exemplar evangelii primit. א. aliis additamentis et minoribus (β) et maioribus (B) locupletatum, quae Marcus tantum et Lucas posthac in evv. suis suppeditarunt.

5. Exemplar evangelii primit. א. aliis additamentis et minoribus (γ) et maioribus (G) locupletatum, quae Matthaeus tantum et Lucas posthac in evangeliis suis eodem ordine suppeditarunt.

Ex his originem duxerunt:

6. Nova descriptio exemplaris 3. *aucta* additamentis γ et G. quae exemplar 5. habebat.

Prodiit inde

evangelium Matthaei syrochaldaicum, quod auctor litteris ita consignavit, ut ab ordine evangelii primit. א. pluribus locis deflecteret, itemque ex iis, quae ipse, testis oculatus, cognovisset, plura adderet, consulto insuper documento quodam ב, ab evangelio primit. eiusque versione graeca diverso.

7. Nova descriptio exemplaris 4. *aucta* additamentis *α*. et A. quae exemplar 3. habebat.

Prodiit inde

evangelium Marci, cuius auctor pauca addidit, et versionem evangelii primit. א̄. consuluit.

8. Nova descriptio exemplaris 5. *aucta* additamentis β. et B. quae exemplar 4. habebat.

Prodiit inde

evangelium Lucae, cuius auctor et versionem evangelii primit. א̄. consuluit, et eiusdem, quod Matthaeus ad manum habebat, documenti ב usum ita fecit, ut easdem narrationes, quas Matthaeus ex documento ב petiisset, non eodem ordine exhiberet.

9. *Versio graeca evangelii Matthaei syro-chaldaici*, cuius auctor et versionem evangelii primit. א̄. et evangelium Marci, interdum etiam Lucam consuluit.

Eichho

1. א. Evangelium p
vum syrochaldaicum.

3. Recensio A. eva
nullis earum sectio
gelium Matthaei ab
differt.

4. Versio graeca r
evangelii primit. א̄
structa.

5. Recensio B. eva
nullis earum section
lium Lucae ab amb
In linguam graecam

6. Recensio C. ex

7. Recensio D. eva
bus earum sectionum
ambitum evangelii
dem ab iis, quae re

8. *Versio graeca r*
evangelii primit. א̄
structa.

9. *Evangelium sy*
thaeus ex recensionib
in priori quidem p
alio poneret ordine,
ret, quae ipse, testis

10. *Evangelium M*
dum. Marcus, grae
ditamentis, quae rec
graece transferendis,
nis A. (4.) consului
in eandem recension
(cuius *nulla* exstitit
vertere debuit.

11. *Evangelium L*
D. compositum, nom
graece scribens, in i
recensio D. suppedita
sionem graecam hu
sed, quae recensio B
prodierat), proprio

12. *Versio graeca*
daici (9.) cuius auct
num *A.* et *D.* adhib

ectura.

2. ℵ. Versio evange-
ii primit. graeca.
imit. ℵ. *aucta* non-
orum, quibus evan-
evangelii primitivi

A, versioni graecae
ı fundamento super-

imit. ℵ. *aucta* non-
rum, quibus evange-
gelii primit. differt.
nsio *non* translata est.
mposita.

mit. ℵ. *aucta* pluri-
n, quibus ev. Lucae
perat (diversis qui-
3. continebantur.)
D, versioni graecae
ı fundamento super-

icum, quod *Mat-*
D. ita composuit, ut
gelii primit. plura
onnulla ex iis adde-
cognovisset.
recensione *C.* oriun-
s, in iis quidem ad-
ex rec. A. acceperat,
m graecam recensio-
ɔ additamenta, quae
c rec. B. transferant
eca) proprio Marte

recensionibus *B* et
ınde additis. Lucas,
additamentis, quae
e transferendis ver-
onis (8.) consuluit,
(cuius versio nulla
ere debuit.
Matthaei syro-chal-
es graecas recensio-

Gratzii coniectura.

1. Evangel. breve *primitivum syro-chaldaicum.*

2. Evangelium *primit. graecum*, ex illo oriundum, additamentis multis locupletatum, eas 68 sectiones continens, quas posthac et Marci et Lucae evangelium exhibuit.

3. Documenta evangelica breviora, quibus Matthaeus, Marcus, et Lucas usi sunt.

4. Ex ev. primitivo *graeco* (2.) originem duxerunt
 a) *evangelium Marci*
 b) *evang. Lucae.* Uterque evangelio primitivo plura addidit ex scriptis variorum (3.) desumta.

5. Ex ev. primitivo *syro-chaldaico* (1.) originem duxit
evangelium Matthaei syro-chaldaicum, cuius auctor plures sectiones addidit, partim ex iis depromtas, quae experiundo ipse cognoverat, partim ex eiusmodi documento scripto, quod pluribus locis gnomologiae, cuius usum Lucas fecit, plane consentiret.

6) *Versio ev. Matth.* syro-chaldaici *graeca*, ab auctore sic adornata, ut, quae Matthaeo propria essent, ipse pro sua facultate transferret, in ceteris vertendis *evangelium Marci* consuleret, itemque nonnullas narrationes, quae in ev. Matthaei syro-chaldaico prorsus deessent, *ex Marco* versioni suae insereret. Quod posterius iis potissimum locis factum est, ubi Marcus et Matth. in rebus ipsis narrandis ita conveniunt, ut uterque a Luca discrepet.

7. *Interpolationes* in evangeliis *Matthaei* et *Lucae* factae, nonnullis Lucae sectionibus in textum Matthaei graecum itemque sectionibus Matthaei in textum Lucae transferendis. Eiusmodi interpolationum indicium duplex est. *a*) quod nonnullae Matthaei narrationes nexu idoneo s. facili carere videntur, quo antecedentibus et sequentibus cohaereant, itemque apud Lucam nonnulla ab ordine temporum accurato deflectunt; *b*) quod Matthaeus et Lucas *soli* in his sectionibus ita conveniunt, ut in *ipsis verbis* magis conspirent, quam in aliis sectionibus, apud utrumque obviis, et apud Lucam ordine temporum iuste collocatis conspirare solent.

Quanquam coniecturae ab auctoribus suis eximio eruditionis apparatu et magno ingenii acumine defensae omnino hoc praestiterunt, ut permulta, quae partim de dissensu, partim de convenientia et reali et verbali evangelistarum observata fuissent, his ponendis probandisque explicarentur; etiamnum tamen difficultates obveniunt, quibus singulae premantur. a) si auctor versionis graecae evangelii Matthaei syro-chaldaici, secundum *Marshium*, evangelium Marci in adornanda versione sua consuluisse existimetur; causa idonea proferri non potest, quare in iis sectionibus, quae apud Matthaeum aliter, quam apud Marcum sunt dispositae, ab usu Marci abstinuerit? Obveniunt quippe sectiones parallelae Matthaei et Marci, in quibus uterque ab altero *verbis* discrepat, quum iidem alibi in verbis magnopere consentiant. b) Quaeritur, si *Eichhornii* sententia de origine evangelii Marci probetur, (cfr. tabula Eichhornii coniecturam exhibens n. 10.), unde factum sit, ut interdum Marcus et Lucas *soli* verbotenus consentirent? c) Coniectura *Gratzii* de interpolationibus in textu Matthaei et Lucae mature factis (cfr. tabula Gratzii sententiam exhibens n. 6. 7.) argumentis, quae sufficiunt, destituitur, quum eiusmodi loca, ubi narratio Matthaei nexu facili destituta videatur, ex indole et ingenio scriptoris facilius explicentur, et neque doceri possit, Lucam *ubique* ordini temporum servando accuratius studuisse, neque, praeter eas Matthaei sectiones, quas interpres Matthaei graecus secundum Gratzii sententiam ex Marco in Matth. ita transtulerit, ut ipse elocutionem Marci subinde emendaret, alia loca *nulla* in ev. Matth. graeco occurrere, ubi singulae quaedam voces phrasesque huius evangelistae ad linguam graecam puriorem propius accedant, quam voces Marco adhibitae. Quaeritur item, qua de causa, qui unum evangelistam ex altero supplendum existimarent, in his potissimum sectionibus interpolandis acquiescere voluerint? d) Hypotheses Marshii et Eichhornii tot ponunt evangelii primitivi recensiones atque versiones, ex quibus auctores evangeliorum nostrorum commentarios suos composuerint (more scriptorum *nostrae aetatis*, qui codicibus aliisque documentis conferendis operam diligentem inpendunt), ut *artificiosiores* appareant, neque ingenio illorum temporum, neque indoli evangelistarum satis accommodatae. Simplicitate maiori coniectura Gratzii commendatur. Cfr. de his omnibus *Paulus* theologisch - exegetisches Conservatorium

1. Lieferung, p. 40. ff. p. 86. ff. Allgemeine (Hallische) Litteraturz. Ergänzungsblätter N. 61. 62. a. 1821.

§. 18.

Desideramus autem huius, quod dicunt, evangelii primitivi, *litteris quidem consignati*, vestigia certa [1]). Quaeritur item, quid tandem vel ipsos Apostolos, vel alios scriptores movere potuerit, ut de componendo eiusmodi documento, totam Servatoris vitam serie narrationum continua brevissime complectente, temporibus ecclesiae Christianae antiquissimis cogitarent [2])? Neque doceri potest, ullam virorum doctorum coniecturam, huic fundamento superstructam, omnia praestare potuisse, quae defensores eius praestare voluerint, originem et cognationis et discrepantiae evangeliorum nostrorum, realis verbalisque, explicaturi [3]). Proinde alii viam breviorem eamque tutiorem ingressi sunt, commentarios nostros evangelicos *ex eiusmodi evangelio primitivo, quod ore tantum propagatum fuerit*, tanquam fonte communi derivantes [4]), i. e. *ex quadam sermonum, quibus Apostoli eorumque familiares et discipuli res gestas, fata, dicta Iesu Christi, modo brevius modo copiosius enarrarent, aequalitate et similitudine, quae sponte exstitisset* (certis quidem legibus, quod ambitum singularum narrationum, modumque tradendi attinet, non adstricta.) Apostoli quippe, priusquam Palaestina discesserunt, aliique Iesu discipuli, Actis Apostolorum testantibus, diutius Hierosolymis commorati sunt, eadem vitae sermonumque Christi capita potiora haud dubie colloquendo saepius repetentes. Deinde, quum historiam [5]) Christi aliis exponerent, et Hierosolymis et extra urbem terramque Iudaicam, easdem narrationes iterantes, partim iisdem similibusve loquendi formulis usurpandis, partim narra-

tionibus multis eadem ferie continua exhibendis adfuefieri facile poterant, ipfa linguae, qua hi praecones ufi funt [6]), natura; ipfa animi ingeniique horum virorum indole [7]), ipfa rerum tradendarum conditione et ferie [8]) eiusmodi aequalitatem et fimilitudinem fermonum evangelicorum haud parum adiuvante. Denique, quum documenta breviora litteris confignata de rebus Chrifti mature prodiiffent [9]), priusquam commentarii ampliores Matthaei, Marci, Lucae fcriberentur, etiam haec documenta evangelica variis locis eam vim habere poterant, ut, qui hiftoriam Servatoris ore praedicarent, ad normam huius illiusve fcripti fide digni narrationes fuas conformarent [10]). Qui evangelia noftra ad evangelium primitivum ore traditum (hoc fenfu intellectum) referunt, neque ponere coguntur, quae ab indole et hiftoria illius aetatis explorata remotiora videantur, nec ratione deftituuntur idonea, *quaeftiones* dirimendi *potiores*, quae recentius de indole horum fcriptorum interna, eorumque et difcrepantia mutua, et convenientia excitatae funt [11]), etfi lubenter largiamur, eiusmodi coniecturam, cuius ope, quaecunque difceptari poffint de his illisve fectionibus evangeliorum canonicorum parallelis, prorfus definiantur, haud facile unquam prodituram effe. His de caufis non dubitamus, ad partes accedere horum Theologorum, ita quidem, ut etiam documenta illa variorum auctorum breviora, privatim litteris confignata ad eam, quam commentarii Matthaei, Marci, Lucae prae fe ferunt, indolem internam efficiendam duplici modo aliquid contuliffe exiftimemus (quum eiusmodi documenta partim praeconibus evangelii ore traditi variis locis normae inferviiffent, partim ipfis evangeliorum noftrorum auctoribus in fcribendo ufum quendam praeftarent) [12]), et de Marco infuper concedamus, huic fcriptori evangelia

Matthaei et Lucae et innotuisse et ante oculos obversata esse [13]). Ceterum his de fontibus evangeliorum disputandis minime negamus, quemvis evangelistam in delectu et ordine narrationum constituendo pariter atque in tota orationis conformatione suum quoque ipsius iudicium adhibuisse.

1) Parum recte, eiusmodi evangelium primitivum *litteris quidem consignatum* exstitisse, vel ex iis probari voluerunt, quae veteres de evangelio secundum Hebraeos aliisque evangeliis apocryphis tradiderunt (§. 6—11.) vel ex prooemio Lucae ev. 1, 1. ubi hoc tantum dicitur, priusquam Lucas commentarium suum consignaret, *documenta evangelica plura, eademque breviora*, a variis scripta esse. Neque, quod pluribus locis evangeliorum nostrorum difficultates obveniunt, quae comparandis vocibus hebraicis s. aramaicis, quae in textu evangelii cuiusdam primitivi apparuerint, facile expediri videantur (vd. *Eichhorn* Einl. in das N. T. T. I. §. 58. *Bertholdt* Einl. Vol. III. p. 1177. ff.) argumento certo inservit, quum usus, quem evangelistae fecerint, eiusmodi sermonis graeci, qui ad linguam hebraicam propius accederet, aliunde facilius explicetur. Itemque dissensus evangelistarum verbalis, eiusmodi locis haud raro obvius, ubi in rebus ipsis sententiisque prorsus conveniunt, eodem certe iure ad evangelium primit. *ore traditum* (variis quidem locis temporibusque *non iisdem plane verbis formulisque expositum*) refertur, quo alii hunc dissensum vel ex ipso evangelio primit. *scripto* (cuius verba ab evangelistis nostris haud raro diversimode in linguam graecam transferri potuerint) vel ex diversis evangelii scripti versionibus mature factis derivari voluerunt. De vestigiis evangelii primitivi apud *Paulum* apostolum frustra quaesitis supra §. 17. nota 2. dictum est. Defensoribus huius sententiae omnino parum favet, quod neque in libris N. T. historicis, nec in epistolis (ne in iis quidem, quae pastorales dicuntur) ulla vel evangelii primitivi, vel normae cuiusdam docendi, quae *scripto* contineretur, mentio facta est.

2) Primis quippe temporibus, quicunque *in Palaestina* ad Christum convertebantur, testes habebant rerum Christi oculatos, quorum voce viva edoceri possent. Itemque constat, Actis Apostolorum praeeuntibus, adiutores socios-

que legatorum Christi primos, evangelium et inter Iudaeos et extra Palaestinam praedicaturos, ex iis prodiisse, qui diutius Hierosolymis inter Apostolos aliosque Christi sectatores commorati fuissent. Neque patet, quorsum Apostoli suae ipsorum institutionis recte moderandae caussa normam docendi *scriptam* necessariam existimaverint.

3) Cfr. §. 17. nota 2. 3. Accedit, quod in sectionibus evangeliorum nostrorum parallelis eiusmodi quoque diversitates vocum formularumque obveniunt, quae omnino nequeant cum ulla textus hebraei s. aramaici voce (quae duplici modo graece exprimi potuerit) comparari, v. c. *Matth.* 12, 28. (ἐν πνεύματι θεοῦ) *Luc.* 11, 20. (ἐν δακτύλῳ θεοῦ), *Matth.* 7, 11. (δώσει ἀγαθὰ) *Luc.* 11, 13. (δώσει πνεῦμα ἅγιον), *Matth.* 6, 26. (πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ) *Luc.* 12, 24. (τοὺς κόρακας) etc. Cfr. de argumentis huic coniecturae oppositis: *Hug* Einl. Vol. II. p. 81. ff. (ed II.) *Paulus* theologisch-exegetisches Conservatorium *erste* Lieferung p. 28. ff. *Schleiermacher* kritischer Versuch über die Schriften des Lucas, Berlin, 1817. p. 1. ff. p. 56. sq. p. 61. 63. 93. ff. 103. ff. 115. 119. 137. *Gieseler* historisch-kritischer Versuch über die Entstehung und die frühesten Schicksale der schriftlichen Evangelien, Leipzig, 1818. p. 42. ff.

4) *Eckermann* Erklärung aller dunkeln Stellen des N. T. Kiel, 1806—1808. 3 Voll. 8. in praef. Vol. I. *Eiusdem* theol. Beyträge 5. B. 2. St. Altona, 1796. p. 148. ff. *Kaiser* biblische Theologie Vol. I. Erlangen, 1813. p. 224. ff. *Paulus* theologisch-exegetisches Conservatorium *erste* Lieferung, p. 104. ff. p. 124. ff. *Gieseler* l. l. *De Wette* Lehrbuch der Einl. in das N. T. p. 144. ff.

5) Primam evangelii institutionem *ore* factam esse et loca docent evangeliorum, ubi de Apostolis aliisque Iesu legatis, ipso iubente varia loca Palaestinae peragrantibus sermo est (v. c. *Matth.* 10, 5. ff. *Marc.* 6, 7. ff. *Luc.* 9, 1—10. 10, 1—17.) et effata Actorum App. innumera testantur. Exempla *sermonum*, quibus doctrina laeta nuntians (de Christo redemtore et regno divino) praedicabatur, vd. *Actt.* c. 2. c. 3. c. 4. c. 5, 30. ff. c. 10, 38. ff. c. 13, 28. ff. c. 17. in. al. Cfr. *Luc.* ev. 1, 2. καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν etc. (progr. meum §. 5. nota 2. laud.) 2 *ep.* ad *Timoth.* 2, 1. 2. 3, 14. 15. Saepenumero praecones illi universe εὐηγγελίσασθαι dicuntur, *Actt.* 8, 4. 12. 25. 35. 40. 11, 20. 14, 7. 21. 15, 35. solebantque *evangeli*-

stae appellari (ubi ab aliis rei Christianae adiutoribus, apostolis, prophetis, diaconis distinguuntur), qui, *in uno docendi (praesertim historiae Christi enarrandae) negotio occupati*, auctoritate Apostolorum varios coetus adirent Christianos. *Act.* 21, 8. ad *Ephess.* 4, 11. 2. ad *Timoth.* 4, 5. Neque vel ipsae voces εὐαγγέλιον et εὐαγγελίζεσθαι suadent, vel natura rei permittit, ut praecones illos, inter exteros potissimum, historiam Christi breviter tantum attigisse, atque in demonstrando consensu vaticiniorum V. T. cum iis, quae per Iesum Messiam vere fuissent instituta, acquievisse, nec etiam *singula, eademque potiora* fatorum, rerum gestarum, sermonumque Servatoris *capita uberius* exposuisse censeamus.

6) Illa quippe oratio graeca, *quae ad sermonem hebraicum s. aramaicum propius accedit*, primis evangelii praeconibus apud exteros (rarius quidem, ubi ἑλληνισταῖς edocebantur; Hierosolymis) usurpata, non eandem habet, quam sermo Graecorum classicus, vocabulorum formularumque ubertatem et varietatem.

7) Patria communis, educatio similiter instituta, rerumque externarum et temporum conditio permultum valet ad *simillimam animi ingeniique conformationem*, quae *ipsius dicendi generis aequalitatem quandam* facile efficit. Accedebat, quod primi Iesu Christi discipuli et sectatores, pro amore intimo et pietate summa, qua Servatorem venerabantur, haud dubie suum putaverunt, ut, quae Iesus dixisset, quantum fieri posset, fide summa *verbali* aliis exponerent. Neque negari potest, Iudaeos illius aevi omnino adsuetos fuisse *verbis* magistrorum memoria fida reponendis. Vd. *Waehner* antiquitt. hebrr. T. I. p. 253.

8) Praecipue hoc tenendum est, permultos Christi sermones, vel ipsa doctrinae novitate et gravitate, vel evidentia singulari et acumine docendi generis gnomici et parabolici, vel ipsis eventis factisque insignibus, quae his sermonibus ansam praebuissent, eiusmodi vim singularem exseruisse in animos audientium, ut haec potissimum, qualia accepissent, et cogitando et colloquendo saepius repeterent.

9) Quanquam nescimus, an Matthaeus et Ioannes (quod V. *Planck* coniecit: über Behandlung, Haltbarkeit und Werth des historischen Beweises für die Göttlichkeit des Christenthums, Göttingen, 1821. p. 165. ss. itemque *Matthaei*: der Religionsglaube der Apostel Iesu, Vol. I. Göttingen, 1826. p. 136. ss.), *quamdiu cum Christo versarentur*

plura de rebus gestis sermonibusque Christi privatim litteris consignaverint (Cfr. quae huic sententiae opponuntur: *Röhr* kritische Predigerbibliothek 6. B. 1. H. 1825. p. 101. ff.), certum tamen est, praeeunte *Luca* ev. 1, 1. documenta evangelica breviora satis mature prodiisse.

10) Hoc non negligendum esse in explicanda illa, quam commentariorum Matthaei, Marci, Lucae fontem agnoscimus principem, evangelii primitivi *ore* traditi conformatione, egregie vidit V. *de Wette* Lehrbuch der Einl. in das N. T. p. 145. ff. Evanescit, his probatis, quod plures obiecerunt (cfr. *Göttingische* gelehrte Anzeigen, N. 158. 1819.) convenientiam evangelistarum, quae in toto ambitu et serie narrationum, ipsisque vocibus formulisque deprehendatur, ex ev. primit. *ore* propagato intelligi non posse.

11) Qui historiam Christi ore propagabant (veluti ῥαψῳδοὶ evangelici), a) haud dubie, quamquam probe intelligebant, *plura capita* historiae Christi tanti esse ponderis, ut prima institutio evangelica his enarrandis carere omnino nequeat, in ceteris tamen exponendis, pro diverso suae rerum Christi cognitionis ambitu, itemque pro desideriis hominum, quos edocebant (partim Iudaeo-Christianorum, partim Ethnico-Christianorum) diversis, modo addebant plura, modo omittebant. b) Ipsa porro institutio memoriter facta secum ferebat, ut in plerisque enarrandis brevitati cuidam studerent (quo facilius summam rerum tradendarum animo complecterentur), et, praeter ea historiae Christi capita, quae *praecipue* observanda essent, eiusmodi quoque dicta et eventa, quae talem rem gestam prae ceteris insignem proxime vel antecessissent, vel subsecuta fuissent, memoria firmius retinerent, quam alia, ab eiusmodi re gesta graviori tempore remotiora. c) Facile item intelligitur, unde factum sit, ut alii quidem horum praeconum sermonem *graeco-hebraicum* adhiberent, alii vero *graecitatem* praeferrent *puriorem*, pro regionibus diversis, ubi primum coepissent alios sermonibus edocere evangelicis. d) Denique, etsi praecones illi minime, concionatorum nostrorum instar, sermones suos aliis tradendos *verbotenus* memoriae mandasse existimandi sunt, facile tamen *in his illisve sermonum atque historiae Christi capitibus singulis*, ubicunque ea praedicabant, *iisdem vocibus formulisque* quae vel naturae rei prae ceteris conveniebant, vel singularem habebant gravitatem aut evi-

dentiam memoriam adiuvantem, *usurpandis* adsuescere poterant; praesertim si documenta, quae diximus, breviora, de his illisve partibus historiae evangelicae mature *scripta* ad *sermones* horum praeconum moderandos vim quandam habuisse existimentur. Itaque, evangeliis Matthaei, Marci, Lucae ex eiusmodi fonte communi derivandis optime illustratur indoles, quam hi commentarii prae se ferunt, singularis, quippe qui a) *ambitu* narrationis et *ordine discrepant*, quanquam *permulta* Christi dicta, facta, fata *omnes* exhibent, et in ipsa rerum narratarum collocatione saepenumero (vel duo, vel tres) consentiunt, b) in historia Christi tradenda plerumque ita versantur, ut *quae per plures dies continuos dicta et gesta fuerint*, sectionibus singulis *amplius* persequantur, alia vero inter hanc et illam dierum seriem interposita *brevius* tangant, c) sermonis, quo utuntur, graeci indole ita differunt, ut Matthaeus quidem et Marcus ad linguam hebraicam propius accedant, Lucas vero, in multis certe commentarii sui partibus hebraismis magis abstineat, d) in iis ipsis sectionibus parallelis, ubi eximia apparet duorum triumve evangelistarum harmonia verbalis (in iis potissimum locis observata, quae de dictis, factis, fatisve Iesu Christi *gravitate praecipua insignibus* exponunt), saepenumero ab illo consensu verbali ad usum vocum formularumque diversissimarum subito transeunt, salva quidem, quae in sententiis rebusque narratis animadvertitur, harmonia.

12) *Matthaeus* quippe, apostolus, quum ipse multis certe Iesu Christi sermonibus, factis, fatisque auditor et testis oculatus interfuisset, eius potissimum evangelii, quod *ipse* ore tradiderat, usum fecisse existimandus est ad commentarium suum litteris consignandum, ita, ut de ceteris, quae ipse experiundo non cognovisset, aliorum Christi praeconum testimonia fide digna consuleret. Documenta quaedam *scripta* Matthaeo usurpata esse, de iis certe, quae c. 1. 2. enarrantur, haud pauci coniecerunt. *Lucae*, Pauli socio et amico, *sermones* praeconum historiae Christi satis mature innotuerunt (ev. 1, 2.) idemque, quum omnia, quae ad historiam Christi pertinerent, *accurate persequutus fuisset* (v. 3.) haud dubie etiam documenta illa *scripta*, quae πολλοι litteris prodiderant (v. 1.) sibi cognita consuluit.

13) Cfr. §. 15. nota 3. — Ceterum, quum Lucas ev. c. 1. v. 1. non *unius potissimum evangelistae*, sed πολλων

mentionem fecerit, qui aliquid de historia Christi documentis *brevibus* prodidissent, nolim coniicere, quod V. *De Wette* (Lehrbuch der Einl. in das N. T. p. 157 ff.) ad cognationem evangeliorum Matthaei et Lucae explicandam necessarium iudicavit, ante Matthaeum et Lucam quendam evangelii scripti auctorem exstitisse, nobis incognitum, ea, quae Christus *in Galilaea* dixisset et fecisset, prae ceteris deligentem, ad cuius normam deinde ii *sermones* praeconum historiae Christi compositi fuerint, quibus tanquam fundamento commentarii Matthaei et Lucae superstruerentur. His probatis, quodammodo redeundum esset ad coniecturam de *evangelio scripto primitivo* et porro quaerendum, quid fuerit, quod evangelista ille anonymus hunc potissimum narrationum de Christo instituerit delectum? Sufficit, quod lubenter agnoscimus, Matthaeo Galilaeensi ex iis Iesu dictis et factis, quae iter eius Hierosolymitanum postremum antecessissent, illa *ad Galilaeam* pertinentia prae ceteris et accuratius cognita et curae cordique fuisse, itemque, Lucam, quum primum ad Christum converteretur, ab eiusmodi praeconibus institutum fuisse, quorum sermones (forsitan ad exemplum Matthaei) res *in Galilaea* gestas praecipue persequerentur, eidemque plura *huius generis* documenta scripta accuratius innotuisse.

§. 19.

Quamquam accurata consilii, quod evangelistae nostri consignandis commentariis suis consequi voluerunt, exploratio, iis, quae de singulis separatim instituuntur, quaestionibus coniunctissima est; universe tamen recte dicuntur omnes hoc egisse, ut, causam Christi in his terris adiuturi, ea Servatoris dicta, facta, et fata enarrarent, quae singuli, in usum potissimum lectorum suorum [1]), prae ceteris observanda existimarent, et, quae cuique, pro fontibus suis, optime innotuissent. Itemque de omnibus recte adfirmamus, eos neque in locis temporibusque rerum gestarum observandis, eam praestitisse diligentiam, quae a nostris historiarum scriptoribus exigitur [2]), neque vel oecono-

uniam artificiosius structam, vel orationis ornatum et elegantiam captasse, sed magna scribendi simplicitate usos esse [3]), in variis quidem rebus minoris momenti dissentientes [4]), attamen, si rem primariam spectaveris, unam eandemque doctrinae et vitae Iesu Christi imaginem exhibentes, fidos et veraces [5]).

1) Quum et Apostoli et alii antiquissimorum evangelii praeconum sperare solerent, *reditum* Servatoris finemque huius saeculi (ab ipso Servatore nunquam tempori *certo* adsignatum) *mox* futurum esse (cfr. *Boehme* de spe Messiana apostolica, Halis, 1826. 8.); de sui potius aevi desideriis explendis cogitarunt, quam de hominibus multorum, quae posthac futura essent, saeculorum edocendis. Inde factum, ut evangelistae neque nomina sua, temporisque et loci, quo commentarios suos consignavissent, indicia evangeliis suis vel praemitterent, vel subiicerent, (excepto Ioanne, suam cum Christo familiaritatem intimam accuratius indicante), neque nisi iis narrationum suarum locis, quae *suis* lectoribus non prorsus perspicua fore existimarent, observationes adspergerent, nec suum putarent, eiusmodi dubitationibus occurrere, quas homines diversissimae indolis, seculis multis post futuri, vel de historia vel de doctrina Christi, excitaturi essent (quanquam quod postremo loco diximus, ipsi etiam horum virorum persuasioni de veritate eorum, quae scribendo testati fuerant, sanctissimae tribuendum est.)

2) *Loca* frequentius observantur, quam rationes temporis, cuius indicia apud Lucam quoque et Ioannem rarius apparent (plerumque dicitur: ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, ἐν ἐκείνῃ ἡμέρᾳ, s. καιρῷ, μετὰ ταῦτα etc.) Proinde in eo acquiescimus, quod, loca evangeliorum singula invicem comparantes, iis maxime effatis, quae temporis rationem accuratius definiunt, in auxilium vocandis, *universe* totius Iesu Christi vitae in his terris actae *partes quasdam* distinguamus, quibus dicta, facta, fata Christi in evangeliis exposita singula comprehendantur. Cfr. *Paulus* theologisch-exegetisches Conservatorium, erste Lieferung p. 131. ff. Liceat i. c. secundum Matthaeum, Marcum, Lucam has distinguere partes: A) De natalibus Ioannis baptistae, praeconis Iesu Christi, ipsiusque Iesu origine humana, infantia et pueritia. *Luc.* c. 1. 2. *Matth.* c. 1. 2.

B) De iis, quae initium muneris Christi publici proxime antecesserunt, *Luc.* c. 3. 4, v. 1—13. *Matth.* c. 3. 4, v. 1—11. *Marc.* c. 1, v. 1—13. C) De iis, quae Christus, quum primos ipsius sectatores collegisset, in Galilaea fecerit, docueritque, usque dum mala sibi imminentia mortemque in cruce tolerandam *sermone haud ambiguo* discipulis suis *nuntiare* inciperet, *Matth.* c. 4, v. 12—c. 16, v. 12. *Luc.* c. 4, v. 14— c. 9, v. 18. *Marc.* c. 1, v. 14— c. 8, v. 27. D) De iis dictis factisque Christi, quae porro insequuta sint, usque dum ultima vice Hierosolymas sese converteret, *Matth.* c. 16, v. 13.— c. 21. in. *Luc.* c. 9, v. 18 — c. 19, v. 28. *Marc.* c. 8, v. 27 — c. 11. in. E) De Christo ultima vice Hierosolymas adeunte, rebusque ibi gestis, et morte eius in cruce perpetrata, *Matth.* c. 21 — c. 27. ex. *Luc.* c. 19, v. 28 — c. 23. ex. *Marc.* c. 11 — c. 15. ex. F) De resurrectione Christi, vita posthac in terris acta, et abitu in coelos, *Matth.* c. 28. *Luc.* c. 24. *Marc.* c. 16. Evangelium quartum *separatim* spectandum est, ita ut praecipue *dies illos festos* Iudaeorum sollennes, in evangelio Ioanneo observatos (2, 13. 5, 1. 6, 4. 7, 2. 11, 55.) tanquam indicia temporum sequamur, quanquam non negamus, aliquam partem narrationum, quas Ioannes exhibuerit, iis, quas supra secundum Matthaeum Marcum Lucam disposuimus, totius vitae Iesu Christi periodis commode inseri posse.

3) Cfr. *Küchler* comment. I. II. de simplicitate scriptorum sacrorum in commentariis de vita Iesu Christi, Lips. 1821. 1827. *Krummacher* über den Geist und die Form der evangelischen Geschichte in historischer und aesthetischer Hinsicht, Leipzig, 1805. 8. *Sander* etwas über den eigenthümlichen Plan, dem die Evangelisten bey Abfassung ihrer Evangelien gefolgt sind, Essen, 1827. 8.

4) Praestat, opinor, concedere, evangeliorum nostrorum auctores in rebus quidem minoris momenti observandis interdum re vera dissentire (sive hunc dissensum ex ipsis, quibus usi sunt, fontibus diversis, sive ex his illisve memoriae erroribus, quales etiam scriptori bono et veraci subinde accidere possunt, explicare malueris), quam artificiis *coniecturarum*, quae ratione destituuntur idonea, et *interpretationis coactae* efficere, ut vel levissima cuiusque dissensus vestigia ubique evanescere videantur. Qui harmoniam evangelistarum et antiquiori aetate, et posthac, aevo medio, ac tempore emendationis sacrorum in-

dagaverunt: *Eusebius* περι διαφωνιας ευαγγελιων (*Hieron.* catal. scriptorum eccles. c. 81. comment. ad Matth. c. 1.), *Augustinus* (libri quatuor de consensu evangelistarum), *Hesychius* saec. 7. (ευαγγελικη συμφωνια, vd. *Cotelerii* ecclesiae graecae monumenta T. III.), *Marianus* de concordantia evangeliorum (a. 1086.), *Petrus Lombardus* (Saec. 12.) *Thomas de Aquino* (Saec. 13.) *Ioannes de Gerson* (Saec. 15.) *Bugenhagen* Harmonie der Leidens- und Auferstehungsgeschichte Iesu, 1524. *Paul Crell* Harmonie der evangel. Geschichte, 1566. 1571. 1613. (et alii, cfr. *Haenlein* Handbuch der Einl. in das N. T. T. III. p. 43. ff.) recte intellexerunt, evangelistas in observanda rerum narratarum *serie* haud raro dissentire, neque de singulis omnibus, quo tempore acciderint, accurate constitui posse. De chronologia accurata et harmonia perfecta et rebus narratis et verbis ipsis evangelistarum omnibus vindicanda sedulitate anxia cogitaverunt *Andr. Osiander* (libri quatuor harmoniae evangelicae, primum editi Basil. 1537.) et quicunque, in nostra potissimum ecclesia, illius vestigia presserunt, haud exiguam quidem eruditionis copiam adhibentes, v. c. *Cluver* harmonia evangelistarum, digesta secundum paschata et itinera Christi, primum edita Rostoch. 1628. *Bünting* Harmonie der Evangelisten mit historischen Kalendern von sieben Lebensjahren Christi, Magdeburg 1589. *Calov* evangelische Harmonie zur Abfassung eines neuen Monotessaron, Wittenberg, 1680. *Sandhagen* kurze Einleitung, die Geschichte unseres Herrn Iesu Christi und der heil. Apostel nach ihrer Zeitordnung aus den Büchern des N. T. zu betrachten, Lüneburg, 1684. 1688. *Rus* harmonia evangelistarum etc. Ienae, 1727. 1730. 4. Voll. *Hauber* Harmonie der Evangelien, Lemgo 1737. *Büsching* die vier Evangelisten mit ihren eigenen Worten zusammengesetzt etc. Hamburg 1766. *Martin Chemnitius* harmonia quatuor evangelistarum, quam *Polycarpus Leyserus* continuavit, *Ioannes Gerhardus* perfecit, editio novissima, Hamburgi, 1704. 3 Volumm. formae maximae (cuius operis amplissimi auctores eruditi non prorsus ab Osiandri methodo pependerunt.) Liberaliorem harmoniae evangelistarum indagandae rationem, praeeunte *Io. Calvino* (cuius harmonia ex Matthaeo, Marco, Luca primum prodierat Genevae, 1553.), commendaverunt: *Ge. Calixtus* concordia quatuor evangelicorum scriptorum (primum ed. Halberstad. 1624. 4.) *Io. Clericus* harmonia evangelica (primum

ed. Amstelod. 1699.) *Alb. Bengel* richtige Harmonie der vier Evangelisten, Tübingen, 1766. 4. *Aug. Bertling* neue Harmonie der vier Evangelisten, Halle, 1767. 4. *Roos* Lehre und Lebensgeschichte des Sohnes Gottes nach den vier Evangelisten, 2. Voll. Tubingen, 1776. 8. *Dan. Moldenhauer* Anweisung, wie die von den vier Evangelisten aufgesetzten Nachrichten nach der Zeitordnung auf einander folgen, Bremen, 1781. 8. *Sebast. Mutschelle* Geschichte Iesu aus den vier heiligen Evangelien in eins gesammelt und geordnet, München, 1806. *Phil. Seatroh* Abriss der Geschichte Iesu aus den Evangelien des Matthaeus, Marcus, Lucas, und Iohannes, Göttingen, 1785. 4. *Iac. Hess* Lebensgeschichte Iesu, 8. Auflage, 2. Voll. Zürich, 1822. 8. *Bergen* Denkwürdigkeiten aus dem Leben Iesu nach den vier Evangelisten harmonisch geordnet, 2. Voll. Giessen, 1789. 1791. 8. *I. Keller* das Leben Iesu nach den vier Evangelien übereinstimmig beschrieben, Stuttgart, 1802. 8. *Aug. Sebastiani* Denkwürdigkeiten aus dem Leben Iesu, aus den vier Evangelien zusammengestellt u. s. w. Coblenz und Leipzig, 1806. 8. *Gottl. Paulus* das Leben Iesu als Grundlage einer reinen Geschichte des Urchristenthums, 1. Theils 1. und 2. Abtheilung, Heidelberg, 1828. 4. (De aliis libris huc spectantibus cfr. *Haenlein* l. l. itemque *Bretschneider* systematische Entwikkelung aller in der Dogmatik vorkommenden Begriffe, 8. Aufl. Leipz. 1825. p. 578. ff.) Ad consensum pariter atque dissensum evangelistarum recte cognoscendum operam praestant utilem, qui *synopsin* evangeliorum tractaverunt. Eorumque *alii* hoc potissimum agunt, ut diversas earundem rerum gestarum narrationes componant, ordinem quidem uniuscuiusque evang. retinentes, quo conspectu exhibendo et consensus dissensusque narrationis facilius pateat, et interpretationis brevitas adiuvetur (synopsis *exegetica*): *Tatianus* (§. 10.) *Ammonius Alexandrinus* (Saec. 3.) *Eusebius* (auctor canonum evangeliorum, Saec. 4.), recentiori aetate: Io. Iac. *Griesbach* synopsis evangeliorum etc. ed. tertia Hal. 1809. ed. IV. 1822. itemque: synopsis evangeliorum etc. e recensione Griesbachii cum selecta lectt. varietate concinnaverunt et breves argumentorum notationes adiecerunt *de Wette* et *Lücke*, Berolini, 1818. 4. *Ad. Beck*, deutsche Synopsis der drey ersten Evangelisten, nach der griechischen Synopsis de Wette's und Lücke's bearbeitet, Berlin, 1826. Synopsis evangeliorum Matthaei,

Marci, et Lucae cum Ioannis pericopis parallelis, textum ex ordine Griesbachii dispertitum cum varia scriptura sacra ed. Maurit. *Roediger* Halis Sax. 1829, 8. *Alii* vero in disponendis sectionibus evangeliorum singulis eam sequuntur rerum gestarum seriem, quam ipsi, argumentis internis praeeuntibus, maxime probabilem iudicant, quo singulae partes totius Iesu Christi vitae, quantum fieri possit, secundum ordinem temporum cognoscantur (synopsis *historica*): *Paulus* philologisch-kritischer und historischer Commentar über die drey ersten Evangelien 3. Voll. Lübeck, 1804, 1805. 2. Auflage. G. *Crome* Beyträge zur Erklärung des N. T. 1. Bändchen, Göttingen, 1828. *Alii* in iis tantum sectionibus *componendis* elaborant, quae non modo in iisdem rebus gestis enarrandis versantur, sed etiam elocutione totaque narrationis conformatione consentiunt, quaestionem criticam de fonte communi horum evangeliorum amplius illustrandam adiuturi (synopsis *critica*): *H. Planck* Entwurf einer neuen synoptischen Zusammenstellung der drey ersten Evangelien, Göttingen, 1809. 8. *Historico-exegeticam* exhibuerunt R. *Matthaei*: Synopse der vier Evangelien, Göttingen, 1826. 8. et *Kayser*: über die synoptische Zusammenstellung der vier kanonischen Evangelien, Nürnberg, 1828.

5) De argumentis, quibus persuasio certa de fide et veracitate scriptorum N. F. nititur, isagoge universalis disputabit.

De singulis trium priorum canonis nostri evangeliorum separatim agitur.

§. 20.

Matthaeus, olim portitor Galilaeensis, Levi appellatus, ab ipso Servatore invitatus, ut sectator eius fieret assiduus, duodecim Apostolis adscriptus, nomen assumsit Ματθαῖος [1]), suamque operam evangelio et inter Iudaeos Palaestinenses et in terris exteris praedicando addixit [2]).

1) Non defuerunt, qui *Levin* (*Marci* 2, 14. *Luc.* 5, 27.) a *Matthaeo* (*Matth.* 9, 9. *Marc.* 3, 18. *Luc.* 6, 15.) distinguendum esse putarent, Levin pro eodem habentes, qui

alibi Lebbaeus cognomine Thaddaeus appellaretur, (*Matth.* 10, 3.) Cfr. praeter alios *Friſch* comment. de Levi cum Matthaeo non confundendo, Lipſ. 1746. 4. *Haſaeus* disquiſitio de Levi a Chriſto ad Apoſtolum vocato in bibliotheca Bremenſi claſſi V. p. 475. ſſ. *Biel* obſerv. de Levi in eadem bibl. Brem. cl. VI. p. 1038. ſſ. Attamen, quae de *Matthaeo* dicuntur (Matth. 9, 9.) cum iis, quae Marcus (2, 14.) et Lucas (5, 27.) de *Levi* ad Ieſum vocato perhibent, ita fere verbotenus conveniunt, ut dubitari omnino non poſſit, unum idemque narrari eventum, eundemque intelligi hominem, qui, morem Iudaeorum ſequutus (cuius exemplo Paulus Apoſtolus inſervit), nomina nova ſibi inponendi, ubi mutatio ingens totius vitae eorum conditionis acccidiſſet, nomen illud aſſumſerit, quo idem in tabulis Apoſtolorum (*Matth.* 10, 3. *Marc.* 3, 18. *Luc.* 6, 15.) appellatur Ματθαιος (hebraice מַתִּיָה, conflatum ex מַתָּן et יָהּ: Dei donum.)

2) *Euſebius* hiſt. eccleſ. 3, 24. Ματθαῖος, πρότερον Ἑβραίοις κηρύξας, ὡς ἔμελλε καὶ ἐφ' ἑτέρους ἰέναι, πατρίῳ γλώττῃ γραφῇ παραδοὺς τὸ κατ' αὐτὸν εὐαγγέλιον, τὸ λεῖπον τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ, τούτοις ἀφ' ὧν ἐστέλλετο, διὰ τῆς γραφῆς ἀπεπλήρου. Alii ſingulas nuncupant provincias, in quibus evangelium praedicaverit. De vitae eius exitu nil certi compertum habemus. *Iſidorus Hiſpal.* de vita et morte ſanctorum c. 67. *Socrates* hiſtoria eccleſ. 1, 19.

§. 21.

Ieſum Servatorem re vera illum eſſe Meſſiam, quem Numen Divinum dudum per vates V. T. nuntiari iuſſiſſet, prophetam ſummum diu exſpectatum, legislatorem, iudicem ac dominum [1]), Matthaeus ex doctrina, factis, fatisque Ieſu Chriſti oſtendere voluit, iis potiſſimum eligendis, quae maxime accommodata eſſent ad hanc perſuaſionem ſanctam in animis eorum, qui ex Iudaiſmo ad Chriſtum converterentur, ſtabiliendam [2]). Quanquam effata antiquiorum eccleſiae doctorum [3]) hoc evangelium in uſum Hebraeorum litteris conſignatum fuiſſe perhibent; nonnulla tamen ipſius evangelii loca haud permittunt, ut Matthaeum eorum, qui extra

Palaestinam viverent, Iudaeo — Christianorum rationem nullam habuisse dicamus. 4)

1) Cfr. *Hug* Einleit. Vol. II. p. 7. ff. ed. II. *Stäudlin* Lehrbuch der praktischen Einleitung etc. p. 159. ff. *Sander* in libro §. 19. nota 3. laud. p. 12. ff. Enarrationem argumenti totius evangelii egregiam suppeditavit B. *Hess*: Geschichte und Schriften der Apostel Jesu, 2. B. Zürich, 1810. p. 341 — 380.

2) Et ipse narrationum delectus, et tota narrandi ratio lectores ponit, plerarumque eiusmodi rerum bene gnaros, quae ad historiam, religionem, instituta, leges moresque Iudaeorum pertinerent. *Singulari* studio effata V. T. ad Iesum Christum transferuntur, quo pateat, vaticinia prophetarum in illo eventum habuisse plenissimum. Atque ex ipsis Christi sermonibus ea maxime effata videmus collecta, quae cognovisse et accuratius perpendisse ad animos hominum Iudaeo — Christianorum, praesertim Palaestinensium, edocendos, Christo devinciendos, inter tentationes gravissimas confirmandos plurimum interesset (v. c. 8. 10. ff. 10. 5. 6. 15. 21. ff. 19. 28. 21. 43. c. 23. c. 24.)

3) *Irenaeus* adversus haerr. l. 3. c. 1. *Origenes* apud *Euseb.* hist. eccles. l. 6. c. 25. *Eusebius* hist. eccles. l. 3. c. 24. *Hieron.* praef. comment. in Matth. idemque in catalogo scriptt. eccles. c. 3.

4) Interdum observationes leguntur rem gestam sive vocabulum illustrantes, quas Matthaeus vix alia, opinor, de causa necessarias iudicavit, quam, ut intelligentia eiusmodi lectorum Iudaeo - Christianorum, qui *extra Palaestinam* viverent, adiuvaretur. c. 1. 23. c. 22. 23. (authentia quippe verborum: *οἱ λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν* argumentis idoneis inpugnari non potest, cfr. evang. Matthaei recensuit et cum commentariis perpetuis edidit A. *Fritzsche*, Lips. 1826. p. 661. sq.) c. 27. 8. 15. 33. c. 28. 15. Cfr. *Schubert* dissert. qua in sermonem quo evangelium Matthaei conscriptum fuerit, inquiritur, Gott. 1810. 4. p. 26. sq. p. 31. ff.

§. 22.

De sermone, quo Matthaeus evangelium suum consignaverit, in utramque partem disputatur 1). Adfir-

maverunt quidem plures ecclesiae antiquioris doctores [2]), eum lingua hebraica usum esse, sive potius dialecto illa, quae post reditum Iudaeorum ex captivitate babylonica in Palaestina invaluisset (aramaicam vulgo dicunt.) Argumenta vero interna, quibus multi hanc sententiam tuentur (sive de eo lectorum genere, cuius desideriis Matthaeum evangelio suo scribendo consulere voluisse §. 21. vidimus, cogitaverint [3]), sive elocutionem evangelii nostri hebraeo-graecam [4]) et effata V. T. quae pluribus locis ab evangelista ita laudantur, ut a versione septuaginta interpretum graecâ deflectant [5]), consideraverint) ad rem probandam non sufficiunt. Ipsi doctores ecclesiae veteres [6]), loca Matthaei adferentes textum nostrum graecum adhibuerunt. Nec facile docetur, qua ratione factum sit, ut exemplaria evangelii, quod Matthaeus aramaice scripsisset [7]), mature prorsus evanescerent, neque de auctore versionis graecae mature in ecclesia usurpatae [8]), et in canonem nostrum receptae quicquam accuratius innotesceret. Nonnulla etiam evangelii loca *auctorem* potius libri *graece scribentem* produnt [9]), quam *interpretem graece vertentem*, quae Matthaeus aramaice consignasset. His de causis omnino habemus, quod sententiam pluribus scriptorum veterum probatam in dubium vocemus, eiusque originem hanc fuisse haud temere coniiciamus, quod evangelium Matthaei, ab ipso auctore graece scriptum, inter Iudaeo-Christianos mox translatum fuerit in dialectum aramaicam (diversimode quidem interpolatum), unde evangelia Nazaraeorum et Ebionitarum exstiterent [10]). Certe, si Matthaeus aramaice scripsisse censeatur, vel ipse [11]) Matthaeus, vel vir quidam apostolicus idem evangelium mox graece edidisse existimandus est.

1) Pro textu Matthaei *aramaico* hi pugnaverunt: *Richard Simon* hist. crit. du N. T. c. 5. ss. *Mill.* prolegg. ad N. T. *Michaelis* Einleit. Vol. II. §. 132. *Weber* Beyträge zur Geschichte des neutestam. Canon, Tüb. 1791. *Elsner* diss. Matthaeum hebraico sermone conscripsisse suum evangelium, Francof. ad Viadrum, 1791. 4. *Wahl* Magazin für alte, besonders morgenländ. und bibl. Litteratur, 2. Lieferung, p. 57. ss. *Bolten* Bericht des Matthaeus etc. praef. *Adler* differt. §. 15. nota 1. laud. *Corrodi* Beleuchtung der Geschichte des Bibelcanon T. II. p. 152. ss. *Haenlein* Handbuch der Einleitung etc. Vol. III. p. 75. ss. *Schmidt* Einl. T. I. p. 30. ss. *Eichhorn* Einl. in das N. T. Vol. I. p. 461. ss. *Bertholdt* Einl. Vol. III. p. 1257. ss. *Olshausen* die Aechtheit der vier kanonischen Evangg. p. 18—28. *Graece* scripsisse Matthaeum contenderunt: *Maius* examen historiae criticae textus N. F. c. 5. 6. *Clericus* differt. in quatuor evv. §. 1. *Leusden* philol. gr. p. 133. *Ligtfoot* horae hebrr. et talmudicae in quatuor evangelistas, Lips. 1675. p. 188. ss. *Schroedter* de lingua Matthaei authentica, Viteb. 1699. 4. *Masch* Abhandlung von der Grundsprache des Ev. Matth. Halle, 1755. 8. *Vogel* über die Entstehung der drei ersten Evangg. in diario: *Gabler* Journal für auserles. theol. Litter. 1. B. 1. St. 1804. *Schubert* differt. §. 21. nota 4. laud. *Hug* Einleit. Vol. II. p. 54. ss. ed. II. *Paulus* theologisch-exeget. Conservatorium, 1. Lieferung, p. 159. ss. *Winer* und *Engelhardt* neues krit. Journal der theol. Litter. 1. B. 2. St. 1824. p. 198. ss. *De Wette* Einl. in das N. T. p. 173. sq.

2) *Papias* in libro: λογιων κυριακων εξηγησεις apud *Euseb.* hist. eccles. l. 3. c. 39. *Irenaeus* adversus haerr. I. 3. c. 1. *Pantaenus*, presbyter Alex. Saec. II. evangelium Matth. aramaice scriptum apud Indos (i. e. vel in Arabia australi, vel in terra, quam nos dicimus Indiam orientalem) deprehendisse narratur apud *Euseb.* hist. eccl. 5, 10. coll. *Hieron.* catal. scriptorum eccles. sub v. Pantaenus. *Origenes* apud *Euseb.* hist. eccl. 6, 25. *Eusebius* ipse hist. eccl. 3, 24. *Hieron.* praef. comment. in Matth. idemque in catalogo scriptorum eccles. sub v. *Matthaeus. Hippolytus* de 12. apostolis T. I. Opp. p. 30. ed. Fabric. *Epiphan.* haerr. 29, 9. 30, 3. 51, 5. Quem primo loco commemoravimus, *Papiam*, ab ipsis Apostolorum discipulis et familiaribus multa sibi tradita esse perhibentem, fide omnino non dignum esse *in rebus historicis*, ex Eusebio

probari non potest, quanquam Eusebius l. l. scriptorem illum propterea, quod *sermones* quosdam apostolorum (opinionibus indulgens chiliasticis) perperam *interpretatus* fuerat, hominem σμικρὸν τὸν νοῦν appellavit. (cfr. de Papia insuper *Iren.* adv. haerr. l. 5. c. 33.) De *Irenaei* quidem testimonio incertum est, utrum hac in re solum Papiam, an alios quoque testes sequutus fuerit. *Origenes* vero universe ad παραδοσιν (traditionem ecclesiasticam) provocat. Quae de *Pantaeno* narrantur, nihil certe continent, quod historiae exploratae contradicat, quum Paulus apostolus satis mature (ad *Gal.* 1, 17.) Arabiam adierit; etsi lubenter largiamur, verba Eusebii (h. e. 5, 10.) ἔνθα λόγος εὑρεῖν αὐτὸν τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον veritatem rei parum adseruisse. *Eusebius* (h. e. 3, 24.) de evangelio Matthaei aramaice scripto ita loquitur, ut ipse hanc sententiam, illo quippe tempore vulgo probatam, sequi videatur. Quam parum recte ex nota Eusebii ad Ps. 78, 2. (in *Montfauconii* collectione vett. auctt. grr.) colligatur, Eusebium aliter iudicasse, pridem docuit *Michaelis* Einl. in die göttlichen Schr. des N. B. Vol. II. p. 976.

8) Ex quo tempore permagna Iudaeorum pars inter gentes exteras *linguae graecae* adsuetas dissipata fuerat, per Iudaeos exteros graece loquentes, Palaestinam frequenter adeuntes, huiusque terrae incolis commercio multiplici iunctos, itemque per fata diversissima, quae civitas Iudaica subiit, Persis primum, deinde Alexandro Magno et Ptolomaeis, porro Syriae regi Antiocho, denique Romanis subiecta, sermonis graeci cognitio ususque sensim ita invaluit in Palaestina, ut tempore Christi et Apostolorum permulti certe Hebraeorum evangelium graece scriptum legere et intelligere possent. Urbes *graecas* ad Palaestinam pertinentes ipse *Iosephus* commemorat antiqq. Iudd. 16, 11. de bello Iudaico 2, 13. 14. 3, 9. Hellenistarum synagogae Hierosolymis fuerunt *Actt.* 6, 9. Itemque, quae Lucas *Actt.* 21, 40. 22, 2. observavit, satis perspicue ostendunt, Hierosolymarum incolas, etsi Paulum dialecto vernacula utentem *lubentius*, quam graece loquentem audierint, *potuisse* tamen, si Paulus graece coram iis loqui voluisset, sententiam verborum recte intelligere. Cfr. de his *Schubert* dissert. §. 21. nota 4. laud. p. 47. ss. *Hug* Einleit. Vol. II. p. 30. ss. ed. II. Ceterum doceri non potest, Matthaeum *solis Palaestinensibus* commentarium suum destinasse. §. 21.

4) Hebraiſmi in evangelio Matthaei frequenter obvii nil probant, niſi hunc evangeliſtam (Galilaeum inter Galilaeos natum et educatum) praecipue proclivem fuiſſe ad hebraiſmos ſ. aramaeiſmos orationi graecae immiſcendos, etſi iampridem, quum portitor eſſet, aliquam ſibi comparaſſet ſermonis graeci cognitionem, poſthac uſu et exercitatione auctam (vd. *Schubert* comment. laud. p. 30.) Iis vero locis, quibus recte intelligendis haud pauci interpretes id unum inſervire exiſtimant, ut textus graecus retro vertatur in aramaicum, ab auctore verſionis evangelii noſtri graecae ſubinde minus perſpicue aut accurate expreſſum (vd. *Eichhorn* Einl. in das N. T. I. p. 477. ſſ. *Bertholdt* Einl. III. p. 1261.) non deſunt aliae rationes difficultatem, quae apparuerit, philologicam facilius expediendi. Cfr. *Paulus* theologiſch-exeget. Conſervatorium, 1. Lieferung, p. 31. ſſ.

5) Neque doceri poteſt, Matthaeum in iis omnibus evangelii ſui ſectionibus, quibus loca parallela apud Marcum et Lucam reſpondent, ubique verſionem alexandrinam *prorſus* ſequutum eſſe (vd. 4, 10. 11, 10. 21, 13. 22, 31.); neque, in iis ſectionibus, quas ipſe ſolus habeat, verſionem illam nunquam eſſe adhibitam (vd. 1, 23. 9, 13. 13, 14. ſq. 21, 16.)

6) Cfr. §. 13. nota 3.

7) Mirum eſt, quod neminem ex antiquiſſimis eccleſiae doctoribus, Matthaeum aramaice ſcripſiſſe adfirmantibus, teſtantem audiamus, textum huius evangeliſtae aramaicum ad manus *ſibi* fuiſſe; itemque, quod inter *Hebraeo-Chriſtianos* evangelium ab *ipſo Matthaeo aramaice* exaratum non diutius ſervatum fuerit.

8) Textum noſtrum Matthaei graecum adeo verſio illa Syriaca antiquiſſima, quae Peſchito dicitur, ſequuta eſt.

9) Luſus verborum *Matth.* 6, 16. ἀφανίζουσι γαρ etc. auctorem prodit graece ſcribentem. Accedit, quod loca V. T. modo accuratius vel ex verſione LXX. vel ex ipſo textu hebraico, modo liberius laudata ſunt, prouti accommodatum videretur conſilio ſcriptoris. Cfr. *Hug* Einl. Vol. II. p. 55. ſſ. ed. II.

10) Cfr. §. 6. Quum Iudaeo-Chriſtiani ſectae ſeverioris evangelium ſuum aramaicum, ex Matthaeo graeco oriundum, vulgo dicerent evangelium ſecundum Matthaeum, facile omnino fieri poterat, ut veterum eccleſiae doctorum alii quidem utrumque librum ab altero non diſtin-

guerent, alii vero, etsi diversitatem evangelii Nazaraeorum et Ebionitarum ipsiusque Matthaei commentarii animadvertissent, ex ipsa tamen lingua evangelii Nazarr. et Ebionn. *colligerent*, archetypum quoque Matthaei fuisse hebraicum s. aramaicum.

11) Quam coniecturam nuperrime defendit *Guericke* in l. l. Beyträge zur historisch-krit. Einleit. p. 43. ss.

§. 23.

De testimoniis veterum pro authentia huius evangelii exhibitis §. 13. vidimus. Quae vero nuperrime argumentis internis, ex tota huius libri indole, locisque singulis, aliorum potissimum evangelistarum narrationibus collatis, contra originem eius apostolicam disputata sunt [1]), persuasionem de authentia evangelii plerisque probatam evertere nequeunt, nisi vel de singulari cum Christo familiaritate, qua Matthaeus (instar Ioannis, Iacobi, Petri) usus fuerit, cogitaveris, eumque omnibus Iesu dictis factisque ab eo narratis testem oculatum interfuisse dixeris, vel Matthaeum propterea, quod Apostolus esset, ab ordine temporum accurato nunquam deflectere, neque, de re primaria fide narranda sollicitum, quae minoris esse momenti viderentur, minus diligenter et accurate persequi potuisse existimaveris [2]). Itemque, quod duo priora evangelii capita attinet, quae plures recentiorum interpretum (quanquam codices omnes et versiones authentiam eorum tuentur) aliena manu evangelio Matthaei mature adiecta fuisse suspicati sunt [3]), accurata rei investigatio, absque omni partium studio instituta [4]), facile docet, his capitibus nihil inesse, quod vel ab ipso Matthaeo, vel omnino tempore apostolico scribi non potuerit [5]); immo et toto dicendi genere et locis Matth. 3, 1. 4, 13. probatur [6]), eundem, qui totum scripserit evangelium, illam quoque originis et pue-

ritiae Christi historiam, forsitan ex documento quodam scripto desumtam, commentario suo inseruisse [7]).

1) Dav. *Schulz* die christliche Lehre vom heiligen Abendmahl, Leipzig, 1824. Beilage S. 302. ff. cui consentit *Roediger:* symbolae quaedam ad N. T. evangelia potissimum pertinentes, Hal. Sax. 1827. 4. *Orelli* selecta capita ad εισηγητικην sacram pertinentia part. II. Turic. 1821. p. 10. *Schulthess* in promtuario: biblisch-exeget. Repertorium von K. und H. *Rosenmüller*, 2. B. Leipz. 1824. p. 172. idemque in diario: theolog. Annalen v. *Wachler*, December, 1823. p. 1117. ff. *Wilke* über die Parabel von den Arbeitern im Weinberge: *Winer* Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie, 1. Heft, Sulzbach, 1826. p. 74. ff. Evangelium κατα Ματθαιον ex amplificatione evangelii Marci prodiisse contendit. *Fischer* Einleitung in die Dogmatik. etc. Tübingen, 1828. p. 115. ff. evangelium Matthaei ex ev. secundum Hebraeos derivatum esse coniicit.

2) Dubitationes contra authentiam evangelii Matth. excitatae huc redeunt. Si Matthaeus ipse hunc librum, qualem in canone nostro habemus, scripsisse existimatur, non patet, quomodo factum sit a) ut de ratione, qua ipse ad provinciam Apostoli vocatus fuisset, nihil profiteretur, exceptis paucissimis, quae Matth. 9, 9. obveniunt, adeo nomine Levi, quod olim habuisset, omisso, nec unquam se gereret auctorem huius evangelii; b) ut pluribus locis narrationem parum definitam, minusve absolutam et perspicuam exhiberet (formulae quippe leguntur, de toto genere enuntiantes, quod de specie tantum, s. parte intelligi potest, 4, 24. προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας etc. 8, 16. πάντας ἐθεράπευσεν, 9, 35. περιῆγεν τὰς πόλεις πάσας etc. θεραπεύων πᾶσαν νόσον etc. 10, 1. θεραπεύειν πᾶσαν νόσον etc. obscurius exponitur, quod apud ceteros evangelistas maiorem habet perspicuitatem, v. c. 21, 7. coll. *Marc.* 11, 7. *Luc.* 19, 35. *Matth.* 27, 48. 49. coll. *Io.* 19, 28. sq. *Marc.* 15, 36. *Luc.* 23, 36. sq. *Matth.* 27, 54. coll. *Marc.* 15, 39. *Luc.* 23, 47. vd. *Usteri* comment. crit. in qua ev. Ioannis genuinum esse ex comparatis quatuor evangeliorum narrationibus de coena ultima et passione Iesu Christi ostenditur, Turici, 1823. 8. p. 80. ff. 86. ff. omittuntur saepius, quae locis Marci aut Lucae parallelis cognitionem totius rei gestae accuratam

et integram adiuvant, vd. exempla §. 15. nota 4. commemorata); c) ut in quibusdam evangelii sectionibus, quae, ceteris praeeuntibus, diversis temporibus dicta aut gesta fuissent, eidem tempori adsignaret (id quod multi certe interpretes de sermone montano c. 5. 6. 7, exposito, de mandatis, quibus Apostoli c. 10. instruuntur, de parabolis c. 13. enarratis, de sermone c. 23. contra Pharisaeos enuntiato, de vaticiniis c. 24. 25. adfirmarunt); d) ut res narratas duplicaret, numerumque hominum narrando augeret (v. c. 8, 28. coll. *Marc.* 5, 1. *Luc.* 8, 26. sq. *Matth.* 9, 33. ss. 12, 24. ss. coll. *Marc.* 3, 20. ss. *Luc.* 11, 14. ss. *Matth.* 14, 13. ss. 15, 32. ss. coll. *Luc.* 9, 10. ss. *Io.* 6, 1. ss. *Matth.* 20, 29. 30. coll. *Marc.* 10, 46. *Luc.* 18, 35. *Matth.* 21, 7. coll. *Marc.* 11, 7. *Luc.* 19, 35.). Huic argumentationi recte obiicimus: (a) In scriptis veterum (praeter epistolas) omnino desideramus accuratiorem personae scribentis notationem. Quemadmodum Marcus et Lucas de nominibus suis suaque vitae conditione nihil in evangeliis professi sunt; ita Matthaeus non iudicavit necessarium, ratione lectorum *suae aetatis* habita (§. 19. nota 1.), vt nomen auctoris proferret, quum illis quidem Christianis, quis esset Matthaeus commentarii auctor, aliunde satis innotescere posset. (b) Vocabulum πας non ubique sensu litterali *omnia*, quae huius sint generis, sed etiam *permulta*, s. *diversissima* eorum indicat, saepiusque indefinite dicitur ita, ut res universe enuntiata secundum seriem orationis conditionibus certis circumscribenda sit (vd. *Bretschneider* lexicon manuale in libros N. T. sub v. πας T. II. p. 237. ex. 238. in. ed. I.) Locis Matth. laudatis hac in re simillima apparent plura in ceteris evangg. obvia, v. c. *Luc.* 4, 40. 5, 17. 6, 17. 19. al. *Marc.* 1, 33. 39. Nec desunt apud Matth. narrationes eventa *singula* satis definite exhibentes, quae illis universe observatis (ut 4, 24.) inserviant explicandis, definiendis, comprobandis, v. c. 8, 1. ss. 28. ss. 9, 1. ss. 20. 27. 32. 12, 9. ss. 22. ss. 15, 22. ss. 17, 14. ss. Quum porro ex ipsis evangeliis pateat, Servatorem plura dixisse, fecisse, expertum esse, quibus *non omnes* Apostoli auditores et spectatores interessent (cfr. *Matth.* 17, 1. 26, 37. 69. ss. *Marc.* 5, 37. 16, 14. *Luc.* 24, 36. 50. *Io.* 18, 15. 19, 26. 20, 26.) nihil impedit, quo minus Matthaeum aliquam partem rerum gestarum ea ipsa de causa, quod iis non interfuisset, narratione minus perfecta et integra exhibuisse censeamus. Neque consilium huius evangelistae

primarium (§. 21.) necessario secum ferebat, ut historiam rerum Christi integram exhiberet, singula quaevis accuratius persequendo. Accedebat forsitan, quod memoria hunc scriptorem, etsi res primarias probe tenuisset, in eiusmodi tamen rebus, quae ad locum, tempus, nomina, singula, verba, numerumque hominum pertinerent, retinendis et accurate distinguendis minus adiuvaret; quod *dexteritate* historiae scribendae rerumque disponendarum aliis cederet; quod iis praesidiis externis destitueretur, quae Lucae et Marco, evangelia sua consignantibus, praesto fuissent. His concedendis veracitatem scriptoris minime inpugnamus. Denique perpendendum est, narrationem Matthaei pluribus locis ita esse comparatam, ut, quae hic evangelista, collatis ceteris, omiserit, vel ex tota orationis serie, vel ex aliis eiusdem evangelii sectionibus cogitando possint suppleri, neque *omnia*, quae ceteri habeant, additamenta ad nexum rei narratae perspicue intelligendum necessaria videri, itemque, commentario Matthaei eiusmodi loca non deesse, quibus conferendis ipsius Lucae aut Ioannis narratio subinde illustretur et perficiatur. Cfr. §. 15. nota 5. Ex *Ioanne* cfr. 6, 1—15. (coll. *Matth.* 14, 13. ff.) Io. 6, 16—21. coll. Matth. 14, 22. ff. *Io.* 12, 12—16. coll. *Matth.* 21, 1—9. (c) Consilium, quod Matthaeus evangelio scribendo consequi voluit, non inpedibat auctorem, quo minus, quum vel omnino de *tempore* observando minus esset sollicitus, vel praesidiis ad tempora accurate observanda necessariis destitueretur, interdum *similiter* dicta et facta eadem sectione complecteretur. De nonnullis locis in utramque partem disputatur, an Matthaeus, quae *diversis* temporibus accidissent, in unum locum congesserit. (d) Quod illa potissimum dicta et eventa attinet, quae apud Matthaeum dicunt narrando aucta s. duplicata, pluribus quidem locis omnino non est, quod dubitemus, idem effatum (v. c. *Matth.* 17, 20. 21, 21.) saepius enuntiari, eandemve rem (v. c. *Matth.* 9, 33. sq. 12, 24. ff.) similiter bis accidere potuisse, etsi apud alios evangelistas semel tantum narrata fuerit. Neque in ceteris evangeliis exempla rerum, quas dicunt, duplicatarum prorsus desiderantur. Cfr. *Luc.* 19, 41. sqq. 21, 5. ff. coll. *Matth.* c. 24. *Luc.* 24, 4. coll. *Matth.* 28, 2. ff. — Totius evangelii indoles, rerumque narratarum delectus, consilio scriptoris (§. 21.) egregie accommodatus auctorem prodit, qui ipse in praeconibus fuit evangelii a Christo electis, et multa

certe eorum, quae commentario suo complexus est, experiundo cognoverat. Praeterea, quod apud Matthaeum, postquam c. 9. v. 9. de ipso Matthaeo sectatoribus Iesu perpetuis adscripto paucis expositum fuerat, *eodem capite* res gestae enarrantur, quae partim in ceteris evangeliis desiderantur (v. 27—34.) partim apud Marcum et Lucam alia narrationis serie exhibentur (v. 18—26. coll. *Marc.* 5, 22. ff. *Luc.* 8, 41. ff.) haud obscure indicat, haec potissimum eventa in animum auctoris evangelii propterea vim singularem exseruisse, quod prima essent eorum Iesu Christi factorum insignium, quibus ipse, tanquam comes Christi assiduus, interesset. Cfr. quae dubitationibus contra authentiam evangelii excitatis opposuerant: *Theile* in diario: *Winer* und *Engelhardt* neues kritisches Journal der theol. Litter. 2. B. 2. und 3. St. 1824. p. 181. ff. 346. ff. Christ. *Heydenreich* in eodem Wineri diario 3. B. 2. und 4. St. 1825. p. 129. ff. 385. ff. idemque: Zeitschrift für Predigerwissenschaften von *Heydenreich* und *Hüffell* 1. B. 3. H. Marburg, 1828. p. 10. ff. *Bengel* Archiv für die Theologie 6. B. 3. St. 1824. p. 572. ff. *Fritzsche* in prolegomenis suae ev. Matth. editionis §. 21. nota 4. laud. *F. Guericke* Beyträge zur historisch-krit. Einleitung in das N. T. Halle, 1828. p. 23. ff.

3) *William:* a free Enquiry into the authenticity of the first and second chapters of St. Matthews Gospel etc. Lond. 1790. *Stroth* von den Interpolationen im Evang. Matthaei, in *Eichhorn* Repert. für biblische und morgenländ. Litter. 9. Th. *Walther* Versuch eines schriftmässigen Beweises, dass Ioseph der wahre Vater Christi sey, Berlin und Stralsund, 1792. Lud. *Schmidt* Repertorium für die Litteratur der Bibel etc. 1. St. Leipzig, 1803. p. 117. ff. 2. St. 1804. p. 209. ff. *John Jones* sequel to ecclesiastical researches, in which the origin of the introductory chapters in Matthiew and Luke etc. Lond. 1813. (cfr. Leipziger Litteraturz. N. 159. 160. a. 1814.)

4) Quod nonnulli codices latini genealogiam c. 1. v. 1—17. a reliqua parte capitis 1. discernunt, nihil certe efficit contra originem apostolicam *totius* capitis I. et II. Nec ullam dubitandi caussam idoneam vel evangelio Marci, historiam infantiae Christi praetereunti, vel evangelio Ebionitarum, duo priora Matthaei capita omittenti, inesse dixerim (§. 15. nota 3. §. 6. nota 6.)

5) Quaecunque capite I. et II. leguntur, eidem consilio, quod Matthaeo in ceteris evangelii partibus ante oculos obversatum est, probe sunt accommodata. Discrepare quidem videmus tabulam genealogicam apud Matth. exhibitam ab ea, quam Lucas c. 3. v. 23—38. proposuit. De iis quippe maioribus Christi, qui a Christo ad Davidem usque adscendebant, traditiones diversae in ore hominum circumferri poterant, quum vita horum maiorum, qui Christum *proxime* antecessissent, minus cognita esset. Aliam traditionem Matthaeus, aliam Lucas sequutus est. Nexum facilem deesse dicunt, quo initium capitis III. ab infantia et pueritia Christi ad initium vitae eius publicae subito transeuntis capiti I. et II. cohaereat. Maluit vero Matthaeus, scriptor fidus veritatisque amans, quum uberiori cognitione fatorum pueritiae et adolescentiae Servatoris destitutus esset, in iis acquiescere paucis, quae c. I. II. suppeditaverat, quam traditionibus parum exploratis lacunae narrationis explendae prospicere. Neque ab indole et ingenio Matthaei, nulla arte rhetorica inbuti, alienum est illud parum definite dictum: ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις.

6) Initium capitis III. ita se habet, ut scriptor parum probabiliter his verbis totum evangelium inchoasse existimetur. Quae c. 4 v. 13. leguntur, in promtu est ad locum c. 2. v. 23. respicere. Eiusdem, quae in ceteris huius evangelii sectionibus deprehenditur, consuetudinis effata V. T. prophetica ad Iesum Messiam transferendi exempla plura in his duobus capitibus obveniunt, 1, 22. 2, 15. 17. 23. Neque eiusmodi dicendi rationes desiderantur, quae Matthaeo *praecipue sunt familiares*, v. c. υἱὸς Δαβὶδ (1, 1.), οὕτως ἦν (1, 18. non ἦν οὕτως); ἐν γαστρὶ ἔχειν (1, 18.) ἰδοὺ post genitivos absolutos (1, 20. 2, 1. 13. 19. coll. 9, 18. 32. 12, 46. 17, 5. al.) ἄγγελος κυρίου (1, 24. 2, 13. 19. coll. 28, 2.) κατ' ὄναρ (1, 20. 2, 12. 13. 19. 22. coll. 27, 19.) σφόδρα (2, 10. in hoc evangelio frequentius, quam in ceteris libris N. F. usurpatum), ἀναχωρεῖν (2, 12. nulli scriptorum N. F. aeque, ac Matthaeo, familiare) διεγερθεὶς ἀπὸ τοῦ ὕπνου (1, 24. non ἐξ ὕπνου, coll. 14, 2. 27, 64. 28, 7.) etc. Vd. *Gersdorf* Beiträge zur Sprachcharakteristik der Schriftsteller des N. T. 1. Th. Leipzig, 1816. p. 38. ss. *Wachler* theolog. Annalen Jahrg. 1817. p. 940. ss. Ceterum ipsae difficultates, quae pluribus locis interpretem premunt, historiam infantiae Christi apud Matthaeum propositam cum iis, quae Lucas c. I. II. habet,

comparantem, authentiae horum utriusque evangelistae capitum confirmandae potius quam inpugnandae inserviunt. Conferendi de his omnibus: *Velthusen* the authenticity of the first and second chapters of St. Matthews Gospel vindicated in answer, Lond. 1771. *Piper* diss. de genuina auctoritate cap. I. et II. ev. Matthaei, Gryphiswald. 1779. 4. *Hencke* de evangelii Matthaei integritate interpolando non corrupta, Helmstad. 1782. Phil. *Schmid* über die beyden ersten Kapitel des Matth. Lübeck, 1790. F. *Schmid* examen integritatis duorum priorum capitum Matthaei, Lips. 1791. (quae dissert. inserta est commentationibus theologg. a *Kuinoelio*, *Velthusenio*, *Rupertio* editis Vol. 1.) *Storr* differt. II. in librorum N. T. historicorum aliquot loca, in opuscc. Vol. III. p. 104. ss. *Oertel* Antiiosephismus (contra librum Waltheri nota 3. laud.) 1792. *Rau* symbola ad quaestionem de authentia cap. I. et II. ev. Matth. discutiendam, Erlang. 1793. 4. *Griesbach* σπιμετρον ad commentarium criticum in textum Matthaei, in eiusd. comment. crit. in textum gr. N. T. partic. I. Ienae, 1811. 8. *Süßkind* symbolae ad illustranda quaedam evangeliorum loca, pars I. Tubing. 1802. p. 3. ss. *Paulus* philologisch - kritischer und historischer Commentar über die drey ersten Evangelien, 2. Ausg. 1. Th. Lübeck, 1804. p. 107. ss. *Schubert* de infantiae Iesu Christi historiae a Matthaeo et Luca exhibitae authentia atque indole, Gryphisw. 1815. 8. (Hallische allgem. Litter. Zeitung N. 114. 115. a. 1816.) *Kuinoel* commentar. in libros N. F. historicos Vol. I. ed. III. Lips. 1823. p. XXVII. ss. prolegg.

7) B. *Eichhornius* quidem (Einleit. in das N. T. Vol. I. §. 101. 102.) praeter duo priora capita alias plures huius evangelii sectiones ab aliena manu profectas esse suspicatur, eas potissimum, quae apud solum Matth. obveniant, et partim eodem modo, quo c. I. et II. factum est, in auctoritate Iesu Messiana ex oraculis V. T. demonstranda elaborent, partim sermones Christi, diversis temporibus locisque enuntiatos coniungant. Verum enimvero, quo tandem iure adfirmetur, vel illam Messianae Iesu dignitatis demonstrationem, vel hanc similiter dicta iisdem sectionibus coniungendi rationem ab ingenio et consilio Apostoli alienam fuisse?

§. 24.

Quo tempore evangelium Matthaei litteris consignatum fuerit, diversimode definiunt veteres. Quanquam indicia exstant nulla, quorum ope annus ipse constitui possit, universe tamen argumentis, quae sufficiunt, contendere mihi videor, vel paulo ante annum Saeculi I. quinquagesimum, vel intra annum 50. et 60. scriptum esse; siquidem a) testimonia omnium hoc [1]) perhibent, Matthaeum ante Marcum, Lucam, Ioannem scripsisse, b) et Eusebius potissimum aperte profitetur, Matthaeum hoc opere perfunctum esse, priusquam Palaestina discederet [2]), c) attamen eiusmodi observata leguntur, quae non permittant, ut de consignatione huius evangelii admodum mature facta cogitemus [3]), d) nec patet, quomodo fieri potuerit, ut commentarius Matthaei, si mature scriptus fuisset, Lucae non innotesceret [4]), e) quo minus vero post eversionem demum Hierosolymarum litteris proditum esse coniiciamus, et totum caput 24. inpedit, quod nihil de eventu continet, quo vaticinium Christi iam comprobatum fuerit, et parenthesis illa, quam scriptor c. 24. v. 15. ita inserit, ut rem, quae indicetur, etiamnum exspectandam innuat [5]).

1) Praesertim hoc testati sunt *Clemens Alex.* apud *Euseb.* hist. eccl. 6, 14. *Origenes* ad παράδοσιν provocans *Euseb.* h. e. 6, 25. *Eusebius* ipse h. e. 3, 24.

2) *Euseb.* h. e. 3, 24. Quum Matthaeus, antiquitate Christiana testante, in provinciis multis extra Palaestinam fictis evangelium praedicaverit, (§. 20. nota 2.), non probabile est, eum ultra annum 50. aut 60. Saec. I. in Palaestina commoratum esse.

3) Quanquam Matthaeus haec observata eorum evangelii lectorum causa, qui extra Palaestinam essent, adiecisse videtur (§. 21. nota 4.), illud tamen: ἕως τῆς σήμερον

(*Matth.* 27, 8.) et: μέχρι τῆς σήμερον (*Matth.* 28, 15.) indicat, ab illis inde eventis usque ad tempus, quo evangelium consignaretur, *annos multos esse elapsos.* Nolim vero cum *Hugio* (Einl. in das N. T. Vol. II. p. 12. sq. ed. II.) ex verbis *Matth.* 24, 15. (ex *Daniele* 9, 25. desumtis) ὁ ἀναγινώσκων νοείτω demonstrare, quo tempore Matthaeus scriberet, in vicinia templi Hierosolymitani sive in ipso templo *iam apparuisse* illud, de quo l. l. sermo esset, βδέλυγμα ἐρημώσεως. Neque locus *Matth.* 23, 35. indicio inservit consignationis evangelii *tempore* demum *belli Iudaici* factae. Tantopere enim Matthaeus ipse, vel (ut alii volunt §. 22.) auctor versionis huius ev. graecae, memoria falli non poterat, ut Christum de illo Zacharia, Baruchi filio, quem *Iosephus* de bello Iud. 4, 5, §. 4. tempore demum belli Iudaici occisum fuisse perhibet, locutum esse putaret, quum Christus rem praeteritam describeret. Immo, quod scriptor verbis Christi hoc interpretamentum historicum: υἱοῦ Βαραχίου, addidit, quum scribere debuisset: filii Ioiadae (2 *Chronn.* 24, 20.), similitudine aliorum quorundam V. T. locorum factum est, quae scriptori h. l. in mentem venerant, ubi et Zacharias propheta, *Barachiae* filius (*Zachar.* 1, 1.) et alius Zachar. minus cognitus *Iebarachiae* filius (*Ies.* 8, 2.) commemoratur. Cfr. *Theile* Abhandl. in: *Winer* und *Engelhardt* neuem krit. Journal der theol. Litter. 2. B. 4. St. 1824.

4) Vid. §. 15. nota 5. observata. De caussis vero, quare Lucas commentarium suum mature scripsisse exstimari nequeat, posthac videbimus.

5) Coniecturae debemus, nec traditioni antiquae ecclesiasticae annum, quo Matthaeus scripserit, definienti, quae plures scriptorum seriorum perhibent, evang. Matthaei litteris consignatum esse vel, quo tempore Stephanus martyrium pateretur (*Cosmas Indicopleustes* Saec. 6. vd. *Fabricii* bibl. graeca l. 4. c. 5.), vel anno post abitum Christi in coelos octavo (Saec. 11. et 12. *Theophylactus* prooem. comment. in Matth. *Euthymius Zigabenus* prooem. in Matth.) vel anno decimo quinto (Saec. 14. *Nicephorus* hist. eccles. 2, 45.) Videmus tamen fere omnes *consentientes*, scripsisse Matthaeum *ante annum* 50. saeculi primi. Cfr. nota 1. 2. Singularis est *Irenaei* observatio contra haerr. l. 3. c. 1. (*Euseb.* h. e. 5, 8.): ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν καὶ γρα-

φὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων, καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν. Hoc enim dicere voluisse Irenaeum: „Matth. evangelium edidit, *quo tempore* Paulus et Petrus Romae evangelium praedicabant" neque cum *Kistemakero* (Weissagung Jesu vom Gericht über Judaea und die Welt, Münster, 1816. 8. 2. Anhang p. 99. ss.) hanc Pauli et Petri Romae praedicantium commemorationem obiter tantum, nulla temporis definiendi ratione habita, additam existimari posse, et ipsa docet verborum constructio, et, quod Irenaeus in hac tota sectione id potissimum agit, ut tempora definiat. Quando autem Petrus et Paulus Romae versati fuerint, dissentiunt viri docti. Quanquam hoc certum, Paulum non adiisse Romam *ante* annum 60. Saeculi I. Ambiguum est testimonium *Theodori Mopsvestensis* praef. catenae ad Io. ev.

§. 25.

Narratio et elocutio Matthaei praecipue diligit hebraismos (§. 22. nota 4. §. 15. nota 4. in.); lubenter una eademque sectione plures Christi sermones, quorum nonnulli diversis temporibus adsignandi esse videntur, coniungit (§. 23. nota 2. c.), nexum quendam internum sequutus; studiosius hoc agit, ut lectores ad multitudinem factorum insignium a Christo editorum attentos reddat [1]); frequenter docet, quomodo effata V. T. in dictis, factis, fatisque Iesu Christi eventum habuerint [2]). Animadvertimus item in usu formularum, quae transitum ad aliam narrationem parant, tempusve aut locum indicant [3]), singulisque vocibus [4]) plura Matthaeo potissimum familiaria.

1) Cfr. 4, 23. sq. 10, 8. 11, 5. 15, 30. sq. et eiusmodi effata, qualia sunt, quae §. 23. nota 2. b. d. laudavimus. Vd. *Köster* Immanuel, oder Charakteristik der neutestamentlichen Wundererzehlungen, Leipzig, 1821, p. 68. ss.

2) Huius generis observationes Matthaeus ita inserere solet, ut formulis utatur: τοῦτο γέγονεν, ἵνα (s. ὅπως) πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ κυρίου διὰ τοῦ προφήτου (1, 22. 2, 15. 23.

4, 14. 8, 17. 12, 17. 13, 35. 21, 4. 27, 35.) τοῦτο γέγονεν, ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαὶ etc. (26, 56.) τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν ὑπὸ etc. (2, 17. 27, 9.) Semel tantum *Marcus* hoc fecit 15, 28. tribusque locis, formula usus ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος s. ἡ γραφὴ, *Ioannes* (12, 38. 19, 24. 36.) qui frequentius eiusmodi dicta *ipsius Iesu Christi*, quibus effata V. T. laudavit, commemorat.

3) Pluribus Iesu Christi effatis uberius enarratis frequenter hanc addit observationem: καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσεν s. συνετέλεσεν ὁ ἰησοῦς etc. 7, 28. 11, 1. 13, 53. 19, 1. 26, 1. Ubi de tempore sermo est, saepenumero habet ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ et ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις (cfr. *Schmid* N. T. graeci ταμειὸν, Gothae et Lips. 1717. sub v. ἐκεῖνος); itemque voculam τότε, quae apud Matthaeum *multo saepius*, quam apud ceteros evangelistas occurrit, et huic evangelistae frequentius iis locis usurpatur, ubi *ipse* narrat, quam in sermonibus aliorum proferendis (cfr. *Schmid* ταμειον sub h. v.) Quanquam non desunt eiusmodi loca, quae phrases adhibeant magis definitas, v. c. 9, 18. 12, 46. 13, 1. 22, 23. 18, 1. De Iesu Christo *discedente loco*, ubi hucusque fuerat, et aliorsum abeunte lectores frequenter edocet. 8, 1. 18. 9, 1. 9. 27. 35. 11, 1. 12, 9. 15. 13, 53. 14, 13. 22. 15, 21. 16, 13. 17, 24. 19, 1. 21, 17. 24, 1.

4) a) Voces phrasesque huic scriptori *magis*, quam *ceteris* N. F. auctoribus familiares: σφόδρα, ἀναχωρεῖν, ἔνδυμα, ὀλιγόπιστος. b) quas ceteri non habent, quanquam iis non defuit occasio, haec vocabula adhibendi: ἀκριβοῦν (2, 7. 16.) ἀπὸ in eiusmodi connexione verborum, quae apud ceteros praepositionem ἐκ usurpat (ἀπὸ καρδίας pro: ἐκ καρδίας, 18, 35. ἐγείρεσθαι ἀπὸ τῶν νεκρῶν pro: ἐγ. ἐκ νεκρῶν 14, 2. 27, 64. 28, 7.) βασιλεία τῶν οὐρανῶν (3, 2. 4, 17. 5, 3. 10. 19. 20. 7, 21. 8, 11. 10, 7. 11. 12. 13, 11. 24. 31. 33. 44. 47. 52. 16, 19. 18, 1. 3. 4. 23. 19, 12. 20, 1. 22, 2. 23, 13. 25, 1. ceteri βασιλειαν simpliciter, s. βασιλ. τοῦ θεοῦ appellant) διστάζειν (14, 31. 28, 17.) ἐθνικὸς (6, 7. 18, 17.) καταποντίζεσθαι (14, 30. 18, 6.) μαλακία (4, 23. 9, 35. 10, 1.) μεταίρειν (13, 53. 19, 1.) ῥαπίζειν (5, 39. 26, 67.) συμβούλιον λαμβάνειν (12, 14. 22, 15. 27, 7. 28, 12.) συναίρειν λόγον (18, 23. 24. 25, 19.) φράζειν (13, 36. 15, 15.) Cfr. *Schmid* ταμειον sub his voce. Omisimus ea vocc. ἅπαξ λεγόμενα, quae apud ipsum Matthaeum *semel* tantum obveniunt.

§. 26.

Evangelium, quod κατα Μαρκον inscribitur, satis probabiliter eidem tribuitur Ioanni, Mariae cuiusdam Christum profitentis filio, cui testantibus libris sacris N. F. Marco cognomen fuit, cognato Barnabae, natalibus Iudaeo [1]), Paulum Apostolum eiusque socium Barnabam haud raro in itineribus comitanti, et adiuvanti, et ab ipso Paulo coetibus Christianis commendato [2]). Neque his repugnat, quod doctores ecclesiae veteris Marcum evangelistam familiaritate Petri Apostoli usum fuisse perhibent [3]), siquidem ex volumine Actorum cognoscimus, Ioannem Marcum Petro Hierosolymis versanti innotuisse, eumque non semper Paulum esse sequutum [4]). De eodem traditio ferebatur, eum in Aegypto evangelium praedicasse, et in ipsa urbe Alexandria coetus condidisse Christianos, ibique diem obiisse [5]).

1) Natalibus Iudaeum fuisse et nomen docet ἰωάννης, et, quod Barnabam Levitam habuit cognatum, eiusque mater sede fixa Hierosolymis usa est (*Actt.* 12, 12.)

2) Cfr. de his omnibus *Actt.* 12, 12. 25. 13, 5. 13. 15, 39. ad *Coloss.* 4, 10. ad *Philem.* v. 24. 2. *Timoth.* 4, 11.

3) Cfr. effata §. 27. laudd.

4) Vd. *Actt.* 12, 12. 13, 13. 15, 37. sq. Diversis temporibus et Paulo, et Petro sese adiunxisse videtur. Cui sententiae minime adversatur, quod Lucas in Actis App. de eius cum *Petro familiaritate* nihil professus fuerit, quum Lucas omnino res gestas et fata Pauli multo studiosius, quam Petri, persequatur. Utrum vero Petrus ipse sub eo, quem ep. 1. c. 5. v. 13. Marcum υἱὸν suum appellavit, *eundem Ioannem Marcum* intellexerit, eumque *tropice*, tanquam *discipulum* sibi praecipue dilectum dixerit filium suum (qua quidem compellatione blanda Ioannes et Paulus subinde de discipulis suis usi sunt, quanquam hoc sensu tropico non: υἱοὶ, sed: τέκνα, τεκνία, παιδία adhibent)? an de *alio* quodam Marco, *filio Petri proprie ita dicto*

cogitaverit (quum l. l. etiam *coniugis* suae mentionem fecisset)? sub iudice lis est.

5) Vd. *Euseb.* hist. eccles. 2, 16. *Epiphan.* haerr. 51, 6. *Hieron.* catal. scriptt. ecclesf. c. 8. Alias regiones, quas praeter Egyptum adietit, *Nicephorus* commemoravit hist. eccles. 2, 44.

§. 27.

De origine evangelii Marci scriptores ecclesiae veteris unanimi consensu adfirmare solent, eum sermonibus Petri Apostoli plurima debere, eoque moderante suum scripsisse evangelium, in modo quidem rei accuratius definiendo dissentientes [1]. Et, quanquam argumentis idoneis contendimus (§. 18.) evangelium primitivum ore traditum eo, quem supra explicuimus, sensu dictum pro fonte evangeliorum canonicorum principe esse habendum, itemque evangelia scripta Matthaei atque Lucae Marco scribenti ante oculos obversata esse (§. 15. nota 3.); nolumus tamen illam doctorum veterum sententiam omnino inter fabulas referre, coniecturasve arbitrarias [2], si modo limitibus iustis circumscribatur. Etenim, ut consuetudinem Petri, qua Marcus usus fuerit, ad conformationem huius evangelii aliquid contulisse indicemus, argumenta interna suadent [3].

1) Marcum, Petri comitem et ἑρμηνευτὴν, litteris dicunt consignasse, quae ipse a Petro, variis locis evangelium praedicante, accepisset, et memoria reposuisset, *Papias* (ad testimonium *Ioannis presbyteri* provocans) apud *Euseb.* hist. eccles. 3, 39. *Irenaeus* contra haerr. l. 3. c. 1. (*Euseb.* h. e. 5, 8.) *Origenes*, qui ex παραδόσει hoc sibi innotuisse profitetur, apud *Euseb.* h. e. 6, 25. Praeeunte *Tertull.* contra Marc. l. 4. c. 5. *Petri* esse adfirmatur, quod Marcus edidit, evangelium. *Clemens Alex.* apud *Euseb.* h. e. 6, 14. traditionem refert a presbyteris acceptam, Marcum, precibus multorum, qui Petrum Romae evangelium praedicantem audissent, obsequutum lit-

teris consignasse, quae Apostolus dixisset, Petro ipso nec prohibente, nec inpellente. Idem *Euseb.* h. e. 2, 15. Papia et Clemente Alexandrino testibus appellandis perhibet (ita ut Petrum auctoritate sua evangelium Marci confirmasse dicat) itemque *Hieron.* catal. script. eccles. c. 8. quae Hieronymi verba ostendunt, alium eiusdem scriptoris locum epist. ad *Hedib.* c. 2. (ubi, Petro narrante et Marco scribente, evangelium compositum esse dicitur) non ita esse intelligendum, ut Marco Petrus evangelium *dictasse* narretur. *Justinus Martyr* dial. cum Tryph. p. 333. ed. Colon. (si lectio vulgata vera est, cfr. *Gratz* krit. Untersuchungen über Justins apostol. Denkwürdigkeiten, p. 50. sq.) evangelium Marci ἀπομνημονεύματα αὐτοῦ (τοῦ Πέτρου) appellavit. Nec recentius defuerunt, qui hanc sententiam, vel totam vel limitibus circumscriptam, tuerentur. Cfr. auctor anonymus libri: *exegetische Bruchstükke*, Leipzig, Rostok und Schwerin, 1812. 8. *Van Willes* specimen hermeneuticum de iis, quae ab uno Marco sunt narrata, aut copiosius et explicatius ab eo, quam a ceteris evangelistis exposita, Traiecti ad Rhenum, 1811. 8. p. 203. ss. *Hug* Einl. in das N. T. T. II. p. 61. ss. ed. II.

2) Sic statuerunt B. *Storr* über den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Johannis p. 249. ss. 265. ss. quanquam idem Vir D. p. 266. ss. p. 366. concedit, traditionem illam non omni fundamento historico videri destitutam. *Semmler* Zusätze zu *Townson* Abhandl. über die vier Evangelien 1. Th. p. 21. *Griesbach* opuscc. acadd. ed. *Gabler* Vol. II. p. 387. ss. *Eichhorn* Einl. Vol. I. p. 556. ss. *Bertholdt* Einl. Vol. III. p. 1280. ss. *De Wette* Einl. in das N. T. p. 179. alii.

3) Hoc nobis volumus a) Petrum in hoc evangelio frequentius commemorari, eiusque dicta saepius proferri, quam apud ceteros evangelistas, b) plures earum narrationum, earumve observationum, rem gestam magis definientium, quas Marcus solus habeat, ex illa, qua Marcus diversis temporibus inbutus fuerit, Petri institutione facile repeti posse, 1, 19. 20. 36. 5, 37. 8, 22—26. 11, 21. 13, 3. 14, 37. 16, 7. Ceterum, quum Petrus Marco Hierosolymis innotuisset (*Actt.* 12, 12), anteaquam Marcus Paulo et Barnabae se adiungeret, facile fieri potuit, ut Marcus, hoc potissimum apostolo *praeeunte*, evangelium primitivum ore traditum cognosceret. Lubentissime tamen concedimus,

indolem et oeconomiam huius evangelii universe spectatam ex usu potius, quem hic evangelista fecerit, commentariorum Matthaei et Lucae explicandam esse, neque Marcum hoc egisse, ut, *quaecunque* Petro praesertim honorifica essent, narrando complecteretur. Cfr. Dav. *Schulze* in comment. §. 15. nota 3. laud. Analekten etc. von *Keil* und *Tzschirner* II. 3. p. 110. ff. *Saunier* über die Quellen des Evang. des Marcus, Berlin, 1825. p. 114. ff. p. 181. ff.

§. 28.

Propositum fuit Marco, historiae Christi descriptionem ea, quam commentarii Matthaei et Lucae suppeditaverant, breviorem (quanquam plura eorum, quae illi narraverant, accuratius definientem et amplius illustrantem §. 15. nota 3.) exhibere, in usum maxime Ethnico Christianorum [1]), qui in Italia, sive omnino extra Palaestinam versabantur. Romae scripsisse Marcum [2]) antiquitas Christiana testatur, exceptis paucis, hunc librum Alexandriae in Egypto vel primum scriptum, vel iterata vice editum esse adfirmantibus [3]). De tempore, quo evangelium suum consignaverit, sententia Irenaei [4]) post obitum Petri id factum esse perhibentis, ab aliorum testimoniis differt, qui Marcum dicunt vivente Petro scripsisse [5]). Quum evangelia Matthaei et Lucae, quorum illud vel paulo ante a. 50. vel intra a. 50. et 60. (§. 24.) hoc vero (ut mox videbimus) circa annum 60. litteris consignatum est, Marco scribenti, quem supra (§. 15.) cognovimus, usum praestiterint, sequitur, hunc evangelistam intra annum 60. et 70. commentarium suum edidisse [6]). Argumentis idoneis prorsus destituuntur, qui de evangelio Marci latine scripto, posthac graece translato cogitaverunt [7]).

1) a) Permulta quippe Marcus plane omisit, quae silentio transiri potuisse vix putaverim, si desideriis *Iudaeo-Christianorum* inservire voluisset; et narrationes rerum gestarum sermonesque Iesu Christi; quales apud *Matth.* c. 1. 2. 5. 6. 7. 8, 5—13. 11, 2—19. 17, 24—27. 20, 1—16. 22, 1—14. 23, 1—39. (exceptis nonnullis apud Marcum ex hac oratione depromtis), apud *Lucam* c. 1. 2. 4, 16—30. 7, 18—50. 10, 29—37. 11, 37—54. 13, 23—30. 31—35. 14, 1—24. 16, 14—31. 18, 9—14. 19, 1—10. leguntur, et singula apud ceteros pauca observata, quae in evangelio Ethnico-Christianis scripto omitti poterant, v. c. *Matth.* 3, 5. (*Marci* 1, 5.) *Matth.* 10, 5. (*Marci* 6, 8.) *Matth.* 24, 20. (*Marci* 13, 18.) *Matth.* 15, 24. (*Marci* 7, 27.) Multo frequentius et copiosius Matthaeus, in usum Iudaeo-Christianorum, loca V. T. laudavit, ad historiam Christi translata, §. 25. nota b. b) saepenumero apud Marcum eiusmodi interpretamenta, et breviter observata adiiciuntur, quae propter lectores Ethnico-Christianos necessaria videbantur. Cfr. *Marci* 1, 13. (ἦν μετὰ τῶν θηρίων.) 2, 4. 18. 7, 2. ss. 26. 11, 13. (οὐ γὰρ ἦν καιρὸς συκῶν). 13, 3. (κατέναντι τοῦ ἱεροῦ.) 14, 1. 12. 15, 6. 16. 42. Multae praesertim obveniunt vocabulorum lectoribus graecis peregrinorum explicationes. 3, 17. 5, 41. 7, 11. 34. 10, 46. 14, 36. 15, 22. 34. c) Voces adhibuit origine latinas, graece formatas, 2, 4. (κράββατος.) 5, 9. (λεγεων.) 6, 27. (σπεκουλάτωρ.) 12, 14. (κηνσος.) 42. (κοδράντης) 15, 39. 44. 45. (κεντυρίων.) Add. phrasis latina: ἱκανὸν ποιεῖν τινι 15, 15. — Coniecturam vero *Stortii* (über den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Johannis p. 278. ss.) evangelium Marci Christianis *Antiochenis* destinatum fuisse, argumentis parum idoneis defendi *Eichhornius* docuit: Einleit. in das N. T. Vol. I. p. 575. sq.

2) *Clemens Alex.* (apud *Euseb.* hist. eccles. 6, 14.) *Euseb.* h. e. 2, 15. *Hieron.* catal. scriptt. eccles. c. 8. *Epiphan.* haerr. 51, 6.

3) *Chrysost.* homilia I. in ev. Matthaei parum tribuere videtur sententiae, quam et ipse l. l. retulit, et codices quidam in subscriptionibus evang. habent, Marcum in *Egypto* scripsisse. De nova evangelii editione s. recensione in Egypto facta, (cuius vestigia quidem perspicua ne apud patres quidem Alexandrinos reperiuntur), cogitarunt nonnulli propter loca *Hieronymi* et *Epiphanii* (no-

ta 2.) itemque *Eusebii* h. e. 2, 16. qui Marcum, evangelio Romae scripto, in Egyptum abiisse perhibent.

4) Verba *Irenaei* contra haerr. 3, 1. adfirmantis, (§. 24. nota 5.) Marcum τὰ ὑπὸ τοῦ Πέτρου κηρυσσόμενα litteris consignasse μετὰ τὴν τούτων (Pauli et Petri) ἔξοδον non possunt in hac orationis serie cum *Kistemakero* (loco §. 24. nota 5. laud.) sic intelligi: postquam Paulus et Petrus Palaestina discesserant. Disputatur vero, utrum de tempore sermo sit, quo Paulus et Petrus *Roma* discesserint (in qua quidem urbe hos apostolos evangelium praedicasse Irenaeus modo dixisset) an de discessu eorum *ex hac vita?* Posteriorem loci interpretationem et verba sequentia commendant (quum Irenaeus hoc potissimum innuere videatur, Marcum sermones Petri propterea litteris consignandos existimasse, quod viva vox ipsius Apostoli deesset), et historia antiquitatis Christianae fere efflagitat, qua praeeunte Petrus et Paulus, postquam simul per plures annos evangelium Romae praedicaverant, in eadem urbe martyrium subierunt. Cfr. de loco Irenaei *Feilmoser* Einl. p. 79. *Eichhorn* Einl. Vol. I. p. 563. ff. *Bertholdt* Einl. Vol. III. p. 1284. Sententia Irenaei de tempore, quo Marcus evangelium scripserit, ex effato 2. Petri 1, 15. derivata esse videtur, ubi Petrus evangelium post mortem suam per Marcum, discipulum litteris consignandum innuisse putabatur.

5) Cfr. testimonia nota 2. allata.

6) *Post* eversionem demum Hierosolymarum evangelium suum exarasse iisdem de caussis non existimandus est, quibus supra §. 24. negavimus, commentarium Matthaei huius esse originis serioris.

7) Neque enim ex subscriptione ev. Marci hoc probarunt, quae in editionibus versionis N. F. Syriacae Peschito vulgo legitur, neque ex eo, quod olim pluribus autographon Marci visum est, evangelio latino in codicibus bibliothecae Venet. asservato. Cfr. *Dobrowsky* fragmentum Pragense ev. Marci, Pragae, 1778. 8. *Michaelis* Einleit. Vol. II. p. 1073. ff.

§. 29.

Quanquam haud exigua est commentariorum Matthaei et Marci similitudo, sive rerum, quas uterque

exposuit, delectum, sive elocutionis indolem spectaveris [1]); permulta tamen, quae Marcus priva habeat, lectori attento obveniunt. De ipsa historia evangelica permultis locis additamentis, quae Marcus habet, eiusque observationibus diversissimi generis amplius definita, et illustrata, nonnullisque sectionibus aucta iam supra diximus [2]). Patet, singulari diligentia evangelistam hoc egisse, ut, quae loco, tempori, singulorumque hominum conditioni accommodatissima viderentur [3]), prae ceteris sequeretur, ut narrationem lectoribus suis maxime perspicuam exhiberet, eorumque veluti oculis res gestas depingeret [4]), ut animos legentium ad gravitatem rerum narratarum, qualem ipse toto pectore sensisset, attentos redderet [5]). Cuius quidem studii vestigia luculentissima non tantum in delectu rerum narratarum [6]), et ordine, quem plerisque locis tenuit, sed etiam in modo narrandi eiusque dicendi ratione animadvertimus. Singularem adhibet sermonis evidentiam (ἐνάργειαν) [7]) ab ea, quae fere omnium esse solet N. F. scriptorum, simplicitate haud seiunctam; inversionibus frequenter utitur et interrogationibus [8]); non parcus est verborum [9]); pro hebraismis ceterorum evangelistarum haud raro voces formulasque ponit magis graecas [10]), etsi totum dicendi genus, universe spectatum, omnino hebraico-graecum appareat [11]).

1) Praeter dicendi rationem hebraico-graecam universe spectatam singula quoque haud pauca deprehendimus, quibus sermo Marci ad elocutionem Matthaei propius accedat. Sunt enim 45 voces, quae *praeter Matthaeum et Marcum* in toto codice N. F. non leguntur. (*Octodecim* tantum vocabula deprehendi, quae *Marcus* et *Lucas* soli habeant.)

2) Cfr. §. 15. nota 3. Narrationes integrae, quae apud solum obveniunt Marcum: 3, 7—12. 20. 21. 4, 26—29. 7, 31—37. 8, 22—26. 14, 51, sq.

3) Cfr. eiusmodi potissimum loca, ubi in promtu est, Marcum, dissentientibus quodammodo Matthaeo et Luca, consulto vel huius vel illius narrationem praeferendam iudicasse. 2, 5. (*Matth.* 9, 2. Luc. 5, 20.) 2, 13—22. (*Matth.* 9, 9—17. Luc. 5, 27—39.) 3, 13—19. et 6, 7. ff. (*Luc.* 6, 12. 9, 1. ff. Matth. 10, 1. ff.) 9, 2—13. (*Matth.* 17, 1—13. Luc. 9, 28—36.) 10, 17. (*Luc.* 18, 18. Matth. 19, 16.)

4) Larga manu exempla suppeditavit V. *Schulz* in comment. §. 15. nota 3. laud. Analekten etc. von *Keil* und *Tzschirner* 2. B. 2. St. p. 107. ff.

5) Marcus quippe copiosior est in factis Christi insignibus, quam in sermonibus enarrandis, soletque non tantum multitudinem horum factorum diligenter observare, sed etiam, quam saepe Christus, quae beneficia singulis praestitisset insignia, occultari voluerit, ne strepitus oriretur et acclamatio populi admirantis (1, 44. 5, 37. 40. 43. 7, 24. 33. 36. 8, 23. 26. 9, 30.), quam ingens hominum numerus undique ad eum confluxerit, vel doctrinam Christi vel auxilium beneficum expetens (1, 33. 37. 45. 2, 2. 4. 13. 3, 9. 20. 4, 1. 5, 21. 24. 6, 33. 9, 15. 10, 1.), quot et quanta sermones et facta Servatoris effecerint (1, 22. 27. 2, 12. 4, 41. 5, 42. 6, 2. 51. 7, 37. 9, 6. 15. 10, 24.) Eundem vero evangelistam non alienum fuisse ab ea factorum insignium contemplatione, quae animum probe attendat, si qua vel prorsus evenerint secundum leges viresque naturae nobis cognitas, vel propius certe ad hunc vulgarem rerum ordinem accesserint, ex pluribus locis colligi potest, 7, 33. sq. 8, 23. ff. 6, 13. 11, 12—14. 20. ff. coll. *Matth.* 21, 19.

6) Huc pertinent, quae nota 3. 4. 5. attulimus. — Ceterum non negamus, narrationem Marci *non ubique*, vel nexu et ordine rerum expositarum, vel diligentia rem narratam accuratius definiente, locis praestare parallelis. v. c. 2, 15—17. 18—21. (*Matth.* 9, 9—13. 14—17.) 5, 22—43. (*Matth.* 9, 18. ff.) 9, 37—42. (*Matth.* 18, 5. ff. *Luc.* 9, 48. ff. coll. 17, 2.) 14, 50. πάντες ἔφυγον (*Matth.* 26, 56. οἱ μαθηταί.)

7) Usus temporis praesentis Marco est admodum familiaris, 4, 37. (coll. *Matth.* 8, 24. *Luc.* 8, 23.) 5, 15. (*Matth.* 8, 34. *Luc.* 8, 35.) 5, 22. (*Matth.* 9, 18. *Luc.* 8, 41.) 6, 7. (*Matth.* 10, 1. *Luc.* 9, 1.) 6, 48. (*Matth.* 14, 25.) 11, 1. 2. (*Matth.* 21, 1. 2. *Luc.* 19, 29. sq.) 11, 21. 22. 27. 28. 33.

(*Matth.* 21, 21. 23. 27. *Luc.* 20, 1. 2. 7.) 12, 18. 36. 43. (*Matth.* 22, 23. 44. *Luc.* 20, 27. 42. 21, 3.) al. vd. *Schulz* loco laud. Analekten etc. 2. B. 3. St. p. 95. ff. Verba finita lubenter ponit, ubi locis parall. participia leguntur. 3, 24. sq. (*Matth.* 12, 25. *Luc.* 11, 17.) 6, 17. 29. (*Matth.* 14, 3. 22.) 8, 11. (*Matth.* 16, 1.) 8, 36. (*Matth.* 16, 26. *Luc.* 9, 25.) 11, 2. 4. (*Matth.* 21, 2. 6. *Luc.* 19, 30. 32.) 11, 7. (*Matth.* 21, 7. *Luc.* 19, 35.) 12, 20. (*Matth.* 22, 25. *Luc.* 20, 29.). Eum narrandi modum magnopere diligit, qui ad singulas rei, de qua sermo est, partes descendat separatim commemorandas, et ampliori sermone illustrandas, qui adfectus potissimum hominum loquentium depingat, qui malit ipsa eorum verba sermonesque mutuos lectoribus exhibere, quam usum facere eius, quam indirectam vocant, orationis. 1, 7. 32. 2, 3. 6. 3, 5. 32. 34. 5, 4. 5. 27. 6, 24—28. 34. 37. sq. 7, 28. 30. 35. 8, 12. 19. 20. 24. ff. 9, 14—27. 10, 16. 17. 21. 22. 35. 49—51. 11, 13. 12, 1. 14, 3. 5. 19, 41. 16, 3. al.

8) De inversionibus vd. 6, 16. 36. 8, 14. 38. 11, 24. 14, 3. 21. De interrogationibus (easdem quidem sententias exprimentibus, quae locis parallelis sine interrogatione proferuntur) vd. 4, 21. (*Luc.* 8, 16. 11, 33.) 5, 35. (*Luc.* 8, 49.) 5, 39. (*Luc.* 8, 52.) 8, 12. (*Matth.* 16, 4.) 11, 17. (*Matth.* 21, 13. *Luc.* 19, 46.) 12, 24. (*Matth.* 22, 29.) al. — Aliquoties effata Iesu Christi eodem loco et tempore (secundum Marcum) enuntiata formula distinguuntur: καὶ ἔλεγεν s. ἔλεγε δὲ, quo facilius lectores ad gravitatem cuiusque horum effatorum attenti reddantur. 4, 21. 24. 26. 30. 7, 20.

9) Lubenter repetit Marcus, quae modo dicta fuerant, (in ipsis Christi sermonibus enarrandis), vel iisdem usus verbis, vel oratione mutata, v. c. 2, 15. 19. 3, 7. 4, 32. 6, 55. sq. 8, 17. 21. 9, 38. 12, 22. sq. 29. sq. 13, 9. 23. 16, 11. 13. 14. Opposita frequenter adduntur, 1, 22. 45. 2, 27. 3, 26. 27. 29. 4, 17. 33. 34. 5, 26. 39. 9, 8. 37. 10, 8. 14. 27. 40. 45. al. Negatio usurpatur duplex, immo triplex, οὐ μὴ, οὐ et οὐδείς, μηδείς et μηδὲν, οὐκέτι οὐ μὴ. vd. *Schmid* ταμεῖον sub his vocc. et *Schulz* l. l. Analekten II. 3. p. 91. sq. Praepositionibus adverbia vel eiusdem stirpis, vel eiusdem certe significationis adiiciuntur, v. c. ἐκβάλλειν ἔξω, ἐκπορεύεσθαι ἔξω, ἐξέρχεσθαι ἔξω (vd. *Schulz* l. l. p. 93.) Verba finita substantivis, quae eiusdem sunt etymi, coniunguntur, 1, 16. 5, 42. 7, 13. 13, 19. 20. Dicendi ratio verbosior haud raro praefertur for-

mulae breviori (5, 22. *Luc.* 8, 41. *Matth.* 9, 18. 5, 25. *Luc.* 8, 43. *Matth.* 9, 20. 6, 26. *Matth.* 14, 9. 6, 29. *Matth.* 14, 22. 7, 5. *Matth.* 15, 2. 9, 41. *Matth.* 10, 42. al.) nec desunt synonyma (1, 42. 2, 20, 25. 5, 21. 6, 25. 8, 15. 13, 11. 14, 68. al.), et eiusmodi observationes, quae, salva orationis integritate et perspicuitate, omitti potuissent. Vd. *Schulz* l. l. Analekten 3. B. 1. St. p. 89. ff. Patet omnino, hunc evangelistam non tantum, ut intelligentiae lectorum prospiceret, sententiis verbisque repetendis et cumulandis haud raro operam dedisse, sed etiam natura sua ad rationem dicendi uberiorem fuisse proclivem, eidemque sermonis abundantiae magis magisque adsuefactum esse comparandis Matthaei et Lucae commentariis, eandem rem gestam haud raro vocibus diversis enarrantibus.

10) v. c. 1, 6. 10. (*Matth.* 3, 4. 16.) 9, 2. (*Luc.* 9, 29.) 10, 48. (*Matth.* 20. 31.) 10, 51. (*Matth.* 20, 33.) 12, 4. (*Luc.* 20, 11.) al.

11) vd. *Schulz* l. l. Analekten etc. III. 1. p. 98. ff. Praeter hebraismos permultos etiam varii generis negligentius structa et enuntiata obveniunt, 3, 14. ff. 5, 2. 6, 9. 7, 11. 9, 20. 26. 28. 11, 32. 12, 5. 10. 88. ff. — Ceterum diligit Marcus diminutiva (παιδίον, θυγάτριον, κοράσιον, κυνάρια, ἰχθύδια), verba composita, plusquamperfecta augmento destituta. vd. Schulz l. l. Analekten etc. II. 3. p. 120. ff. III. 1. p. 110. 125. ff. Voces phrasesque singulae Marco usurpatae a) quae huic evangelistae magis, quam ceteris N. F. scriptoribus familiares sunt: ἄρχεσθαι cum aliorum verborum infinitivis, ἀκάθαρτα πνεύματα, ἔρχεσθαι (et verba composita ἀπέρχεσθαι, ἐξέρχεσθαι, εἰσέρχεσθαι, προσέρχεσθαι etc. ad *narrationem amplificandam* adhibita, vd. *Schulz* l. l. Analekten etc. II. 3. p. 122. ff.), εὐθέως in narrando, καὶ ita ut narrationem novam antecedenti nectat (vd. *Schulz* l. l. Analekten II. 2. p. 123.), παραπορεύεσθαι, περιβλέπεσθαι, συζητεῖν. b) quas ceteri non habent, quanquam non defuit occasio easdem voces adhibendi: ἄλλοι, ἐκθαμβεῖν, ἐπιβάλλειν (intransitive positum: irruere, s. se proripere), ἐναγκαλίζεσθαι, πολλὰ adverbialiter positum de eo, qui multis verbis aliquid praedicat, enixius aliquem rogat, s. admonet, rei cuidam peragendae operam navat diligentem, σκώληξ, συμβούλιον ποιεῖν (Matthaeus: συμβ. λαμβάνειν), forma ἤφιεν. Omittimus alia haud

pauca ἅπαξ λεγόμενα, quae apud ipsum Marcum uno tantum loco obveniunt. De phrasibus laudd. vd. *Schmid* ταμεῖον N. T. sub his vocc. Uberius, quae huius sunt evangelistae, propria recensuit praeter *Schulzium* (in commentt. laudd.) *Van Willes* in specimine hermeneut. supra §. 27. nota 1. laud. Cfr. *Köster* Immanuel (§. 25. nota 1. laud.) p. 72. seqq. itemque *De Wette* observationes: theologische Studien und Kritiken, herausgeg. von *Ullmann* und *Umbreit*, 1. B. 4. H. Hamburg, 1828. p. 789. ss.

§. 30.

Authentia quidem evangelii Marci dubitationibus nullis est obnoxia [1]). Quod vero integritatem eius attinet, quae vulgo sub finem legitur sectio c. 16. v. 9—20. recte negatur ab ipso Marco esse profecta [2]), sive Marcus omnino inpeditus fuerit, quo minus clausulam evangelio adderet, sive, quam ipse addidisset, in quodam antiquissimorum codicum fuerit omissa, saepius deinde descripto ac divulgato [3]).

1) Cfr. §. 13. 14. *Van Willes* in specim. §. 27. nota 1. laud. p. 172. ss.

2) Exhibetur quidem haec pericope in iis, quos habemus, codicibus, *excepto Vaticano*, in versionibus scripturae s. vetustis, itemque apud *Pseudo-Clementem* constitt. apostt. l. 8. c. 1. *Irenaeum* contra haerr. 3, 10. ex. *Athanasium* in synopsi scripturae divinae (in summa evangelii secundum Marcum) *Augustinum* de consensu evangelistarum l. 3. c. 24. aliosque patrum vett. Marco vindicatur. Attamen, codices haud paucos, qui ad nostram aetatem omnino non pervenerint, sectionem totam omisisse, testimoniis constat luculentissimis et scholiorum, quae in pluribus nostrorum codd. leguntur, et *Gregorii Nysseni* (oratio II. de resurrectione Christi) *Eusebii* in quaestionibus ad Marinum nuper editis ab *Angelo Maio* (scriptorum veterum nova collectio e Vaticanis codd. edita T. I. Romae, 1825. p. 61. 72.) *Hieronymi* (epist. ad Hedibiam quaest. 3.) *Victoris Antiocheni* (in catena Vol. II. p. 120. sq. ed. *Matthaei*) *Severi Antiocheni* (concordantia evangelistarum in *Montfauconii* bibliotheca Coisliniana P. I.

p. 74.) Asterisci huic pericopae adponuntur in duobus nostrorum codd. bibliothecae Vatic. Testante codice regio *L.* et nota margin. versionis Syriacae posterioris post v. 8. in pluribus codd. aliae legebantur evangelii clausulae. An *Eusebius* ipse sectionem spuriam iudicaverit, sub iudice lis est. Cfr. N. T. graece textum recensuit etc. *Griesbach*, Vol. I. ed. III. cur. *Dav. Schulz*, Berol. 1827. p. 291. Evangel. secundum Marcum graece et lat. ex codd. ed. F. *Matthaei*, Rigae, 1788. p. 266. ss. coll. editione N. T. quam *Matthaei* recentius adornavit T. I. Viteb. 1803. p. 291. Add. observatio *Münteri* in commentatione: notitia codicis graeci evangelium Ioannis variatum continentis, Hauniae, 1828 p. 4. Rationes externae authentiam sectionis dubiam reddunt. Spuriam esse docent argumenta interna. 1) Quod res ipsas attinet, v. 9. — 20. enarratas, plura obveniunt, quae Marcum hac ratione exposuisse parum probabiliter existimemus. a) Initium sectionis: Ἀναστὰς δὲ, πρωῒ πρώτῃ σαββάτου ἐφάνη etc. (sic enim recte interpungitur, ne voces ἀναστὰς πρωῒ coniunctae versui 2. cap. 16. prorsus repugnare videantur) praefractum est, nec ullam rationem habet eorum, quae v. 1 — 8. exposita fuerant. Neque enim edocemur, quomodo factum sit, ut Christus vitae restitutus *huic tantum* Mariae Magdalensi, non item ceteris mulieribus v. 1. commemoratis appareret (nisi ceterae, quod scriptor tacet, aliorsum secessisse existimentur), neque patet, quare Maria Magdal. iam supra v. 2. nominata *hoc demum loco* amplius describatur: ἀφ' ἧς etc. De apparitione Mariae Magd. soli facta multo accuratius *Io.* c. 20. exposuit. b) Obscuritate premuntur, ab indole et consuetudine Marci aliena, quae v. 12. legimus, ἐφανερώθη ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ. Vd. *Luc.* 24, 13. ss. c) Verba v. 13. οὐδὲ ἐκείνοις ἐπίστευσαν parum bene conveniunt historiae apud Lucam expositae 24, 34. quanquam scriptor v. 12. Lucam ante oculos habuerat. d) parum probabiliter v. 14. de Iesu dicitur: ὠνείδισε τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν, καὶ σκληροκαρδίαν, quum ὀνειδίζειν ex usu loquendi reprehensionem *duriorem* et *acerbam* indicet, neque discipuli Servatoris tum temporis, praeeuntibus quidem ceteris evangelistis, obiurgatione *dura* ab eo notati fuisse existimandi sint, quamvis ad persuasionem certam de Iesu Christo vitae restituto nonnisi repetitis huius rei testimoniis ac documentis pervenissent. e) Facultas eiusmodi σημεῖα edendi, qualia v. 17. 18. indicantur, in evan-

geliis nostris nunquam promittitur *omnibus Christianis*. Nec ullum in toto codice N. F. exemplum legitur illius miraculi, quod verba v. 18. innuunt: κἂν θανάσιμόν τι πίωσιν etc. quanquam traditiones huiusmodi obveniunt in Actis App. *Pseudo-Abdiae* (Saec. 4.) itemque apud *Isidorum* Hispal. de morte sanctorum c. 73. et *Euseb.* hist. eccles. l. 3. c. 39. Desideramus contra apud nostrum, quae Servator, priusquam in coelos abiret, de praesentia sua et efficacia invisibili cultoribus suis nunquam defutura, Spiritusque divini auxilio coelitus mittendo pollicitus esse narratur *Matth.* c. 28. ex. *Luc.* 24, 49. *Actt.* 1, 8. f) Iesum Christum post resurrectionem in Galilaeam abiisse, ibique cum discipulis familiariter esse versatum (*Matth.* 28, 16. *Io.* c. 21.) in hac tota pericope ne verbulo quidem indicatur, quanquam Marcus ipse c. 16. v. 7. verba commemoraverat nuntii divini, mulieribus sepulcrum Christi ingressis haec dicentis: εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ — ὅτι προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν γαλιλαίαν etc. g) Quae v. 14. narrantur, cum iis, quae v. 15. ff. legimus, ita coniunguntur, ut eodem tempore accidisse videantur. Sed cfr. *Luc.* 24, 50. 2) Abundat haec brevis pericope eiusmodi vocibus ac dicendi formulis, quae ab elocutione Marci alienae sunt. *V.* 9. Pro πρώτῃ σαββάτου exspectabatur μιᾷ σαββάτου, ut supra v. 2. *Matth.* 28, 1. *Luc.* 24, 1. *Io.* 20, 1. 19. Verbum φαίνεσθαι quanquam de rebus hominibusve *re vera* apparentibus dicitur (*Matth.* 9, 33. 13, 26. *Luc.* 9, 8.) nunquam tamen in N. F. de apparitionibus *Iesu Christi* in vitam revocati adhibetur. Quoties *Marcus* de daemonibus malis depulsis s. eiectis loquitur, verbum ἐκβάλλειν non cum praepos. ἀπό, sed c. ἐκ coniungit, 1, 25. sq. 7, 29. 9, 25. V. 10. In toto *Marci* evangelio, atque omnino in narrationibus evangelistarum, neque ἐκείνη pro *simplici* ἡ δὲ, neque (ut v. 13.) ἐκεῖνοι pro *simplici* οἱ δὲ s. pro αὐτοὶ sine ulla emphasi ponitur. πορεύεσθαι praeter hunc vs. et v. 12. 15. in ev. Marci non occurrit. V. 11. Verbum θεᾶσθαι, Matthaeo, aliisque N. F. scriptoribus probe cognitum, apud Marcum non legitur nisi h. l. et v. 14. Et, quoties in N. F. sensu ponitur passivo, θεᾶσθαι τινὶ dicitur, non ὑπὸ τινος. Ἀπιστεῖν, quod inter Evangelistas solus usurpat Lucas, in ev. Marci frustra quaesiveris, praeter hunc l. et v. 16. V. 12. Neque Matthaeus neque Marcus habet μετὰ ταῦτα. Verbum φανεροῦσθαι, apud Marcum c. 4. v. 22. alio sensu usurpatum,

excepto hoc v. et 14. neque in hoc evangelio, nec apud Matthaeum et Lucam de *Christo* vitae restituto discipulis *apparente* dicitur. Ioannes solus (cuius evangelium Marco scribenti ante oculos obversatum esse doceri non potest) hunc verbi usum fecit 21, 1. 14. Vocab. ἕτερος, Matthaeo et Lucae usurpatum, in ev. nostro praeter hunc vs. desideratur. Substantivum μορφή nullus habet evangelistarum. V. 17. παρακολουθεῖν inter Evangelistas solus adhibuit Lucas 1, 3. V. 18. Neque Marcus, neque Matthaeus usum fecit verbi βλάπτειν. χεῖρας ἐπιτιθέναι ἐπί τινα alienum est a consuetudine Marci, qui scribere solet χεῖρας ἐπιτιθ. τινι. 5, 23. 6, 5. 7, 32. 8, 23. V. 19. μὲν οὖν inter Evangelistas unus habet Lucas 3, 18. κύριον Matthaeus quidem et Marcus, ubi *ipsi* loquuntur, Iesum Christum nunquam appellant (ut h. l. et v. 20.) V. 20. ἐπακολουθεῖν apud evangelistas praeter hunc vs. desideratur. Ceterum plures eiusmodi vocum et formularum, quae Marco praecipue sunt familiares, in hac sectione non obveniunt (deest εὐθέως, et usus frequens voculae καὶ, ad aliam narrationem transeuntis.) Quae quum ita sint, ipse non amplius authentiam huius sectionis hac ratione defendi posse existimo, ut Marcus, quum totum evangelium usque ad c. 16. v. 8. conscripsisset, (casu quodam, quo minus statim pergeret, inpeditus) clausulam illam v. 9—20. seriori demum tempore adiecisse, eiusque evangelium, priusquam haec clausula adderetur, quibusdam innotuisse, et describendo divulgatum esse censeatur. Cfr. *Opuscula* mea exegetica, critica, dogmatica T. II. Ienae, 1818. p. 129. ff. Immo haec tota pericope recte habetur spuria, secundum loca plura aliorum N. F. librorum (Luc. 24, 9—45. 50. ff. *Io.* 20, 11—18. *Matth.* 28, 18. ff. *Actt.* 1, 9. 11. forsan etiam *Io.* 3, 18. 36. 12, 48. *Hebrr.* 1, 3. 2, 3. 4. *Actt.* 14, 3.) conformata, nonnullis antiquissimorum codicum *mature* inserta, ne post v. 8. continuatio narrationis, et clausula evangelii deesset. Cfr. D. *Michaelis* Erklärung der Begräbniss- und Auferstehungsgeschichte Christi p. 179. *Bolten* Bericht des Marcus etc. p. 266. ff. *Thiess* neuer kritischer Commentar über die drey ersten Evangelien, Vol. II. p. 222. *Griesbach* commentar. criticus in textum gr. N. T. Ienae, 1811. p. 197. ff. *Gratz* neuer Versuch die Entstehung der drey ersten Evangg. zu erklären (Tüb. 1812.) p. 52. ff. *Bertholdt* Einl. Vol. III. p. 1284. ff. *Io. Schulthess*: die Frage über die Aechtheit

der Stelle des Ev. Marci 16, 9—20. durch vollständige Darlegung und scharfe Prüfung aller inneren und äusseren Zeugnisse und Beweise dafür und dawider erörtert und ausgemacht, in den *Analekten* für das Studium der exeget. und system. Theologie v. *Keil* und *Tzschirner* 3. B. 3. St. Leipz. 1817. I. V. *Henneberg* philolog. histor. und krit. Kommentar über die Geschichte des Begräbnisses, der Auferstehung und Himmelfahrt Iesu, nach den Evangelien des Matthaeus, Marcus und Lucas, Leipzig, 1826. p. 61. ff. p. 114. ff. A. *Fritzsche:* quatuor evv. recens. et cum commentt. perp. ed. T. II. (ev. Marci) Lips. 1830. p. 715—758. Quanquam non defuerunt interpretes eruditi, qui authentiam sectionis defenderent: *Osiander* exercitatio, qua ostenditur, duodecim postrema commata Marci c. 16. extantia esse genuina, Tubingae, 1753. *Millius* prolegg. in editione N. T. Amstelod. 1710. p. 77. p. 141. *Wolf* curae philol. et crit. Vol. I. ad Marci c. 16. *Storr* differt. prima in librorum N. T. historicorum aliquot loca p. 50. ff. (eius opusculis acadd. inserta Vol. III. p. 50. ff.) *Paulus* philologisch-kritischer und histor. Commentar über die drey ersten Evangg. 3. Theil (Lübeck, 1805.) p. 915. ff. *Kuinoel* commentar. in libros N. T. historicos Vol. II. ed. III. Lips. 1824. p. 197. ff. *Eichhorn* Einl. in das N. T. Vol. I. p. 576. ff. *Hug* Einl. Vol. II. p. 247. ff. ed. II. *Feilmoser* Einl. p. 82. ff.

3) Quo minus cum *Schulthessio* loco nota 2. laud. p. 158. existimemus, Marcum v. 8. c. 16. finem inposuisse evangelio, inpedit, quod Marcus recte existimatur evangelia Matthaei et Lucae ante oculos habuisse (§. 15. nota 3.) Nec probabile est, scriptorem, qui commentarium suum verbis ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου etc. (c. 1. v. 1.) rite *inchoasset*, ac tota narrationis suae indole scriptorem sese gessisset perspicuitatis studiosum (§. 29.), capite ultimo narrationem admodum mancam et imperfectam exhibuisse, clausula nulla addita.

§. 31.

Quod scriptores veteres de auctore evangelii tertii testantur [1]), eundem fuisse Lucam, Pauli Apostoli familiarem atque socium, quem Paulus pluribus epistolarum locis commemoravit, et medicum appellavit [2]),

perquam probabile exiſtimatur. Diſtinguendus vero eſſe videtur ab illo, cuius mentio in libris N. F. aliquoties facta eſt, Lucio [3]). De patria Lucae ambigitur, quum ſententia vulgaris, quae illum perhibet Antiochenum, dubitationibus ſit obnoxia [4]). Diſſentiunt item, utrum natalibus Iudaeus fuerit an Ethnicus. Ex ipſa quidem formà graeca nominis λουκας, praeſertim vero ex tota ſermonis, quo uſus eſt, indole [5]), et accurata, quam locis permultis prodidit, rerum Iudaicarum cognitione, recte colligimus, Lucam, etſi parentes habuiſſet ethnicos, extra Palaeſtinam natus, mature tamen ad ſacra tranſiiſſe Iudaica, priusquam religionem Chriſti amplecteretur [6]). Certum eſt, ex quo tempore Paulus Troade in Macedoniam diſcederet, Lucam ſe adiunxiſſe comitibus Apoſtoli aſſiduis, eique operam praeſtitiſſe in praedicando evangelio [7]).

1) *Iren.* contra haer. l. 3. c. 1. *Euſeb.* hiſt. eccleſ. 3, 4. *Hieron.* praef. in Matth. eiusdem comment. in ep. ad Philem. v. 24. *Nicephorus* hiſtor. eccleſ. 2, 43.

2) Cfr. ep. ad *Philem.* v. 24. ad *Coloſſ.* 4, 14. 2. ad *Timoth.* 4, 11.

3) Quem Paulus ep. ad *Romm.* 16, 21. appellat *Lucium* (eundem forſan, de quo *Actt.* 13, 1. ſermo eſt), non *ſociis muneris*, ſed *cognatis* ſuis adnumerat. *Lucam* vero ad *Philem.* v. 24. *muneris ſocium* eundemque ad *Coloſſ.* 4, 14. non cognatum, ſed amicum appellat. Et ipſa forma vocabuli contracti λουκας ex nomine: *Lucanus* potius, quam ex n. *Lucius* derivanda eſſe videtur. Cfr. de hac ſententiarum diverſitate *Eichhorn* Einl. I. p. 581. ſſ.

4) Antiochenum perhibent *Euſeb.* et *Hieron.* Cfr. nota 1. Add. *Hieron.* catal. ſcriptorum eccleſ. c. 7. Nomen λουκας parum addicit huic ſententiae, derivatae forſan ex loco *Actt.* 13, 1. minus recte ita explicato, ut Lucius (qui loco laud. tum temporis Antiochiae verſatus eſſe perhibetur), idem, qui Lucas, fuiſſe, additumque κυρηναιος, patriam indicans, ſynagogam Iudaeorum Cyrenaeorum, quam ille olim Hieroſolymis frequentaſſet, innuere putaretur.

5) Elocutio evangelii quanquam scriptorem arguit sermonis *graeci* peritiorem ceteris evangelistis, minime tamen ab hebraismis aliena est.

6) Cfr. *Kuinoel* commentar. in libros N. T. historicos Vol. II. editio III. Lips. 1824. p. 235. ss. *Riehm* dissert. theologico-crit. de fontibus actuum apostolicorum, Traiecti ad Rh. 1821. 8. p. 17. ss. Ex locis quidem Actt. 21, 27—28. 29. (ubi Trophimus tantum, socius Pauli, tanquam ἕλλην describitur, de Luca, quem tum temporis apud Paulum fuisse v. 17. docet, nihil diserte additur), et ep. ad *Coloss.* 4, 11. 14. (quo loco an Paulus *data opera* nomen Lucae a nominibus illorum, qui v. 11. οἱ ὄντες ἐκ περιτομῆς dicerentur, seiunxerit, diversimode disputari potest) nil certi efficitur. Ab iis vero, qui fuerunt αὐτόπται vitae Iesu Christi, Lucas c. 1. v. 2. se ipse ita distinguit, ut parum probetur, quod plures veterum afferunt (*Origenes* dial. sect. 1. *Epiphan.* haer. 51, c. 11. *Theophylactus* ad Luc. c. 24.) pertinuisse Lucam ad 70 discipulos a Christo electos (Luc. 10, 1.)

7) Praeter loca epistt. P. nota 2. laud. cfr. *Acta* c. 16, 10. ss. 20, 5. ss. 21, 1—17. 27, 1—28, 16.

§. 32.

Quemadmodum Marcus Petri (§. 27.), ita Lucas Pauli Apostoli sermonibus, quae litteris consignavit, vel omnia, vel maximam partem debere apud scriptores ecclesiae veteres perhibetur [1]). Nec prorsus vana haec traditio et futilis existimanda est [2]), etsi verissime inpugnetur ea nonnullorum Pauli locorum interpretatio, quam plures [3]) argumento huius rei inservire putaverint. Obveniunt quippe apud Lucam haud pauca, quae cum effatis huius potissimum Apostoli tantopere consentiant, indolemque doctrinae Paulinae tam perspicue referant [4]), ut diuturna, qua Lucas usus fuerit, Apostoli consuetudo ad totam evangelii conformationem, praesertim ad delectum rerum narratarum, haud parum valuisse satis probabiliter iudicetur [5]). Fontem quidem commentarii Lucae principem evangelium primitivum habemus ore traditum (§. 18. nota 12.) Attamen docu-

menta etiam variorum ſcriptorum breviora, de his illisve Ieſu Chriſti fatis, ſermonibus, rebusque geſtis mature conſignata Lucae ſcribenti praeſto fuiſſe, non tantum ex prooemio conjicimus [6]), ſed etiam argumentis internis recte contendimus [7]).

1) *Iren.* contra haer. 3, 1. Lucas litteris conſignavit evangelium a Paulo praedicatum. *Tertull.* contra Marc. l. 4. c. 5. Lucae digeſtum Paulo adſcribere ſolent. Immo Paulus hoc evangelium commendaſſe, ſaepiusque in epiſtolis ſuis commemoraſſe dicitur *Orig.* apud *Euſeb.* hiſt. eccleſ. 6, 25. *Euſeb.* h. e. 3, 4. *Hieron.* catal. ſcript. eccleſ. c. 7.

2) vd. *Bertholdt* Einl. Vol. III. p. 1290. *De Wette* Einl. p. 181. Neque prooemium evangelii huic traditioni repugnat (ſiquidem patet, noluiſſe Lucam in hac praefatione vel de fontibus commentarii, vel de ratione, qua in ſcribendo uſus fuerit, accuratius et copioſius diſſerere), neque, quo minus Lucam a Paulo quodammodo pependiſſe exiſtimemus, eiusmodi loca ſcriptorum Lucae inpediunt, quae difficultatem hiſtoricam ſ. chronologicam obiiciunt.

3) *Euſeb.* h. e. 3, 4. *Hieron.* loco nota 1. laud. Certum eſt, Paulum ad *Romm.* 2, 16. 2 *Corinthh.* 8, 18. de ipſa religionis doctrina eiusque inſtitutione *ore* facta loquutum eſſe. Vd. §. 17. nota 2.

4) Cfr. I. *Corr.* 11, 23. ff. *Luc.* ev. 22, 19. ſq. I. *Corr.* 9, 14. *Luc.* 10, 7. I. *Corr.* 15, 5. *Luc.* 24, 34. *Paulus* praecipua perſpicuitate docet, diſcrimen Iudaeorum et Ethnicorum per Chriſtum eſſe ſublatum, vanamque declarat Iudaeorum ſuperbiam (v. c. *ad Gal.* 5, 6. 6, 15. ad *Romm.* 3, 30.) *Lucas* tabulam originum Ieſu Chriſti exhibet ad *Adamum* usque redeuntem (c. 3, v. 23. ff.), ſermonem Chriſti exhibet de Elia et Eliſa hominibus *exteris* benefacientibus (4, 25. ff.), ſilentio tranſit (9, 1—6.) quae apud Matth. 10, 5. leguntur, obſervat, Chriſtum regiones adiiſſe Samaritanorum (9, 52.) eiusque ſermones exhibet Samaritanis faventes 10, 30. ff. 17, 16. 18. *Paulus* ſtudioſiſſime hoc agit, ut Chriſtiani intelligant, non lege obſervanda Moſaica, ſed fide vera Chriſto habenda effici, per gratiam divinam, ut homo Deo probetur. Cfr. *Luc.* 13, 6—9. 15, 11. ſqq. 17, 7—10. 18, 10—14. *Paulus* plura habet effata, quae facile *poſſint* de ea, quam abſolutam dicimus,

praedestinatione hominum vel ad salutem, vel ad miseriam intelligi (ep. ad Romm.) Cfr. *Lucas* Actt. 13, 48. Neque negari potest, haud paucas occurrere voces formulasque graecas, quae vel *praecipue familiares* videantur Paulo et Lucae, vel, praeter utriusque scripta, omnino non obveniant in libris N. F. Exempla multa attulit *Gersdorf* in l. §. 23. nota 6. laud. p. 160—272.

5) Cfr. *Gieseler* in l. §. 18. nota 3. laud. p. 122. ff. *Guericke* Beyträge zur historisch-krit. Einl. p. 48. ff.

6) Vd. §. 15. nota 5.

7) Nonnullae huius evangelii sectiones (praesertim c. I. inde a v. 5. et c. II.) hebraismis freqentius, quam ceterae, utuntur. Vd. *Koenigsmann* prolusio de fontibus commentariorum sacrorum, qui Lucae nomen praeferunt, Altonae, 1798. 4. Aliquoties temporis rationes diligentia singulari definiuntur (cfr. 1, 5. 2, 1. 3, 1. 2.) quanquam idem evangelista in plerisque evangelii sectionibus formulas usurpat minus definitas. Quae c. 9. v. 51. ad finem usque cap. 19. leguntur, quanquam haud dubie ad *duo diversa* pertinent, quibus Christus Hierosolymas adiit, itinera, ita tamen sunt exposita, ut *diversitatem* utriusque itineris nonnisi ex locis 9, 51. 10, 38. 13, 22. 13, 31. 17, 11. (coll. Matth. 19, 1. Marci 10, 1.) accurate comparandis coniiciamus, neque ab ipso evangelista perspicue observatam reperiamus, cuius obscuritatis causa satis probabiliter haec fuisse existimatur, quod Lucas in hac tota evangelii parte duo diversa consuluerit documenta, quorum alterum quidem itineris Christi Hierosolymitani per *Samariam*, alterum vero itineris Hieros. per *Peraeam* facti narrationem breviorem (non integram, nec omnibus numeris absolutam) complecteretur. Pluribus denique locis effata Christi ita proferuntur, ut nexus desideretur, quo haec oratio vel rebus gestis, vel dictis antea expositis cohaereat 13, 18. 16, 1. 17, 1. 18, 1. quanquam aliae permultae eiusdem evangelii sectiones antecedentibus accuratius nexae sunt. Attamen, quod V. *Schleiermacher:* kritischer Versuch über die Schriften des Lucas, 1. Th. Berlin, 1817. evangelistam totum hunc commentarium ex multis scriptorum variorum libellis ita composuisse statuit, ut ipse praeter prologum et finem evangelii fere nihil adiiceret, id, quanquam haud exiguo ingenii acumine defenditur, pugnare tamen omnino videtur cum iis, quae in diversissimis evangelii partibus iterum iterumque ap-

parent, sermonis proprietatibus. Universa et narrationis et sermonis indoles huic potissimum evangelistae familiaris indicio est scriptoris, qui, etsi haud pauca ex documentis quibusdam petiisset, minime tamen in *componendis tantum* iis, quae alii scripsissent, acquiesceret. Neque certa apparent signa, quorum ope, quot libellos Lucas consuluerit, qui fuerit ambitus eorum, et, quae singulae evangelii partes ex hoc illove documento desumtae, accuratius definiatur. Ea quippe effata, quae vel narrando rem serius tradendam praeoccupant, vel rebus gestis dictisve singulis continua serie enarratis subiungunt, quod de toto genere enuntiatur (v. c. 4, 44. 8, 1. al.), itemque eas sectiones, quae ad rem gestam prius narratam redeunt, eandemve formulam (v. c. ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι) saepius repetunt, non dixerim *indicia certa*, quibus demonstretur, eiusmodi locis omnibus finem documenti cuiusdam ab evangelista inserti, initiumque novi esse quaerendum, sive fragmenta diversorum auctorum esse composita. Quid enim est, quod inpediat, quo minus huiusmodi loca animadvertentes, partim *ipsius Lucae consuetudini*, modo praeoccupandi aliquid, modo a singulis narrationem ad universum genus traducendi aliquid tribuamus, partim omnino cogitemus de *simplicitate* narrationis sermonisque scriptorum N. F. *artis*, quae dicitur, oratoriae atque historicae expertis? Cfr. H. *Plank* observationes quaedam de Lucae evangelii analysi critica a Schleiermachero proposita, Gottingae, 1819. 4. Praeterea cfr. quae de fontibus ev. Lucae nuperrime observavit *Roediger:* symbolae quaedam ad N. T. evangelia potissimum pertinentes. Hal. Sax. 1827. 4.

§. 33.

Consignavit Lucas commentarium suum, testante ipsius prooemio, ut Theophilo, amico Christiano, extra Palaestinam vitam degenti [1]), qui ex paganismo ad sacra Christiana transierat, historiam rerum gestarum, quae ad Christum pertinerent, probe exploratam, eamque ab initio (ab ipsis natalibus Ioannis baptistae et Iesu Christi) exorsam [2]) suppeditaret. De tempore, quo scripserit, satis probabiliter statuimus, Lucam circa an-

num 60. evangelium suum absolvisse, siquidem liber Actorum, anno 63. consignatus, ita apparet ex evangelio nexus (collato quidem et prooemio [3]) evangelii, et capite primo Actorum cum iis, quae sub finem evangelii leguntur), ut consummationem evangelii inter huiusque libri scriptionem nonnisi breve temporis spatium elapsum esse videatur [4]). Sed loci, ubi primum in lucem protulerit commentarium suum, definiendi praesidia desunt idonea [5]).

1) De coniecturis parum certis, quis fuerit hic Theophilus, accuratius explicantibus vd. *Michaelis* Einl. 2. Th. p. 1084. ff. ed. IV. *Eichhorn* Einl. Vol. I. p. 591. ff. Si Palaestinensis fuisset, haud dubie scriptor ab eiusmodi observationibus, quales ev. 1, 26. 2, 4. 4, 31. 8, 26. 23, 51. 24, 13. Actt. 1, 12. 16, 12. leguntur, abstinuisset. Locus vero *Actt.* 28, 12. 13. 15. colligere nos iubet, urbes Italiae huic Theophilo satis fuisse cognitas. Fueritne in amplo dignitatis gradu collocatus, disceptatur, quum vocab. κράτιστος, etsi haud raro viris illustribus compellandis inserviat (*Actt.* 23, 26. 24, 3. 26, 25.), subinde tamen simpliciter valeat ad sensum amoris, observantiae, amicitiae declarandum. Vd. *Theophrasti* charactt. c. 6. Selecta ex scholis *Valquenarii* ad libros quosdam N. T. ed. *Wassenbergh* T. I. Amstelod. 1815. p. 14. Quum Theophilus ad exteros pertineret, evangelium Lucae universe hominibus *Ethnico-Christianis* scriptum fuisse dicitur *Origeni* apud *Euseb.* hist. eccles. 6, 25. Quanquam Lucas non omnino praeteriit, quae cognovisse Iudaeo-Christianos praecipue interesset, profecto tamen, pro eo, quem fecit, narrationum delectu, *Ethnico-Christianorum* rationem *potiorem* habuisse videtur. Exspectare utique poterat, Theophilum hunc commentarium, uberiorem, diligenter elaboratum, omnibusque Christianis utilem, *cum aliis* esse communicaturum. Neque vero putaverim (cfr. V. *Frisch* commentatio: utrumque Lucae commentarium de vita dictis factisque Iesu et Apostolorum non tam historicae simplicitatis, quam artificiosae tractationis indolem habere, Fribergae, 1817. 4.) finem, quem Lucas consequi voluerit, *primarium* hunc fuisse, ut dubitationibus occurreret, quibus partim Iudaei multi, quo minus ad Chri-

stum transirent, inpedirentur, partim multorum Iudaeo-Christianorum animi perturbarentur. Etenim quod Lucas plura Iesu Christi effata, ab aliis evangelistis (v. c. *Matth.* 10, 5. 15, 24.) allata, ex quibus (*per se* spectatis) colligi possit, noluisse Iesum Samaritanis et Paganis pariter atque Iudaeis suum tradi evangelium, plane omisit, eiusmodi vero sermones Christi plures (cfr. §. 32. nota 4.) commentario suo inseruit, qui luculenter ostenderent, animum eius prorsus alienum fuisse ab illa Iudaeorum superbia, Samaritanos contemnente, minime demonstrat, vel omnia, vel maximam partem eorum, quae Lucas in evangelio et Actis App. litteris consignaverit, *huic potissimum sententiae* probandae inservire. Consuetudo, qua usus est, Pauli Apostoli fecit (vd. §. 32.) ut plura Christi effata, Pauli doctrinae praecipue congrua, prae ceteris diligentius observaret. Neque ex iis, quae Lucas et de natalibus Christi et de eiusdem in coelos abitu enarravit, coniici velim, evangelistam in eo potissimum elaborasse, ut Iudaeo-Christiani, quantopere Moses Christo dignitate cederet, accuratius cognoscerent.'

2) Cfr. de prooemio ev. Lucae §. 15. nota 5. observata.

3) Quae Lucas ev. c. 1. v. 1. ss. de caussa profitetur, quare Theophilo commentarium de rebus Christi uberiorem exhibere constituerit, ita se habent, ut ad evangelium (λόγον πρῶτον) non minus, quam ad volumen Actorum (continuationem evangelii) referri debeant.

4) Quo minus cum *Irenaeo* dicamus (contra haerr. l. 3. c. 1.) Lucam *post Marcum* scripsisse inpedit, quod Marcus usum fecit huius evangelii. Vd. §. 15. nota 3. Nolim vero ex cap. 21. ev. Lucae argumentum petere serioris huius commentarii originis, *post excidium* demum *Hierosolymarum* litteris consignati. Cfr. *Kaiser* biblische Theologie T. I. Erlangen, 1813. p. 247. *De Wette* Einl. p. 182. Etsi concessum fuerit, reditum Christi ad iudicium extremum (παρουσίαν) ab excidio civitatis Iudaicae apud Lucam accuratius distingui, quam apud ceteros evangelistas (quod ii quidem interpretes non concedunt, qui c. 21. commatibus 25. 26. 27. pariter atque iis, quae *Matth.* 24, 29. ss. habet, descriptionem eversionis rerum Iudaicarum prophetico-poëticam inesse, sermonemque Christi versu demum 33. pariter atque Matth. 24, 35. sq. ad παρουσίαν ultimam transiisse argumentis defendunt haud contemnendis); probari tamen hac ratione non potest, evan-

gelistam seriori demum tempore, vaticinium Christi *ex eventu* interpretantem, cogitare de hoc discrimine potuisse. Eodem certe iure existimari possit hic evangelista, sive citius, sive serius scripserit, ea Christi effata, quae diversitatem utriusque eventi innuerant, *accuratius*, quam ceteri retulisse. Itemque de loco *Luc.* 21, 7. (coll. *Matth.* 24, 3. *Marc.* 13, 4.) quaeritur, utrum discipuli Servatoris, quaestionem illam proponentes, sermonem copiosiorem, qui apud Matth. legitur, an breviorem (praeeuntibus Marco et Luca) usurpaverint. Quanquam Lucas in enarrando Christi effato, quod 21, 12. legitur, ab eo sermonis nexu, quo *Matth.* 24, 9. idem effatum proposuit, quodammodo deflectit, uterque tamen haec Servatoris verba exhibet, *priusquam* ea proferuntur, quae Christus *de ipsa Hierosolymarum devastatione* (*Luc.* 21, 20. ff. *Matth.* 24, 15.) eloquutus est.)

5) Praeeunte *Hieronymo* praef. Matth. Lucas in Achaiae Boeotiaeque partibus volumen condidit. Alexandriae consignatum perhibetur in quibusdam evangelii nostri subscriptionibus graecis, consentiente versionis Syriacae auctore. De coniecturis diversissimis vd. *Michaelis* Einl. T. II. §. 152. 153. Satis probabiliter cum *Bertholdtio* Einl. Vol. III. p. 1292. statuere licet, Caesareae in Palaestina scriptum esse, quo tempore Lucas apud Paulum captivum versaretur.

§. 34.

De iis, quae ad indolem huius evangelii singularem pertinent, haec observanda, collatis iis, quae §. 32. nota 4. diximus. Narratio Lucae universe spectata prae ceteris hoc agit, ut totam vitae Iesu Christi historiam ab initio inde eiusmodi ubertate rerum traditarum persequatur, quae, pro fontibus evangelii, locum habere potuerit [1]). Sermonibus Christi, parabolicis potissimum, enarrandis eandem, quam factis insignibus tradendis, inpendit [2]) diligentiam (quanquam, ubi plures Christi orationes serie exhibentur continua, non ubique nexus elucescit [3]), quo singulae iis, quae antea vel dicta vel gesta fuerint, cohaereant), videmusque scriptorem pluribus locis in eo maxime elaborantem,

ut pateat, Servatorem non minus docendo [4]), quam agendo saluti hominum verae consuluisse. Eximia perspicuitate, quae Lucas de factis dictisque Iesu perhibuit, animum Christi depingunt vere humanum, amore hominum cuiusque gentis tenerrimo inbutum [5]), misericordem erga pauperes, adflictos, peccatores resipiscentes. Quam parum deceat hominem vere Christianum, divitias expetere terrestres, multis docetur effatis ab hoc evangelista memoriae proditis [6]). Qua pietate mulieres probae Servatorem prosequutae fuerint [7]), Lucas prae ceteris testatur. Rebus gestis sermonibusque singulis aliquamdiu enarratis lubenter subiungit evangelista observationem historicam, universe enuntiatam [8]). Nulla est, quam plures interpretes huic evangelio vindicari voluerunt, vel narrationis vel orationis forma poëtica [9]). Indoles autem sermonis graeci ostendit, Lucam omnino huius linguae cognitione usuque ceteris praestitisse [10]).

1) Non omnia quidem exhibet Lucas, quae apud Matthaeum et Marcum leguntur. Cfr. §. 15. nota 5. Attamen *plerumque* narratio Lucae in sectionibus quidem parallelis nonnulla exhibet, quibus eiusdem rei gestae historia, qualem vel Matthaeus vel Marcus enarravit, locupletetur. Idemque evangelista *multa* habet et dicta Christi, et facta, quae apud ceteros desunt. v. c. C. 1. 2. 9, 51. ff. 10. 12. 13. 14, 1. ff. 15. 16. 17, 11. ff. 18. 19, 1. ff.

2) Hac ratione Lucae evangelium a ceteris differt, quum Matthaeus quidem et Marcus animos lectorum ad *facta* potissimum Servatoris attentos reddere studeant (§. 25. §. 29.), Ioannes vero *sermonibus* Christi colligendis multo maiorem operam inpenderit.

3) Cfr. 13, 18, 16, 1. 17, 1. 18, 1. Vd. de Matthaeo §. 25. observata.

4) Vd. 4, 32. sq. 44. 5, 3. 4. ff. 17. 6, 6. 9, 2. 11. coll. locis parall. Cfr. *Köster* Immanuel (§. 25. nota 1.) p. 75. sq.

5) Cfr. praecipue *Luc.* 7, 11. ff. 36. ff. 10, 30. ff. 38. ff. 11, 5. ff. 32. ff. 13, 12. ff. 14, 12. ff. 15. 18, 1. ff. 19, 1—10. 41. 23, 27. ff. 34. 43. 24, 13. ff. Vd. *Sander* über den eigenthümlichen Plan, dem die Evangel. gefolgt sind, Essen, 1827. p. 34. ff. *Krummacher* über den Geist und die Form der evangelischen Geschichte, Leipzig, 1805. p. 211. ff.

6) Vd. *Luc.* ev. 1, 49. ff. 2, 7. ff. 6, 34. ff. 11, 41. 12, 15. ff. 14, 12. ff. 34. 16, 1—12. 19. ff. 19, 8. 9. add. *Actt.* 2, 44. ff. 4, 32. ff. 10, 2. 4. 31. 9, 36. 39. Cfr. D. *Schulz* über die Parabel vom Verwalter, Breslau, 1821. p. 22. ff.

7) Vd. *Luc.* ev. 7, 36. ff. 8, 2. 3. 10, 38. ff. 11, 27. sq. 23, 27. 49. 55. 24, 22. 24. Add. quae de Hanna, Elisabetha, Maria, earumque hymnis c. 1. 2. leguntur. Cfr. *Krummacher* l. l. p. 214. ff.

8) Cfr. 2, 40. 52. 4, 15. 37. 44. 8, 1. 13, 22. 17, 11. 19, 47. sq. 21, 37. sq.

9) Vd. *Frisch* comment. §. 33. nota 1. laud. Sive angeli apud Lucam frequenter commemorati per somninm s. visionem apparuisse dicantur, sive haec loca omnia ad modum vel indicandi vel loquendi Iudaeis illius aevi familiarem referre malueris; exornationi tantum *poëticae* has angelorum apparitiones (minime apud solum Lucam obvenientes) inserviisse non licet argumentis contendere idoneis. Nec doceri potest, hymnos, qui c. 1. et 2. exhibentur, ab ipso Luca esse compositos. Vd. *Paulus* philologisch-kritischer und historischer Commentar über das N. T. 1. Th. Lübeck, 1804. p. 81. sq.

10) Hebraismi minus frequenter, quam in ceteris evangeliis, apparent. Maior est vocum formularumque graecarum, quibus una eademque cogitatio variis locis exprimitur, diversitas. Periodi saepius obveniunt, 1, 1—4. 2, 42. ff. 3, 1. 2. 15. sq. 19. sq. 6, 13. ff. 7, 37. ff. — Ceterum, quod singula attinet, quibus elocutio Lucae ab oratione ceterorum evangelistarum graeca distinguitur, a) voces phrasesque obveniunt huic scriptori magis familiares, quam ceteris N. F. auctoribus: ἀδικία in huiusmodi locutionibus: κριτὴς ἀδικίας, μισθὸς ἀδικίας etc. (ev. 13, 27. 16, 8. 9. 18, 6. Actt. 1, 38. 8, 23.); ἀνάγειν (ev. 2, 22. 4, 5. 8, 22. 22, 66. in Actis septemdecim locis, semel apud Matthaeum), *participium* verbi ἀνίστημι (similiterque verbi καθίζω) cum aliorum verborum temporibus finitis ita iunctum, *ut res narrata veluti oculis depingatur* (ἀνα-

στάντες ἐξέβαλον, ἀναστᾶσα διηκόνει, καθίσας ἐδίδασκεν, καθίσαντες ἐλαλοῦμεν etc. ev. 1, 39. 4, 29. 39. 5, 25. 28. 6, 8. 11, 7. 8. 15, 18. 20. 17, 19. saepiusque in *Actis*, de καθίζειν vd. ev. 5, 3. 14, 28. 31. 16, 6. Actt. 16, 13. minus frequenter apud ceteros sic dicitur, quanquam verba ανιστ. et καθίζω saepenumero adhibent), ἀτενίζειν (ev. 4, 20. 22, 56. *Actt.* 1, 10. 3, 4. 12. 6, 15. 7, 55. 10, 4. 11, 6. 13, 9. 14, 9. 23, 1. praeter Lucam in N. F. solus habet Paulus 2. *Corr.* 3, 7. 13.), verbum finitum εἶναι cum participio alius verbi pro tempore huius verbi finito positum ad continuationem indicandam (ev. 1, 20. 5, 10. 17, 35. sq. 21, 17. 24. 16, 15. 23, 15. Actt. 21, 33. rarius apud ceteros), ἐφίστημι (ev. 2, 9. 38. 4, 39. 10, 40. 20, 1. 21, 34. 24, 4. *Actt.* 4, 1. 6, 12. 10, 17. 11, 11. 12, 7. 17, 5. 22, 13. 20. 23, 11. 27. 28, 2. praeterea apud solum legitur Paulum 1 *Thess.* 5, 3. 2 *Tim.* 4, 2. 6.), καὶ ἐγένετο s. ἐγένετο δε, oratione ad aliam rem narrandam transeunte (ev. 1, 23. 59. 2, 1. 15. 46. 5, 1. 12. 6, 1. 6. 12. 7, 11. 8, 1. 22. 40. 9, 18. 28. 33. 37. 51. 57. aliisque locis ev. Actorumque pluribus, rarius apud Matth. et Marcum, nunquam apud Ioannem), παραχρῆμα ev. 1, 64. 4, 39. 5, 25. 8, 44. 47. 55. 13, 13. 18, 43. 19, 11. 22, 60. septemque locis Actorum, bis apud Matthaeum), παρὰ et ὑπὲρ cum accusativo ad comparativum exprimendum (Lucas pariter atque Paulus multo frequentius quam ceteri, usurpat, cfr. D. *Schulz* über die Parabel vom Verwalter p. 71. sq.), συγκαλεῖν et συγκαλεῖσθαι (ev. 9, 1. 15, 6. 9. 23, 13. *Actt.* 5, 21. 10, 24. 28, 17. praeterea semel apud *Marcum* 15, 16.), τοῦ ante infinitivum i. q. *ut* s. *ita ut* (Lucae maxime et Paulo frequentatum, cfr. *Winer* Grammatik des neutestamentl. Sprachidioms, 2. Ausg. Leipz. 1825. p. 134. sq.) ὑποστρέφειν (ev. 1, 56. 2, 39. 43, 45. 4, 1. 14. 7, 10. 8, 37. 39. 40. 9, 10. 10, 17. 11, 24. 17, 15. 18. aliisque locis multis ev. et Actorum, semel apud Marcum 14, 40. rarissime apud ceteros N. F. auctores). b) voces phrasesque in ceteris N. F. scriptis non apparentes, apud *solum* Lucam, saepius quidem, obviae: διαπορεῖν (ev. 9, 7. 24, 4. *Actt.* 2, 12. 5, 24. 10, 17.) ἐν cum infinitivo i. q. *postquam* (ev. 9, 36. 11, 37. 14, 1. 19, 15.) ἐπιχειρεῖν (ev. 1, 1. *Actt.* 9, 29. 19, 13.) ἐπιστάτης (ev. 5, 5. 8, 24. 45. 9, 33. 49. 17, 13.) ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι s. ἐπλήσθη ὁ χρόνος (ev. 1, 23. 57. 2, 6. 21. 22. praeterea nunquam apud Lucam legitur), καθεξῆς (ev. 1, 3. 8, 1. *Actt.* 3, 24. 11, 4. 18, 23.), καθότι (ev. 1, 7. 19, 9. *Actt.*

2, 24. 45. 4, 35.), κατὰ cum *genitivo sive accusativo loci*, ubi aliquid factum esse s. vim suam exseruisse dicitur per totam regionem s. in tota regione (*ev.* 4, 14. 15, 14. 23, 5. *Actt.* 9, 31. 42. 10, 37.) itemque, sequente *accusativo*, ut aliquis in regionem quandam, s. ad locum pervenisse dicatur (*ev.* 10, 32. sq. *Actt.* 5, 15. 16, 7. 27, 7.), μετὰ in hac locutione: ἔλεος μετὰ τινος ποιεῖν s. μεγαλύνειν (*ev.* 1, 58. 72. 10, 37. cfr. *Actt.* 15, 4.), οδυνᾶσθαι (*ev.* 2, 48. 16, 24. sq. *Actt.* 20, 38.), ὁμιλεῖν (*ev.* 24, 14. sq. *Actt.* 20, 11. 24, 26.), συμβάλλειν vario sensu (*ev.* 2, 19. 14, 31. *Actt.* 4, 15. 17, 18. 18, 27. 20, 14.), συμπληροῦσθαι (*ev.* 8, 23. 9, 51. *Actt.* 2, 1.), τιθεσθαι εἰς τὰ ὦτα s. ἐν καρδίᾳ (*ev.* 1, 66. 9, 44. 21, 14. *Actt.* 5, 4. 19, 21.), ὑπολαμβάνειν (*ev.* 7, 43. 10, 30. *Actt.* 1, 9. 2, 15.) Omisimus permulta, quae apud ipsum Lucam semel tantum, duobusve locis obveniunt. Ceterum cfr. quae §. 46. nota 3. ex. observavimus.

§. 35.

Non est, quod dubii haereamus [1]), an ipse Lucas quae Capite I. inde a v. 4. et C. II. leguntur, commentario suo inseruerit [2]).

1) Alienam manum has sectiones evangelio nostro adiecisse, priusquam codicibus multis divulgaretur, contendunt: *Evanson* dissonance of the four generally received Evangelists, and the evidence of their respective authenticity examined, Ipswich, 1792. 8. L. *Schmidt* Repertorium für die Litteratur der Bibel etc. 1. St. Leipz. 1803. p. 59. ss. Christ. *Schmidt* Abhandl. in promtuario: *Hencke* Magazin für Religionsphilos. Exegese und Kirchengesch. 5. Th. 3. St. *Horst* Abhandl. in: *Hencke* Museum für Religionswissenschaften 1. B. 3. und 4. St. *Iohn Iones* in libro §. 23. n. 3. laud. *Defendunt* authentiam: *Ammon* nova opuscula theologg. Gottingae 1803. p. 32. ss. *Paulus* Kommentar über das N. T. T. I. *Süskind* symbolae ad illustranda quaedam evangeliorum loca partic. II. Tub. 1803. 4. *Schubert* comment. de infantiae Iesu Chr. historiae a Matthaeo et Luca exhibitae authentia atque indole, Gripeswald. 1815. 8. *Bertholdt* Einl. Vol. III. p. 1297. ss. *Kuinoel* comment. in libros N. T. historr. T. II. p. 248. ss. ed. III. *Beuterdahl* observv. cri-

ticae in priora duo evangelii Lucae capita, pars I. II. III. Londini Goth. 1823. 4.

2) Quanquam oratio toto cap. I. inde a v. 5. et c. II. ad sermonem librorum V. T. magis conformata est, quam in ceteris huius evangelii sectionibus, atque omnino Lucas, quae utroque capite continentur, satis probabiliter ex documento quodam evangelico litteris consignato petiisse existimatur; permultae tamen locutiones, *Lucae prae ceteris familiares*, quae C. I. et II. pariter atque aliis evangelii locis obveniunt, luculentissime testantur, *ipsum evangelii auctorem* usum illius documenti ita fecisse, ut, quae ibi hebraice s. aramaice fuissent exarata, *suo* sermone exprimeret graeco. Cfr. *Gersdorf* l. §. 32. nota 4. laud. Quam parum contra authentiam utriusque capitis valeat, quod in evangelio Marcionitarum haec omnia fuerint omissa, ex iis patet, quae §. 8. de Marcione eiusque crisi observata sunt. Neque, quae Lucas ipse *Actt.* c. 1. v. 1. de argumento evangelii professus est, demonstrant, historiam natalium et infantiae Ioannis baptistae ipsiusque Christi olim omnino non ad ev. Lucae pertinuisse; sufficiebat quippe, argumentum indicasse *primarium*. Immo verbis prooemii *ev.* 1, 3. palam declaratur consilium scriptoris, historiam rerum, quae ad Iesum Christum pertinebant, a *primordiis* repetendi. §. 15. nota 5. d. Ceterum antiquissimum exstat pro authentia utriusque capitis testimonium in scriptis *Iustini Martyris* ed. Colon. Apologia II. p. 75. dial. cum Tryphone p. 303. ss.

PARTIS I. CAPITIS PRIORIS SECTIONIS SECUNDAE

PARTICULA B.

DE EVANGELIO IOANNIS.

§. 36.

Ioannes Galilaeus, Zebedaei piscatoris Galilaei Salomesque filius, ipse olim piscator [1]), postquam aliquamdiu cum Ioanne baptista versatus fuerat [2]), inter

primos fuit Iesu Christi sectatores, eiusque duodecim legatis adscriptus est [3]), praecipua usus Servatoris familiaritate [4]). Fervidiorem animi indolem [5]) egregie temperavit humanitas ac benevolentia, ad exemplum Doctoris dilecti conformata [6]). Quem amorem Christo [7]) in his terris versanti praestitit, eundem, Servatore ad coelos sublato, doctrina divina studiosissime praedicanda demonstravit, primum inter Iudaeos Palaestinenses [8]), deinde in Asia minori. Perhibent quippe testimonia veterum, Ioannem de coetibus Christianis Asiaticis doctrina religionis vera inbuendis eorumque rebus moderandis egregie meritum esse, Ephesi potissimum sedem habuisse fixam [9]), in eandem urbem, quum aliquamdiu in Pathmo insula exsul fuisset [10]), rediisse, ad senectutem vixisse [11]) extremam.

1) Cfr. *Matth.* 4, 21. 10, 2. 27, 56. *Marci* 1, 19. *Luc.* 5, 10. Parentes Ioannis non degisse vitam in egestate, ex pluribus locis coniici potest, *Marci* 1, 20. *Matth.* 27, 56. *Luc.* 23, 55. sq. *Io.* 19, 26. sq.

2) Alterum quippe eorum, qui Io. 1, 35. commemorantur, μαθητῶν Ioannis baptistae ipsum fuisse Ioannem (evangelistam), ex accurata temporis observatione v. 40. colligitur.

3) *Matth.* 4, 21. 10, 2. *Marci* 1, 19. 3, 17. *Luc.* 6, 14.

4) *Marc.* 5, 37. 9, 2. 14, 33. *Matth.* 17, 1. 26, 37. *Luc.* 9, 28. Ipsi de se loquenti sollennis est formula: μαθητὴς, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, *Io.* 13, 23. 19, 26. 20, 2. 21, 7. 20. Cfr. E. *Schmid* comment. de Ioanne a Iesu dilecto, Ienae, 1793. 4. Singularem Ioannis cum *Petro* familiaritatem effata testantur *Io.* ev. 13, 23. ss. 20, 2. ss. 21, 7. *Actt.* 3, 1. ss. 8, 14. ad *Gal.* 2, 9.

5) Ioannes et Iacobus (frater) ab ipso Servatore υἱοὶ βροντῆς appellantur *Marci* 3, 17. cfr. *Luc.* 9, 54. Add. *Marci* 9, 38. 10, 35. Adfectus fervidioris vestigia in epistolis Ioanneis non omnino desiderantur, vd. ep. II. v. 10. eiusdemque documento inservit narratio apud *Iren.* contra haerr. l. 3. c. 3. *Euseb.* hist. eccl. 3, 28. 4, 14. exhibita. Cfr. *Wegscheider* Versuch einer vollständigen Einleitung

in das Ev. Io. Gotting. 1806. p. 51. ff. *Niemeyer* Charakteristik der Bibel Vol. I. *Eichhorn* allgemeine Bibliothek der bibl. Litter. 7. B. 2. St. *Melle* Entwurf einer Lebensbeschreibung und Charakteristik des Apostel Iohannes, Heidelb. 1808.

6) Vestigia huius rei luculentissima scriptis Ioanneis inpressa sunt, eiusdemque testimonia exstant, quaecunque de vita eius factisque perhibentur. Vd. *Clemens Alexandr.* in libro; τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος c. 42. ed. Segaar, Traiecti, 1816. 8. (cfr. *Euseb.* h. e. 3, 23.) *Hieron.* comment. ep. ad Gal. Vol. III. p. 314. Martian.

7) Cfr. praesertim *Io.* ev. 19, 26. (coll. *Matth.* 26, 56. *Marc.* 14, 50.)

8) *Actt.* 3, 1. 8, 14. ff. 25. ad *Gal.* 2, 9. Testante *Nicephoro* hist. eccl. 2, 42. Hierosolymis versatus est, donec Maria, mater Christi, vita decessisset. Ex loco *Actt.* 21, 18. patet, Ioannem non amplius in hac urbe fuisse, quum Paulus ultima vice Hierosolymas adiisset (a. 58.)

9) Vd. *Clemens Alexandr.* apud *Euseb.* hist. eccl. 3, 23. *Irenaeus* adv. haerett. l. 2. c. 22. §. 5. l. 3. c. 1. c. 3. §. 4. *Origenes* apud *Euseb.* hist. eccl. 3, 1. *Polycrates* Ephess. episcopus in epistola ad Victorem data apud *Euseb.* h. e. 3, 31. *Hieron.* catal. scriptt. eccl. c. 9. Ipsae Ioannis epistolae documento inserviunt familiaritatis, Ioannem inter coetusque Christianorum Asiaticos intercedentis. Verum, *quo tempore Paulus has regiones adiit*, Ioannes nondum docuerat in Asia minori. ad *Romm.* 15, 20. 2. *Corinthh.* 10, 16. Nec ulla in epistolis Pauli ad Ephesios, ad Colossenses, ad Timotheum datis vestigia apparent, quae monstrent, Ioannem, *quo tempore hae epistolae scriberentur*, vel Ephesi vel in aliis coetibus asiaticis vitam degisse. Videtur omnino post annum demum 60. aut 62. has regiones adiisse.

10) Testimonium huius exsilii antiquissimum loco inesse *Apocalypseos* 1, 9. infitias ire nemo facile potest, etsi de origine huius libri Ioannea dubitaveris. Cfr. *Origenes* ad Matth. p. 417. ed. Huetius. *Eusebius* (ad Irenaeum et λόγον τῶν ἀρχαίων provocans) hist. eccles. 3, 18. 20. *Idem* in Chronico ad a. 14. Domitiani. *Hieron.* l. l. Dissentiunt quidem de tempore, quo Ioannes Pathmum exul adierit, quod plerique sub inperio Domitiani accidisse perhibent (*Euseb.* hist. eccl. 3, 18. *Iren.* adv. haerr. 5, 30.), alii aliter definiunt (v. c. *Epiphan.* haeress. 51, c.

88.) Vd. *Wegscheider* I. nota 5. laud. p. 40. ss. Quae *Tertullianus* de praescript. haerett. c. 36. perhibet, Ioannem Romae in dolium ferventis olei ita demersum esse, ut nihil pateretur, sublestae sunt fidei.

11) Ioannem Ephesi diem obiisse testimoniis constat fide dignis. *Euseb.* h. e. 3, 1. 31. 5, 24. Cfr. quae *Süsskind* scite observavit: *Flatt* Magazin für christl. Dogmatik und Moral, 9. St. p. 56. ss. Quanquam annus, quo Ioannes diem obierit, apud veteres diversimode computatur, consentiunt tamen, vixisse eum ad tempora usque *Traiani*, qui a. 98. Saec. I. inperium capessivit. *Iren.* contra haerr. l. 2. c. 22. §. 5. l. 3. c. 3. ex. *Euseb.* 5, 20. 3, 28. 39. 4, 14. idemque in *Chron.* ad a. 3. Traiani. *Hieron.* adv. Iovinian. l. 1. p. 168. catal. scriptt. eccl. c. 9.

§. 37.

Praeter sectam Alogorum [1]) antiquiori aetate non prodierunt [2]), qui hunc Apostolum evangelii quarti auctorem agnoscere nollent. Recentius nonnulli authentiam evangelii inpugnaverunt [3]), quum partim testimonia antiquissimi aevi Christiani externa desiderari dicerent, partim ipsa evangelii indole consideranda ceterisque evangeliis comparanda inpedirentur, quo minus vel Ioanni, vel omnino Apostolorum cuidam hunc librum tribuerent. Attamen, quod argumenta attinet externa, perpendamus necesse est, a) Alogos illos de rebus ipsis in hoc evangelio propositis cupidius iudicasse, b) silentium, quo plures ex antiquissimis ecclesiae scriptoribus hoc evangelium transierint, pluribus de caussis nihil probare [4]) contra originem libri Ioanneam, c) authentiam eius recte defendi testimoniis multis iisdemque gravissimis eorum, qui inde a saec. II. hunc librum probe cognoverint, eumque Ioanni apostolo vindicaverint [5]).

1) De Alogis cfr. *Epiphan.* haer. 51. c. 3. 4. 18. 22. *Irenaeus* adv. haerr. l. 3. c. 11. §. 9. Scripta Ioannis *Cerintho* tribui volebant, siquidem, quum Montanistis, παρακλητον a Christo promissum in persona Montani apparuisse dictitantibus acriter repugnarent, adeoque ipsam cogitationem χαρισμάτων Spiritus divini prorsus reiicerent, in pluribus Christi effatis apud Ioannem exhibitis offendebant, itemque evangelium quartum ceteris haud raro contradicere adfirmabant. Cfr. *Olshausen* Aechtheit der vier kanonischen Evangg. p. 255. ff.

2) Ebionitae quippe et Nazaraei, itemque Marcionitae (*Iren.* adv. haerett. l. 3. c. 12. §. 12.) non librum dixerunt spurium, sed ipsum eius auctorem (Ioannem) negarunt auctoritate vera gaudere apostolica. Vd. *Süskind* comment. in: *Flatt* Magazin für christl. Dogmatik und Moral 6. St. p. 114. sq.

3) *Evanson* in libro §. 35. nota 1. laud. Anonymus (*Vogel*): der Evangelist Iohannes und seine Ausleger vor dem jüngsten Gericht, 2 Theile, Leipzig, 1801. 1804. (cfr. Erlanger Litteraturz. 1801. Nr. 105. 106.) C. *Horst*: *Henke* Museum für Religionswissenschaft, 1. B. 1. St. 1803. *Ballenstedt*: Philo und Iohannes, Göttingen, 1812. (vd. Leipziger Litteraturz. Nr. 137. a. 1814.) *Cludius* Uransichten des Christenthums, Altona, 1808. *Bretschneider* probabilia de evangelii et epistolarum Ioannis Apostoli indole et origine, Lips. 1820. (Cfr. quae ipse auctor S. V. de consilio huius libri professus est in diario: *Tzschirner* Magazin für christl. Prediger, 2. B. 2. St. p. 154. sq. itemque in libro suo: Handbuch der Dogmatik etc. ed. III. Vol. I. p. 263.)

4) Neque enim aetatem tulerunt omnia, quae doctores ecclesiae antiquiores litteris consignaverant, neque omnes habebant (pro natura quidem et indole rerum, in quibus tractandis versabantur) quod *huius* evangelii usum facerent. Immo ne potuit quidem omnibus innotescere. Videtur quippe evangelium Ioanneum, Christianis *cultioribus* destinatum, *postremis* Saeculi I. decenniis scriptum, initio quidem parum fuisse divulgatum. Cfr. Allgemeine (Hallische) Litteraturz. Nr. 65. a. 1804. Ceterum loca *Ignatii* epist. ad Philadelphenos c. 7. ad Romanos c. 7. ad effata evangelii quarti satis perspicue alludunt (minus certa dixerim vestigia, quae in eiusd. ep. ad Magnes. c. 8. ad Trallianos c. 8. obveniunt.) Neque

in libro *Hermae: pastor* inscripto, desideramus, quae usum ponant evangelii Ioannei. cfr. similitudinum l. 3. c. 9. §. 12. l. 5. c. 3.

5) *Oracula Sibyllina* quae l. 1. p. 188. l. 8. p. 384. ed. Paris. ad narrationem *Io.* 19, 34. respiciunt, diversis temporibus congesta esse videntur. *Recognitiones Clementis* (liber, quanquam spurius, antiquus tamen) l. 1. §. 45. l. 2. §. 48. l. 6. §. 9. itemque *homiliae Clement.* hom. XI. §. 26. hom. III. §. 52. plura habent ex evangelio quarto desumta. Prae ceteris vero hi testes audiendi: *Iustinus Martyr dial.* cum Tryph. p. 286. D. E. p. 316. C. p. 324. C. D. p. 367. D. ed. Colon. itemque *Apologia* II. Colon. p. 94. Tota, quae apud Iustinum Martyrem exhibetur, de persona et dignitate Iesu Christi doctrina iis est coniunctissima; quae apud Ioannem eumque solum de λόγω, ὃς σάρξ ἐγένετο, leguntur, v. c. *Apol.* I. p. 44. D. *dial.* cum Tryph. p. 267. 327. Colon.. *Apol.* II. p. 74. B. Colon. Vd. *Gratz* krit. Unters. über Iustins apostolische Denkwürdigkeiten p. 40. ff. p. 45. ff. *Tatianus* (§. 10.) cuius diatessaron statim ab initio verba habebat: ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος (Io. ev. 1, 1.) Cfr. eiusdem oratio contra Graecos p. 145. et p. 152. ed. Colon. *Theophilus* Antiochenus, qui diserte ad Ioannem provocat haec docentem: ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος etc. ad Autolycum l. 2. c. 22. (p. 100. ed. Colon.) *Athenagoras* legatio pro Christst. p. 10. ed. Colon. *Irenaeus*, (Polycarpi episcopi Smyrnensis, qui cum Ioanne Apostolo familiariter versatus fuerat, amicus et discipulus, Euseb. h. e. 5, 20.) *contra haerr.* l. 3. c. 1. (palam testatur, Ioannem Apostolum, Christo praecipue dilectum, evangelium edidisse) c. 11. (argumenta ex hoc evangelio desumta Gnosticis opponit.) *Clemens Alexandr.* ad loca evangelii Ioannei (quod ipse, teste *Eusebio* hist. eccl. l. 6. c. 14. in libro ὑποτυπώσεων appellavit πνευματικον) saepius provocavit, v. c. *stromatum* l. 1. p. 351. l. 2. p. 362. p. 391. ed. Sylb. *Origenes* evangelium Ioannis inter evangelia refert, quae sola sint ἀναντίῤῥητα in ecclesia Dei (apud *Euseb.* hist. eccl. 6, 25.) Idem commentarios in hunc librum edidit (vd. *Origenis* in sacras scripturas commentaria, ed. *Huetius*, Pars posterior, Coloniae, 1685.) *Tertullianus* contra Marc. l. 4. c. 2. c. 5. (auctoritatem ecclesiarum apostolicarum evangeliis Matthaei, Ioannis, Marci, Lucae patrocinari dicit) de praescriptt. haerett. c. 36. *Eusebius* eiusdem rei testimonium exhibet uberius hist. eccles. 3, 24. 25. Add. *Hieronymus* praef.

comment. ad Matth. et catal. ſcriptt. eccleſ. c. 9. Neque ii, quos eccleſia antiquior haereticos appellavit, (exceptis Alogis, nota 1.) authentiae huius evangelii contradixerunt. *Montaniſtae* quippe (Saec. II.) haud dubie evangelium Io. et cognoverunt, et uſurparunt, quum παρακλητον quem Chriſtus promiſiſſet Apoſtolis (Io. ev. 14, 16. 26. 15, 26. 16, 7.) per *Montanum* iterum efficaciam ſingularem exſerere adfirmarent (*Euſeb.* hiſt. eccleſ. 5, 14. 16—19. *Tertull.* de virginibus velandis c. 1. de anima c. 58. adv. Praxeam c. 1. 2. 13. de reſurr. carnis c. 11.) inpugnati ab Alogis, *Iren.* adv. haerr. l. 3. c. 11. §. 9. Vd. *Olshauſen* die Echtheit der vier kanoniſchen Evangelien p. 238. ff. *Valentinum* Gnoſticum eiusque ſectatores auctoritatem huius libri apoſtolicam agnoviſſe et teſtimonia docent *Irenaei* adv. haerr. l. 3. c. 11. §. 7. c. 14. §. 4. ac *Tertulliani* de praeſcriptt. c. 38. c. 49. et ipſa oſtendunt effata eorum atque decreta plurima, ex iis formulis, quae apud ſolum Ioannem leguntur, oriunda, atque doctrinae de λογω coniunctiſſima (*Iren.* adv. haerr. l. 1 c. 1. ſeqq.) *Ptolemaeus*, Valentini diſcipulus, in epiſtola ad Floram apud *Epiphan.* haerr. 33, c. 3. ſervata (cfr. appendix ad quinque Irenaei libros contra haerr. p. 358. ed. Maſſuet. Pariſ. 1710.) ad locum Io. 1, 3. provocavit. *Heracleon*, ex eadem ſchola oriundus (*Iren.* contra haerr. l. 2. c. 4. §. 1.) commentario, cuius fragmenta exſtant in *Grabii* ſpicilegio patrum etc. T. II. p. 85. ff. evangelium Io. illuſtravit. Vd. *Olshauſen* l. l. p. 378. ff. Denique nemo eorum, qui prioribus poſt C. N. ſaeculis religionem Chriſtianam *ſcriptis inpugnaverunt*, negavit, evangelium quartum Ioannem habuiſſe auctorem. Cfr. de *Celſo Origenes* contra C. l. 2. §. 31. §. 36. §. 37. l. 1. §. 67. De *Amelio Euſebius* praepar. evangel. l. 11. c. 18. 19. De *Porphyrio Theophylactus* comment. in ev. Io. p. 558. — Ceterum omnino non patet, quomodo evangelium Ioanni Apoſtolo ſuppoſitum Saec. II. vel ineunte vel medio auctoritatem apoſtolicam ita ſibi vindicare potuerit, ut nulla eccleſiarum, *praeſertim Aſiae minoris* (cfr. §. 36. nota 9.) authentiae huius libri contradiceret.

§. 38.

Argumenta vero interna authentiae evangelii quarti opposita his potissimum capitibus continentur: a) Ioanni piscatori inter Galilaeos nato et educato neque eam sermonis graeci cognitionem vindicari posse, neque eiusmodi subtiliorem naturae Christi divinae explicandae rationem, qualem in hoc volumine reperiamus; b) plura eiusdem evangelii loca aliis contradicere; c) quae huius evangelii auctor de Iesu Christi factis, sermonibus, et universa docendi ratione perhibuerit, prorsus differre ab ea Servatoris descriptione, quam commentarii Matthaei, Marci, Lucae suppeditaverint; d) nec deesse errores in iis rebus tractandis commissos, quae ad historiam, antiquitates, geographiam spectaverint. Ac primum quidem argumentum facile refutatur iis accuratius perpendendis, quae ad §. 36. de vita Ioannis Apostoli observavimus [1]). Quod secundo loco posuimus, nemini facile persuadebit, evangelium quartum vel totum ex fragmentis auctorum diversorum esse compositum, vel aliena manu mature interpolatum, si modo loca, quibus repugnantiam inesse dixerint, accuratius absque omni partium studio indagaverit, et neque explicationi locorum quorundam arbitrariae indulserit, neque omnino in scriptis N. F. eam exspectaverit formularum notionibus universis ideisque exprimendis inservientium subtilitatem atque constantiam, qualem Philosophi usurpent ex scholis oriundi, docendo tantum occupati, nec animi sensibus, quos contemplatio rerum divinarum excitaverit, declarandis [2]). Tertium quod attinet, negari quidem non potest, haud parum differre quartum a ceteris evangeliis [3]). Sed nemo unquam probavit, alium omnino Christum esse Matthaei, Marci, Lucae, alium Ioanneum; ne-

que, eam, quae Christo apud illos tribuatur, doctrinam docendique rationem non potuisse ab eodem adhiberi, quem Ioannes descripserit [4]). Docet quippe comparatio sermonum et ampliorum et breviorum, qui Servatori tribuantur, neque apud Matthaeum, Marcum, Lucam eiusdem generis dicta, cuius plurima sint, quae evangelio quarto comprehendantur, omnino deesse, neque apud Ioannem prorsus desiderari, quae eandem referant indolem, qua plerique Christi sermones apud tres priores evangelistas expositi utantur [5]). Deinde in promtu sunt causae illius discriminis, ex ipsa Servatoris vita derivandae, ingenii animique dotes diversissimas virtutemque perfectam sermonibus suis factisque diversissime expromentis (pro varia quidem locorum, temporum, hominum ratione) [6]); ex iis, quae Ioanni potissimum, quo tempore suum scripsit evangelium, ante oculos obversata esse videntur, lectorum desideriis [7]); denique ex huius Apostoli indole atque ingenio, et efficacia singulari, quam consuetudo Christi cum Ioanne interior in animum huius conformandum exseruit [8]). Ceterum lubenter concedimus, fieri utique potuisse, ut Ioannes, quum serius scriberet, sermones Servatoris, quos enarrare constituisset, non omnes verbotenus referret, ut modo contraheret, modo amplificaret, modo leviter immutaret, quae Iesus dixisset [9]), quanquam idem scriptor non mentem tantum sensumque orationum Christi ubique veracitate summa expressisse, sed etiam eiusmodi verba formasque dicendi, quae praecipui essent momenti ad sententiam recte intelligendam, exacte retulisse iure meritoque dicitur [10]). Eiusmodi vero loca et effata, quae vel historiae ita contradicant, vel ab indole personarum loquentium ita abhorreant, ut originem libri Ioanneam dubiam reddant, in evangelio quarto deprehendi, nega-

mus cum iis interpretibus, qui recentius haec loca iteratis curis illustraverunt [11]). Licetque iis, qui hoc argumentorum genere authentiam evangelii inpugnaverunt, permulta alia opponere eiusdem libri effata, quae tam egregie conveniant cum historia rerum illius aevi apostolici Iudaicarum Romanarumque, tam aperte ad opiniones et dubitationes Christianorum quorundam illius potissimum temporis respiciant, tam probe iis sint accommodata, quae de Ioannis Apostoli vita innotuerint, ut authentiae evangelii argumentis luculentissimis demonstrandae [12]) inserviant, et neque pateat, quomodo scriptor saeculi II. haec omnia recte observare potuerit, nec probabiliter doceri, quo consilio quisquam hunc librum, nomine Ioannis assumto, ediderit.

1) Vd. §. 36. nota 1. 8. 9. Usus *sermonis graeci*, cuius cognoscendi opportunitatem Ioanni in Palaestina versanti non defuisse recte contendimus (cfr. §. 22. nota 3.) magis magisque perfici poterat, quum Apostolus regiones exteras adiisset. Philosophia religionis Alexandrina tum temporis extra Palaestinam ita erat propagata (quanquam nec Palaestinensibus prorsus incognita fuisse videtur, *Actt.* 6, 9.) neque solis scholae cancellis angustioribus circumscripta, ut Ioannes, consuetudine Iudaeorum exterorum usus, etsi non ipse scripta Philonis Alexandrini legisset, facile tamen posset illam τοῦ λόγου divini notionem, quae cap. I. ad explicandam Iesu Christi originem naturamque divinam transfertur, animo informare.

2) Quod Ioannes c. I. v. 1—14. evang. Iesum Christum tanquam λογον describit, ὃς ἐν ἀρχῇ ἦν πρὸς τὸν θεὸν, deinde vero σάρξ ἐγένετο, pluribusque locis sermonum et Ioannis baptistae (1, 30. 3, 31.) et ipsius Christi, aliis quidem verbis, *praeexistentia* eius breviter innuitur, atque δόξα, quam apud patrem habuerit πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι (8, 58. 17, 5. 24. nisi haec malueris de idea Christi, quae in mente divina ab aeternis inde exstiterit, atque de felicitate gloriosa huic Christo iam ante mundum conditum apud Deum *destinata* interpretari), *minime*

contradicit iis eiusdem evangelii effatis, ubi coniunctio Chrifti cum Deo ad confenfum mentis, voluntatisque perfectum (moralem) et efficaciam fummam, quum Chriftus Deo patre volente et iuvante inter homines exferat, refertur (5, 17. 19. 20. 14, 11. 20. 17, 11. 21.), fiquidem hac pofteriori coniunctione morali agnofcenda et praedicanda non tollitur prior illa (metaphyfice fpectata), neque λογος ille cum Iefu coniunctus unquam defiit particeps effe naturae humanae. Neque illa του λογου cogitatio, qui, quum apud Deum ab initio fuiffet, deinde natura indutus humana inter homines apparuit, ullo modo iis repugnat effatis, ubi Iefus *Deum patrem* fibi coniunctum effe, five, quae ipfe faciat, *Dei patris opera* effe profitetur. (7, 16. 17. 10, 25. 30. 14, 9. 10. 11.) Verba quippe c. 1. v. 1. 2. 3. collata verfui 14. docent omnino, Ioannem de λογω fic ftatuiffe: ante mundum conditum λογος (tanquam ratio divina, göttliche Vernunft) in ipfo fuit Deo, λογος ἐνδιάθετος, ut cum *Philone* lòquamur, deinde ex Deo prodiit (tanquam individuum fingulare, πρωτότοκος πάσης τῆς κτίσεως, λογος προφορικος), eiusque ope omnia creata funt, denique homo factus eft, auctor cognitionis veriffimae rerum divinarum, virtutisque (lucis), et vitae beatae hominum omnium qui fidem ei praebuerunt. Proinde, quod Iefus apud Ioannem de Deo patre per ipfum loquente et agente palam profeffus eft, profecto accommodatiffimum apparet perfonae Servatoris, cuius naturae humanae λογος (*olim ex ipfo Deo profectus*) coniunctiffimus fuit. Denique nulla apparet eorum, quae de λογω illo, atque de πνευματι αγίω apud Ioannem dicuntur, repugnantia. Etenim, ut taceam, unam eandemque cogitationem (praefertim apud eiusmodi fcriptorem, qui non prodierit ex fcholis Philofophorum) *diverfis formulis* exprimi potuiffe, ne dixerim quidem, λόγον, ὅς σὰρξ ἐγένετο, *prorfus non differre* a πνεύματι ἁγίω, quod Io. 1, 32. fq. in Iefum Chriftum, quum lotionem facram fubiret, defcendiffe dicitur. Quanquam fententia pofterior rationibus defenditur haud contemnendis (cfr. *Winzer* progr. num quid difcriminis inter τον λογον Ioanni Apoftolo dictum et το πνευμα intercedat, Lipf. 1819. 4.), alia tamen, opinor, argumenta fuadent, ut de difcrimine utriusque fubiecti cogitemus. Illud quippe effatum Io. 1, 32. (de πνεύματι καταβάινοντι καὶ μείνοντι επ᾽ ἀυτὸν) fimillimum apparet permultis in V. T. obviis, ubi Spiritus Iehovae ita dicitur in hunc illúmve *prophetam*

descendisse, s. super propheta quievisse, ut omnes interpretes concedant, non dici Spiritum div. hominem (σαρκα) factum esse, sed in animum prophetae efficaciam singularem exseruisse. Deinde, quod apud eundem Ioannem 14, 16. 15, 26. 16, 13. sq. ipse Christus (λογος σαρκι indutus) elocutus est, se Deum patrem precibus aditurum esse, ut Apostolis Spiritum divinum contingere iubeat, itemque, quod in 1. Ioannis epistola c. 5, v. 5. ss. Spiritus ille divinus (quem Christus et promisit, et vere contingere iussit discipulis suis) tanquam documentum dignitatis Iesu filii Dei commemoratur, ostendit utique, λόγον a πνευματι esse distinguendum. Accedit, quod evangelista, quum capite 1. v. 1—14. de λογω tantum loquutus fuisset, nulla omnino πνευματος mentione facta, inde a v. 32. cap. 1. ad finem usque evangelii formula λογος non amplius usus est, sed πνευμα divinum praedicavit. Cfr. *Bretschneider* Handbuch der Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche, 1. B. 3. Auflage, Leipzig, 1828. p. 491. ss. Ipsius discriminis ratio haec est, ut illa quidem formula λογος ad Iesum Christum transferenda origo eius coelestis, praeexistentia, coniunctio cum Deo singularis universe spectata, hac vero: πνεῦμα ἅγιον κατέβαινον ἐπ' ἀυτὸν cognitio, quae in eo fuerit, Dei rerumque divinarum perfecta, eiusque efficacia summa (ex coniunctione λόγου natura humana induti cum Spiritu Dei explicanda) declaretur. Neque ex loco Io. 1, 32. necessario sequitur, λογον hominem factum (secundum doctrinam huius evangelii), priusquam Christus immersione sacra initiaretur, omnino seiunctum fuisse a πνευματι αγιω. Docetur tantum, Servatorem ab eo inde tempore, quo baptismum subiret, moderante Deo patre, tanta perspicuitate Spiritum div. in ipsius mente humana efficacem sensisse et cognovisse, ut certo intelligeret, provinciam evangelii hominibus tradendi *nunc* sibi inchoandam esse. Similiter apud *Matth.* 3, 16. *Lucam* 3, 22. πνεῦμα ἅγιον in Christum *baptismi tempore* descendisse narratur, quanquam iidem (*Matth.* 1, 20. *Luc.* 1, 35.) diserte dicunt, eum natum fuisse ἐκ πνεύματος ἁγίου. Ceterum de pluribus effatis ev. Io. c. 14. 15. 16. etiamnum dissentiunt interpretes, utrum πνεῦμα ἅγιον s. παράκλητος *subiectum singulare*, a Deo distinguendum, quanquam Deo coniunctissimum (personam) indicet, an ipsum Deum, quatenus cognitionem veritatis virtutemque Christianam *in animis hominum* auxilio potentissimo adiuvet? Sive hanc, sive illam

rationem probaveris, ex iis locis, quae maxime videantur perspicua, cetera explicari debent, nec unquam eiusmodi apparet diversitas eorum, quae de πνευματι αγιω apud Ioannem dicuntur, ut nequeant ad unam eandemque referri cogitationem primariam.

3) Desiderantur in evangelio quarto permultae factorum sermonumque Servatoris narrationes apud ceteros evangelistas obviae. Contra haud pauca apparent (praesertim de sermonibus Iesu exposita) quae solus habeat Ioannes. Et, quemadmodum ceteri eam potissimum vitae Iesu Christi partem describunt, quam inter Galilaeos egit, ita Ioannes eundem saepius inter Iudaeos loquentem agentemque exhibet. Locis Matthaei, Marci, Lucae hae tantum sectiones evangelii Ioannei, tanquam parallelae respondent: *Io.* 2, 14—16. 6, 1—21. 12, 1—19. plurima quae in historia suplicii de Christo sumti, eiusque resurrectionis inde a cap. 18. leguntur.

4) Etenim, quod a) *naturam*, *originem* et *dignitatem Christi* attinet, evangelium quartum plane consentit ceteris, Servatorem exhibentibus *filium Dei* (dilectum) sensu prorsus eximio sic appellandum, *a Deo patre ad homines missum*. Vd. *Io.* 3, 16. 8, 18. 19. 26—29. 54. sq. al. coll. *Matth.* 3, 17. (Marci 1, 10. sq.) 17, 5. (Marc. 9, 7.) 11, 27. (*Luc.* 10, 22.) 12, 50. 14, 33. 16, 16. 17. (*Io.* 6, 68. sq.) 18, 10. 26, 64. (*Marci* 14, 61. sq.) 28, 19. *Luc.* 2, 49. 24, 49. [Hoc unum apparet discrimen, quod phrasi: υἱὸς θεοῦ apud *solum Ioannem* 1, 14. 18. 3, 16. 18. praedicatum additur μονογενὴς, *nec praeter Ioannem* c. 1. et c. 8. v. 58. c. 17. v. 5. 23. *praeexistentia* Christi perspicue in evangeliis declaratur. Cfr. nota 1.] Apud *omnes* evangelistas *intima Iesu Christi cum Deo coniunctio* celebratur, *eiusque vis et efficacia divina*. Vd. *Io.* 3, 35. 5, 20. ss. 6, 37—40. 44. sq. 46. 10, 29. sq. 14, 9. ss. 16, 15. 17, 2. 6. 10. sq. 20, 23. coll. *Matth.* 9, 6. *Marci* 2, 10. (quibus simillima sunt quae Io. 20, 23. leguntur), *Matth.* 10, 1. *Luc.* 10, 18. sq. *Matth.* 11, 27. *Luc.* 10, 22. (vd. *Io.* 3, 35. 5, 20. ss. 8, 19. 55. 10. 15.) *Matth.* 13, 41. ss. 25, 31. ss. (quod apud Matth. de iudicandi potestate Christo tradita formulis enuntiatur, quae rem depingunt, simplicius et brevius traditur apud *Io.* 5, 20. ss.) *Matth.* 18, 19. sq. (*Io.* 14, 13.) *Matth.* 28, 18. ss. (*Io.* 17, 2.) [Negari quidem non potest, coniunctionem Christi cum Deo singularem in evangelio *Ioanneo* et *frequentius*, quam apud

Matthaeum, Marcum, Lucam, et *magis perspicue* indicari, nec praeter Ioannem eiusmodi dicta Servatoris exstare: ὁ ὢν παρὰ τοῦ θεοῦ, ἑώρακε τὸν πατέρα, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν, ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα, ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστιν, πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἐμά ἐστιν. Quis tamen neget, quae ceteri habeant, ad eandem huius coniunctionis ideam sublimem *propius* certe accedere? Et, quanquam ceteri nihil dicunt de λόγῳ natura humana induto, natum tamen Iesum Christum esse perhibent per singularem vim πνεύματος ἁγίου *Matth.* 1, 18—20. *Luc.* 1, 35. saepiusque hunc Dei spiritum in Christo efficacem praedicant, *Matth.* 3, 16. 12, 18. 28. 31. sq. *Luc.* 4, 18. al. cfr. *Io.* 1, 32. ss. 3, 34. Vicissim, quae apud Matthaeum, Marcum, Lucam frequentius et studiosius declaratur, cogitatio Christi *mandata divina inter homines exsequentis*, non aliena est ab evangelio quarto. *Io.* ev. 5, 19. 30. 6, 38. 7, 16. 8, 26. sq. 14, 28. ὁ πατήρ μοῦ μείζων μου ἐστίν, 17, 2. 4. 6. Itemque Ioannes multa habet, quae naturam Christi *vere humanam* perspicue testentur, v. c. phrasin omnibus communem υἱὸς ἀνθρώπου, et eiusmodi loca, qualia sunt 4, 6. 11, 33. 35. 38. 19, 30.] Ex *omnibus* evangeliis cognoscimus *Iesum Christum, in mundum invisibilem, ex quo venerit, rediturum, pristinamque maiestatem et gloriam* (δόξαν) *recuperaturum.* Vd. *Io.* ev. 3, 13. 6, 38. 7, 33. 12, 28. 16, 5. 10. 28. 17, 5. 21. ss. Coll. *Matth.* 16, 27. (*Luc.* 9, 26.) *Matth.* 19, 28. 24, 30. 25, 31. 26, 64. *Marc.* 14, 62. [Quanquam evangelium Ioanneum nihil dixit de ipso Iesu Christi in coelos reditu, apud *Marcum* 16, 19. et *Lucam* ev. 24, 51. *Actt.* 1, 9. enarrato, exhibet tamen effata Servatoris, quibus, se olim ad Deum patrem rediturum esse, luculenter professus est. *Verba* quidem differunt, quum δόξα Christo destinata apud Ioannem simpliciter ac breviter declaretur, et neque formula illa ceteris evangelistis sollemni: *sedebit ad dextram Dei*, describatur, neque cum *reditu* quodam Iesu Christi ad iudicium extremum futuro, eodemque *maiestate externa conspicuo*, coniungatur.] b) *Dignitatem suam Messianam Servator apud Ioannem diserte professus est*, 1, 52. 4, 25. 26. 42. 8, 25. 9, 35. 37. 10, 25. 35. ss. 17, 3. *Apud ceteros vero eandem non reticuit*, *Matth.* 9, 6. 10, 23. 11, 2—6. 10—14. 25—30. 12, 8. 28. 40. 16, 17. 21, 15. sq. 26, 24. 63. sq. *Luc.* 4, 16—21. 11, 32. 18, 31. sq. 24, 44. [Rarius quidem, quod universa docet quatuor evangeliorum comparatio, his

ipsis verbis: ego sum χριστος, usus est. Neque ceteris evangeliis repugnat, quod Ioannes eiusmodi effatorum Christi, quibus *interdum*, his illisve, ad tempus, ne ipsum tanquam Messiam manifestum redderent, *interdixerit*, mentionem fecerit nullam. *Matth.* 16, 20. *Marci* 1, 34. 3, 11. sq.] Patet item ex *omnibus* evangeliis, *Servatorem postulasse, ut homines sibi, Dei filio, Messiae ad homines legato, fidem haberent constantissimam*, aliis omnibus, quae animum ab hac veritate divina profitenda et adiuvanda avocare potuerint, lubenter renuntiantem. *Io.* ev. 3, 15. ff. 5, 38. ff. 6, 39. ff. al. coll. *Matth.* 10, 32. sq. 37. ff. 12, 25. ff. 21, 40. ff. *Luc.* 11, 29. ff. [Audimus quidem Christum apud Ioannem multo frequentius ac definitius, quam in ceteris evangeliis, de fide loquentem sibi, coelitus profecto, Deoque patri coniunctissima, habenda.] c) *In evangelio quarto praecipua quidem perspicuitate docetur, Iesum Christum eo consilio apparuisse, ut Servator esset totius generis humani* (cfr. prologus ev. Io: 1, 1—14. 1, 29. 3, 15. ff. 4, 23. sq. 6, 33. ff. 10, 16. et alia multa Christi effata apud Ioannem,) neque negari potest, eiusmodi phrases, quales sint illae Ioanneae: Φῶς τοῦ κόσμου s. ζωὴ τοῦ κόσμου non occurrere in ceteris evangeliis. *Sed etiam Matthaeus, Marcus, Lucas plura habent effata, quae partim exspectationibus regni Messiani terrestris, quas Iudaei vulgo fovebant, vel aperte vel tecte repugnent* (*Matth.* 4, 8. ff. *Luc.* 4, 4. ff. *Matth.* 5, 6. 8. 48. 6, 19. ff. 33. 10, 16—25. 11, 28—30. 16, 24. ff. 18, 1. ff. 20, 20. ff. 22, 30. *Luc.* 22, 24. ff. coll. *Io.* 3, 16. 6, 26. ff. 8, 12. 31. ff. 12, 25. sq. 13, 1—17.) *partim evangelium Christi regnique divini consortium non solis Iudaeis destinatum esse doceant* (*Matth.* 8, 10. ff. 20, 28. 21, 43. 22, 1. ff. 24, 14. 26, 28. 28, 19. *Marc.* 13, 10. 14, 9. 16, 15. de *Luca* potissimum cfr. §. 34.) Et, quanquam Matthaeus et Marcus prae ceteris Servatorem describunt iis emendandis operam navantem, quae *inter Iudaeos* tum temporis emendari debebant, profecto tamen etiam huius evangelii quarti lectio facile docet, hoc fuisse Servatori propositum, ut, *quamdiu ipse in his terris viveret*, Iudaei potissimum et Galilaei ad consortium regni divini invitarentur. d) *Quod Iesus apud Ioannem aperte profitetur, ad provinciam sibi divinitus demandatam etiam hoc pertinere, ut pro salute hominum moriatur* (Io. 3, 14. 6, 51. 10, 18. 14, 31. 18, 11.) *non contradicit iis, quae apud ceteros de consilio et efficacia huius mor-*

tis dicuntur. Matth. 16, 21. *Luc.* 24, 26. *Matth.* 20, 28. *Luc.* 12, 50. *Matth.* 26, 28. 39. 54. *Luc.* 18, 31. ſſ. 22, 22. 37. [Cum locis Ioanneis 3, 14. ſſ. 6, 51. 10, 18. *praeſertim* conveniunt Matth. 20, 28. 26, 28. *Marc.* 14, 24. *Luc.* 22, 20. Hoc unum apparet diſcrimen, quod in evang. quarto vocabulum λυτρόν ad mortem Servatoris translatum deſideratur, nec diſerte venia peccatorum hominibus procurata commemoratur.] e) *Quicunque evangelium Ioanneum cum ceteris absque omni partium ſtudio comparaverit, in easdem ingenii animique Servatoris dotes ac virtutes prorſus eximias, quarum documenta luculentiſſima Matthaeus, Marcus, Lucas exhibuerunt, animum defigit.* [Quanquam Chriſtus apud Ioannem frequentius de ſemet ipſo loquitur, ſuaque dignitate et origine coeleſti, omnia tamen *ad Deum patrem* referre ſolet, auctorem huius ſcientiae, potentiae, dignitatis ſibi conceſſae, docetque cauſam primariam, quare permulti fidem *ſibi* denegent, hanc eſſe, quod *Deum*, quo auctore prodierit, parum noſcant ac diligant. *Io.* 5, 42. ſſ. 8, 42. 47. 12, 49. ſſ. coll. *Matth.* 12, 25. ſſ.] Eiusdem ingenii acuminis, eiusdem conſiliorum divinorum, naturae humanae, ſingulorumque hominum cognitionis, eiusdem ſapientiae in docendo adhibitae, eiusdem morum innocentiae, pietatis et fiduciae in Deo poſitae, amoris homines omnes complectentis, animi tranquillitatis et aſſiduitatis ſummae in laboribus ſubeundis moleſtiisque perferendis, teſtimonia egregia *pariter exſtant eae narrationes, quae apud ſolum Ioannem leguntur, atque illae, quas priores tantum evangeliſtae commentariis ſuis inſeruerunt.* f) *Quanquam Ioannes rarius, quam ceteri, facta Servatoris inſignia* (σημεια) *commemoravit, pluribus tamen locis eiusdem generis obveniunt documenta auxilii divini Ieſum Chriſtum adiuvantis* (exceptis daemoniacorum ſanationibus), *eodem conſilio edita* Io. 2, 1—11. 4, 46—54. 5, 1—9. 6, 1—14. 11, 1—44. patetque, Ioannem ipſum eiusmodi facta tanquam σημεια agnoviſſe, 2, 11. 4, 54. g) *Neque, quod morum doctrinam attinet, alium doctorem Ioannes, alium ceteri evangeliſtae deſcripſiſſe exiſtimandi ſunt.* Sermones quidem Chriſti *Ioannei frequentius et copioſius*, quam ii, quos ceteri habent, hoc agunt, ut dignitas ſumma ipſi divinitus conceſſa, origo eius coeleſtis, coniunctio cum Deo patre, legationisque conſilium declaretur (cfr. ſupra ſub littera a. b. c. obſervata). Deſideramusque apud Ioannem eas Ieſu Chriſti

orationes in evangeliis Matthaei, Marci, Lucae saepenumero obvias, quae ad commenta et vitia Iudaeorum illius temporis (Pharisaeorum maxime et Sadducaeorum) graviter reprehendenda, ad singula virtutis praecepta commendanda (ad eam, quae vulgo *specialis* dicitur, ethicen) pertinent. Nonne vero, quae Christus apud Ioannem de vero Dei amore (ab iis alieno, qui fidem denegaverint legato divino, cfr. supra sub litt. e. observata), de fide Deo eiusque filio habenda (cuiusque virtutis Christianae fonte purissimo), de regeneratione totius animi humani, de vera animi libertate ex αληθεια oriunda, de Deo πνευματι και αληθεια adorando, de praestantia summa amoris mutui atque concordiae, qua sectatores sui adversarios omnes vincere possint, de officio sectatorum suorum, omnibus huius terrae bonis gaudiisque regni divini causa renuntiandi elocutus est (3, 3—21. 4, 21. ss. 7, 16. ss. 8, 31. ss. 10, 27. ss. 12, 25. ss. c. 13—c. 17.) ad eandem redeunt virtutis Christianae ideam vere sublimem, cui tanquam fundamento superstructa sunt, quaecunque Christus apud ceteros de singulis praecepit officiis? Nonne Christus quoque Ioanneus, errores, quibus Iudaei tum temporis indulgebant, subinde refutavit atque emendavit v. c. *Io.* 3, 3. 5, 17. 8, 33. 39.? Nec prorsus deesse videmus apud Matthaeum, Marcum, Lucam eiusmodi effata, quae de officiis, de obedientia Deo praestanda, de sensu vere Christiano *universe* praecipiant. *Matth.* 5, 48, 6, 20. ss. 7, 21. ss. 18, 1. ss. 20, 23. ss. Ceterum, qui apud Ioannem praecipue commendatur, *amor Christianorum mutuus*, minime tollit amorem illum, cuius mentio saepe facta est in ceteris evangeliis, *hominibus omnibus praestandum*, etsi hoc necessario secum ferat eiusmodi coniunctio animorum interior, qualem professio religionis Christiana efficit, ut *gradu* utrumque ab altero differat. Omninoque perpendendum est, illa Christi effata Ioannea iis potissimum sermonibus contineri (c. 13. seqq.) quibus Servator, supplicio crucis proxime instante, intimos pectoris sensus coram amicis effundere, eorumque concordiam mutuam in perpetuum stabilire potius voluerit, quam de principiis virtutis Christianae disserere. h) *Docendi ratio, qua Christus in evangelio quarto usus est, saepenumero minus plana et dilucida apparet. Sed nemo unquam huic evangelio effata inesse docuit, quae sententiam nullam fundant et nexui sermonis, et ingenio doctrinae atque vitae Iesu Christi universe spectato accom-*

modatam, etsi haud pauca obveniunt explicatu difficiliora. Illius quidem *mysticismi*, quo laborant, quicunque in religione sola Phantasia et sentiendi facultate ita ducuntur, et veluti abripiuntur, ut omne rationis moderamen ab eorum sermonibus dictisque abesse videatur, vestigia deprehendimus nulla. Concedimus vero, effata Christi mystica evangelio quarto contineri, si mystice eum loquutum fuisse dixeris, qui, quum sibi perfecte conscius esset coniunctionis animi sui cum mente divina, summasque rerum divinarum ideas non cogitatione solum, sed etiam pectore toto complecteretur, saepenumero eiusmodi sermonem usurparet, cuius sententia esset recondita, nec posset nisi diutius meditando comparandisque pluribus Christi effatis, eiusve tota agendi ratione diligenter consideranda, prorsus intelligi. *Deinde apud ceteros quoque evangelistas passim obveniunt, quae doceant, Servatorem subinde obscurius dicta protulisse, quibus meditationem audientium excitaret, Matth.* 8, 22. 11, 19. 16, 6. 19, 24. 20, 22. *Marc.* 9, 49. sq. *Luc.* 10, 42. 16, 8. 9. al. *Sermones Christi continui, iique longiores in evangelio quidem Ioanneo frequentius obveniunt, saepiusque eiusmodi dicta apparent, quae sententiam modo enuntiatam repetant* (praesertim una eademque re et negative et positive exprimenda, v. c. c. 3. v. 10. ss. 4, 21. ss. 5, 19—47. 6, 43. ss. al.) *Apud ceteros vero evangelistas neque omnino desunt orationes Christi longiores*, v. c. *Matth.* c. 5. 6. 7. c. 10. c. 23. 24. 25. *neque eiusmodi dicta, quae illis Ioanneis, quod copiam attinet verborum, similia appareant*, v. c. *Matth.* 12, 25. sq. 30. 31. 32. 34. sq. coll. *Io.* 5, 19. ss. Vicissim evangelium quartum subinde effata Servatoris breviora, sententiose dicta, sermoni gnomico prorsus accommodata exhibuit, *Io.* 4, 34. ss. 9, 39. 41. 11, 9. 10. 12, 24. ss. (confr. *Matth.* 10, 39.) 13, 16. sq. 16, 31. ss. *Sermones qui ad subtilitatem dialecticam propius accedant, non facile apud Ioannem reperias, nisi dialecticam appellare volueris argumentandi rationem* (tempori et loco probe accommodatam), *qua Iesus subinde Iudaeos, argumentatione speciosa ipsum oppugnantes, sive, quae ipse elocutus fuerat, male detorquentes refutaverit et ad silentium redegerit, Io.* 6, 32. ss. 8, 34. ss. 42. ss. 56. ss. 10, 34. ss. Comparare iuvat *Matth.* 22, 42. ss. *Parabola sensu strictissimo dicta* (i. e. eiusmodi similitudo rei cuidam illustrandae inserviens, quae in *narrationem integram*, fictam quidem, conformata est,

vd. *Unger* de parabolarum Ieſu natura, interpretatione, uſu, Lipſ. 1828. p. 24. ſq. coll. p. 82. ſq.), *quales Matthaeus, Marcus, Lucas ſaepenumero habent, non legitur in commentario Ioanneo. Attamen orationes obveniunt allegoricae* (ſimilitudines, ad modum quidem hiſtoriae non compoſitae, ſed praedicata eius rei, cuius ope alia illuſtretur, modo copioſius, modo brevius *deſcribentes*) *parabolis illis ſimillimae*, *Io.* 4, 14. 6, 48. ſſ. 8, 12. 10, 1. ſſ. 15, 1. ſſ. eiusdemque generis effata allegorica, praeter parabolas, ceteri quoque ſubinde exhibuerunt, *Matth.* 5, 15. 18, 12. ſq. *Luc.* 11, 5. ſq. 21. 12, 36. ſq. 14, 8. ſq. 15, 4. ſq. *Docendi et loquendi rationem, quae maxime Iudaeis accommodata eſſet, minime apud ſolos tres priores evangeliſtas delineatam eſſe*, cum phraſes docent, apud Ioannem obviae βασιλεία τοῦ θεοῦ, ἀνάστασις ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, ἄνωθεν γεννηθῆναι, διάβολος, tum uſus librorum atque hiſtoriae V. T. *Io.* 2, 16. 3, 14. 5, 39. 45. 6, 32. 8, 44, 10, 36. *Neque omnes omnino Chriſti ſermones apud Ioannem obvii* (ut nonnulli adfirmarunt) *eodem prorſus dicendi docendique genere utuntur.* Diverſimode loquitur ad Nicodemum (c. 3.) ad mulierem Samaritanam (c. 4.) ad Iudaeos fidem ſibi denegantes, ſuamque veracitatem et auctoritatem inpugnantes (c. 8. c. 10.) ad familiares interioris admiſſionis (c. 13. ſeqq.) Oratio Chriſti modo eſt tranquillior, ad animum docendum, errores corrigendos, adverſarios refutandos compoſita (c. 3. c. 5, v. 19. ſſ. c. 8. c. 10. cfr. *Matth.* c. 5. 6. 7. 12, 2. ſſ. 25. ſſ. 19, 3. ſſ. 21, 16. 24. ſſ. 22, 29. ſſ. 42. ſſ.) modo fervidior, adfectum ſpirans vel indignationis iuſtae (*Io.* 5, 38. ſſ. 7, 19. ſſ. 8, 14. ſſ. 22. ſq. 42. ſq. *Matth.* 11, 16. ſſ. 12, 38. ſſ. 15, 3. ſſ. *Luc.* 13, 31. ſſ.) vel triſtitiae aut ſollicitudinis (*Io.* 11, 33. ſſ. 12, 27. al. *Matth.* 23, 37. 26, 24. 38. *Luc.* 19, 41. ſſ. 12, 49.) vel animi dignitatis ſuae et innocentiae probe conſcii (*Io.* 5, 31. ſſ. 6, 35. ſſ. 7, 16. ſſ. 8, 12. 14. 28. 46. 56. 18, 20. *Matth.* 11, 27. 12, 28. 16, 16. ſſ. 26, 63. ſſ. *Luc.* 22, 52. ſſ.) vel amoris tenerrimi (*Io.* 3, 16. 10, 12. ſſ. c. 13. ſſ. *Matth.* 11, 28. ſſ. 18, 3. ſſ. 19, 27. ſſ. 20, 28. *Luc.* 22, 17. ſſ. al.) *Ceterum, quum haud pauci ex iis ſermonibus Chriſti continuis, quos evangelium quartum exhibet, ad homines eiusdem generis vel edocendos vel refutandos ſpectaverint, nemini poteſt mirum videri, quod Servator in his potiſſimum orationibus eandem loquendi rationem ſervaverit.* Neque apud ceteros exempla huius ſermonum aequalitatis deſiderantur. *Matth.* 9, 37. ſſ. 10,

5. ff. coll. *Luc.* 10, 2. ff. Add. *Luc.* 9, 57. ff. coll. 18, 18. ff. itemque *Luc.* 14, 16. ff. coll. *Matth.* 22, 1. ff.

5) Huic observationi illustrandae plura eorum locorum inserviunt, quae modo nota 4. maxime sub littera *h.* laudata sunt. Documenta praecipue insignia huius evangelii quarti ceterorumque convenientiae his continentur: *Io.* 2, 16. coll. *Luc.* 19, 46. *Marc.* 11, 17. *Matth.* 21, 13. *Io.* 3, 35. 5, 20. 8, 19. 10, 15. coll. *Matth.* 11, 27. *Luc.* 10, 22. *Io.* 4, 35. coll. *Matth.* 9, 37. sq. *Io.* 4, 44. coll. *Matth.* 13, 57. *Io.* 12, 7. 8. coll. *Matth.* 26, 11. 12. *Io.* 12, 25. coll, *Matth.* 16, 25. 10, 39. *Io.* 13, 20. coll. *Matth.* 10, 40. *Luc.* 10, 16. *Io.* 14, 13. coll. *Matth.* 18, 19. sq. *Io.* 17, 2. coll. *Matth.* 28, 18. sq.

6) Non esse eandem docendi rationem apud omnes adhibendam ipse Christus professus est *Matth.* 13, 10. ff. 52. *Marc.* 4, 10. ff. *Luc.* 8, 9. ff. Atque omnino *unus quisque* evangelistarum Servatorem variis locis temporibusque diversimode cum hominibus versantem loquentemque (unius quidem eiusdemque propositi sanctissimi tenacem) exhibet. Vd. nota 4. littera h. Quis vero in eo offendat, quod non omnes evangelistae *eidem Iesu Christi dictorum factorumque generi enarrando* parem operam navaverint? Vd. quae de Matthaeo §. 25. de Marco §. 29. de Luca §. 34. observata sunt.

7) De fine primario evangelii quarti posthac disputabitur.

8) Ioannes, quum partim natura eiusmodi uteretur animi ingeniique indole, quae ad indolem Christi *propius* accederet, partim consuetudine interiori ad imaginem doctoris divini animum suum magis magisque conformasset (*iuvenis* quippe Christo innotuerat), haud pauca, quae cogitandi sentiendique rationem sublimiorem Christo propriam, doctrinae eius indolem πνευματικήν, consilii eius ambitum singulari modo declararent, frequentius et acutius, quam ipse Matthaeus (quanquam Apostolus) observasse, suoque pectori altius infixa tenuisse existimandus est (Matthaeo aliisque discipulorum Christi ea potissimum Servatoris dicta cogitando persequentibus aliisque tradentibus, quae intelligentiae communi, maxime Iudaeorum illius aevi, magis accommodata viderentur.) His non repugnant, quae apud ceteros evangelistas de Ioanne *interdum* a Servatore vituperato traduntur (*Luc.* 9, 54. ff. *Marc.* 9, 38. sq. 10, 35. ff.)

9) Ceterorum quoque evangeliorum lectio docet, ubi sectiones parallelas, quae *unam eandemque orationem* Christi exhibeant, inter se comparaveris, saepenumero *verba differre*, quae Servatori tribuantur, nec eandem prorsus apparere verborum seriem.

10) Qui coniiciunt, Ioannem Christum ita loquentem induxisse, ut *sua ipsius* placita et iudicia Servatori tribueret, neque docere possunt, *unde* Ioannes Galilaeus, more Iudaeorum educatus, neque tum temporis alienus a cogitandi sentiendique ratione *Iudaica* (vd. loca nota 8. ex. laudata), *eiusmodi sententias gravitate summa et sublimitate insignes* acceperit, nisi re vera Christum audiisset talia docentem; neque, quomodo Apostolus, Christo prae ceteris dilectus, eiusque sermonum auditor assiduus, qui ipse summum veritatis studium profitetur (19, 35. 20, 31.), qui discipulos, ut sibi probe caveant a ψευδοδιδασκάλοις, sedulo cohortatur (1. ep. 2, 21. 27. 4, 1. al.), cuiusque auctoritatem apostolicam antiquitas Christiana semper agnovit (Io. 21, 24.), vel prorsus aberrare potuerit ab indole vera doctrinae Servatoris in sermonibus eius enarrandis, vel fingere, quae Christus nunquam dixisset. Immo distinguit accuratius Servatoris verba ab iis, quae subinde interpretationis causa ipse addidit, 2, 19. 21. 11, 13. 7, 39. 12, 32. sq. 21, 18. 19. Neque fides, quam Ioanni sermones Christi enarranti habendam esse dicimus, eo labefactatur, quod c. 1. v. 1—18. (ubi ipse evangelii auctor suam de dignitate Christi persuasionem uberius profitetur) eiusdem generis locutiones obveniunt, quales in sermonibus Christi Ioanneis leguntur. Nemini quippe mirum videbitur, quod elocutio illius Apostoli, qui familiaritate Servatoris intima usus fuisset, haud pauca ex sermonibus Christi adsciverit.

11) Qua de re consulendi sunt et commentarii recentiores (*Kuinoelii*, *Lückii*, *Tholukii*), et plures eorum librorum sub finem notae 12. laudandorum, quibus authentia evangelii quarti contra dubitationes internas defenditur. Ceterum adversariis, qui eiusmodi locis singulis laudandis originem libri Ioanneam inpugnaverint, quaestionem obiicimus: liceatne persuasionem de authentia huius illiusve scripti ex genere profanorum propterea evertere, quod in eo subinde obveniant, quae difficultatibus historicis, chronologicis, geographicis obnoxia videantur?

12) Auctorem evangelii quarti *testem* fuisse vitae Christi *oculatum* inde etiam patet, quod in iis sectionibus, quas ceteri quoque evangeliorum scriptores habent (vd. nota 3.), haud raro vel tempus vel locus accuratius definitur, variique generis περιστάσεις ab illis omissae adferuntur; atque omnino haud exigua apparet narrationis evidentia (cfr. 1, 35—40. c. 9. c. 11. c. 12. 13, 24. 18, 15. 19, 26. 35. 20, 2. ss. c. 21.) *Discipulum Christo praecipue dilectum* auctorem indicant loca 13, 23. 19, 26. 21, 7. 20. *Ioanni Petro coniunctiori et familiariori* (§. 36. nota 4.) egregie convenit, quod Petri mentio in evangelio quarto saepius, quam in ceteris, facta est, atque de Petro plura narrantur *honorifice* dicta et facta Io. 1, 43. 6, 68. 13, 6. ss. 24. 36. 20, 3. 4. 21, 7. 15. ss. omissis contra narrationibus, quae *Matth.* 15, 15. ss. 16, 22. ss. 18, 21. ss. 19, 27. ss. 26, 40. *Marc.* 14, 37. *Luc.* 9, 32. sq. obveniunt; quanquam auctor *veracitatem* quoque suam, enarrandis iis, quae *Io.* 18, 10. 11. 17. 25. ss. coll. 13, 38. de Petro leguntur, egregie declaravit. Cfr. *Weber* progr. sub finem notae 12. laud. *Auctorem evangelii quarti ad eiusmodi dubitationes et opiniones verae de Christo doctrinae contrarias respexisse, quales decenniis Saeculi I. posterioribus exstitisse novimus,* effata plura ostendunt (praesertim, quae in prologo evangelii Ioannei leguntur), multum diversa ab iis, quae scriptores apologetici Saeculo II. viventes adversariis opposuerunt (Iustinus Martyr, Origenes contra Celsum, Irenaeus, alii.) Cfr. *Kaiseri* commentatt. infra laudd. — *Conspectus eorum, qui authentiam evangelii Ioannei contra dubitationes recentius excitatas vindicarunt:* 1) qui argumenta contra originem evangelii quarti Ioanneam *ante Bretschneiderum* prolata (vd. §. 37. n. 3.) refutarunt: *Schleker* Versuch einer Widerlegung der hauptsächlichsten Einwürfe, die in den neuesten Zeiten gegen die Aechtheit des Evang. Io. gemacht worden sind, mit Vorrede von D. *Ziegler*, Rostok, 1802. 8. (contra *Vogelii* librum §. 37. nota 3. commemoratum, de quo praeterea cfr. *Erlanger* Litteraturzeitung a. 1801. Nr. 105. 106.) *Süskind* Beytrag zur Vertheidigung der Aechtheit des Ev. Io. in promtuario: Magazin für christl. Dogmatik und Moral v. *Flatt*, 9. St. Tübingen, 1803. (contra eundem Vogelium). *Nöldecke*, Versuch, einige Widersprüche, welche im Ev. Io. zu liegen scheinen, exegetisch und psychologisch zu heben, in: *Henckes* Museum für Religionswissenschaft 2. B. 1. St. 1804. (contra

Horstii commentatt.) *Süſskind:* noch etwas zur Vertheidigung der Aechtheit des Ev. Io. und: über einige anscheinende Widersprüche im Ev. Io. in promtuario: Magazin für christl. Dogmatik u. s. w. fortgesetzt v. Süſskind, 11. St. 1804. (contra *Horstium.*) *Glasen* dissert. de Ioanne Apost. evangelii quod eius nomen prae se fert auctore, respectu recentiorum quarundam dubitationum, Helmstad. 1806. 4. *Van Griethuysen* dissert. pro evangelii Io. αυθεντια, Harderovici, 1807. 8. *C. Schmidt* commentatio in: Bibliothek der neuesten theolog. und pädagog. Litteratur von *Schmidt* und *Schwarz* 5. Th. p. 246. ff. (Programma anon.): insunt nonnulla ad authentiam ev. Io. vindicandam spectantia, Tubingae, 1818. 4. (contra *Dieffenbachii* commentationem de interpolationibus ev. Io. insertam diario: *Bertholdt* kritisches Journal der neuesten theol. Litter. 5. B. 1. St.) *Wegscheider* Versuch einer vollständigen Einleitung in das Ev. Io. (§. 36. nota 5. laud.) p. 78. ff. *Eichhorn* Einleit. in das N. T. Vol. II. p. 239. ff. *Bertholdt* historisch-kritische Einleitung etc. Vol. III. p. 1321. ff. 2) qui probabilibus V. *Bretschneideri* (§. 37. nota 3.) praesertim excitati sunt, ut in originem evangelii quarti Ioanneam accuratius inquirerent: a) qui librum Bretschneideri in *novellis litterariis diariisque theologicis* examinaverunt: *Göttinger* gelehrte Anzeigen a. 1820. N. 156. (Eichhorn.) *Neue theologische Annalen* und Nachrichten, September und October, 1820. (Wachler.) *Heidelberger Jahrbücher*, 1821. 1. Hälfte 2. St. (Paulus) *Bengel* neues Archiv für die Theologie 1. B. 1. St. Tübingen, 1822. p. 1. ff. *Röhr* kritische Predigerbibliothek, 1. B. 4. Quartalheft, 1820. *Theologische Quartalschrift* von *Drey*, *Herbst*, *Hirscher* und *Feilmoser*, Tübingen, Jahrgang 1821. 2. und 3. Quartalheft. *Wagnitz* Journal für Prediger, Halle, 1821. B. 62. 1. und 2. St. (oder neues Journal für Pred. B. 42.) *Leipziger* Litteraturz. a. 1821. N. 32. 33. b) qui *singularibus libris et commentationibus* hoc argumentum tractaverunt: Programma (*meum*) examinantur dubitationes quaedam de authentia evangelii Io. nuperrime ex prioribus ev. capitibus excitatae, Ienae, 1820. 4. *Kaiser* comment. de apologeticis evangelii Io. consiliis authentiam eius commonstrantibus tres particulae, Erlangae, 1821. 24. 25. 4. *Sartorius* Abhandl. in diario: *Zimmermann* Monatsschrift für Predigerwissenschaften, 1. B. 5. 6. St. Darmstadt, 1821. *Greiße* Paradoxa über hochwichtige Ge-

genstände des Christenthums, Cassel, 1823. 8. p. 70. ss. *Stein* authentia ev. Io. contra Bretschneideri dubia vindicata, Brandenburgi, 1822. 8. *Eiusdem* Comment. über das Verhältniss des Evangelisten Joh. zu den Synoptikern: *Winer* und *Engelhardt* neues krit. Journal etc. 9. B. 3. St. 1829. *Calmberg* dissert. theol. de antiquissimis patrum pro ev. Io. authentia testimoniis, Hamburgi, 1822. 4. *Olshausen* die Aechtheit der vier kanonischen Evangelien (§. 6. nota 2. laud.) p. 216. ss. (argumenta *externa* defenduntur.) *Hemsen* die Aechtheit der Schriften des Evangelisten Johannes, Schleswig, 1823. 8. *Usteri* comment. critica, in qua evangelium Ioannis genuinum esse ex comparatis quatuor evangeliorum narrationibus de coena ultima et passione Iesu Christi ostenditur, Turici, 1823. 8. (cfr. *Winer* und *Engelhardt* neues krit. Journal der theolog. Litter. 2. B. 3. St. 1824. p. 153. ss. p. 172. ss.) Mich. *Weber* authentia capitis ultimi ev. Io. huiusque ev. totius argumentorum internorum usu vindicata, Halis, 1823. 8. *Crome* probabilia haud probabilia, Widerlegung der von D. Bretschneider gegen die Aechtheit und Glaubwürdigkeit des Evang. und der Briefe Johannis erhobenen Zweifel, eine gekrönte Preisschrift, Leipzig, 1824. 8. *Goldhorn* das Schweigen des Johanneischen Evangelium über den Seelenkampf Jesu in Gethsemane, ein Beitrag zu den Beweisen für die Aechtheit dieses Ev. aus inneren Gründen, in promtuario: Magazin für christliche Prediger v. *Tzschirner*, 1. B. 2. St. 1823. *Heydenreich* über die Behauptung, dass Jesus in den drei synoptischen Evangelien ganz anders erscheine, als in dem Johanneischen, in: *Heydenreich* und *Hüffell* Zeitschrift für Predigerwissenschaften, 1. B. 1. und 2. H. Marburg, 1827. 8. *Rettberg* an Ioannes in exhibenda Iesu natura reliquis canonicis scriptis vere repugnet, Gottingae, 1826. 8. (quocum cfr. *Borger* de constanti et aequabili Iesu Christi indole, doctrina ac docendi ratione, sive: commentationes de evangelio Io. cum Matthaei, Marci, et Lucae evangeliis comparato, pars I. Lugduni Batav. 1816. 8. *Möller* comment. de genii ac indolis evangelii Io. priorumque evangeliorum diversa ratione rite definienda, Vratislaviae, 1816. 4. *Reinecke* de constanti et aequabili Iesu Christi indole et ingenio, doctrina ac docendi ratione, sive commentatio de evangelio Io. cum Matthaei, Marci, et Lucae evangg. conciliato, Hannoverae, 1827. 8.) *Hug* Einleit. in das N.

T. ed. III. 1826. Vol. II. *Guericke* Beyträge zur historisch-krit. Einleitung (§. 23. nota 2. ex. laud.) p. 59. ff. *Fischer* zur Einleitung in die Dogmatik (§. 23. nota 1. laud.) p. 96. ff. Praeterea dubitationibus contra authentiam evangelii quarti prolatis argumenta externa et interna opposuerunt: *Lücke* Commentar über die Schriften des Evangelisten Johannes, 1. Th. Bonn, 1820. p. 38. seqq. *Tholuk* Commentar zu dem Ev. Jo. Hamburg, 1827. p. 20. ff. *Kuinoel* commentar. in libros N. T. historicos Vol. III. ed. III. Lips. 1825. prolegomm. p. 13. seqq. De quaestione historico-critica, qua ratione, quae ceteri evangelistae de die perhibent, quo Iesus ultima vice coenam paschalem celebraverit, cum iis, quae Ioannes c. 12. v. 1. c. 13. in. c. 18, v. 28. c. 19, v. 14. habet, conciliari possint, praeter librum *Cromii* supra laud. cfr. commentatt. *Guerikii*, *Theilii*, *Franckii*: *Winer* und *Engelhardt* neues krit. Journal der theol. Litter. 2. B. 2. St. 1824. 3. B. 3. St. 1825. 5. B. 2. St. 1826. 7. B. 2. St. 1827.

§. 39.

Quo accuratius argumentum et oeconomia evangelii Ioannei commentariis Matthaei, Marci, Lucae comparatur, eo minus probari potest, quod plures contenderunt [1]), Ioannem, quum suum scriberet commentarium, prioribus evangeliis usum esse, eademque vel supplere et emendare, vel etiam confirmare voluisse [2]). Immo, quum ipse testis vitae Servatoris oculatus fuisset, familiaritate interiori Christo coniunctus, *singularem narrationum* de vita, factis, sermonibusque Iesu Christi *delectum* exhibere constituit, *consilio evangelii sui primario accommodatum*, ita quidem, ut, quamvis poneret, evangelium antiquissimum ore propagatum (§. 18.) lectoribus probe cognitum esse, minime tamen in eligendis et componendis iis, quae narraturus esset, ab oeconomia et ambitu illius evangelii penderet [3]).

1) Cfr. *Euseb.* hist. eccl. 3, 24. ex quo patet, iam ante Eusebium fuisse, qui Ioanni consilium tribuerent, cetera evv. supplendi, suaque auctoritate confirmandi. [Verba *Clementis Alex.* apud *Euseb.* h. e. 6, 14. minus recte plures de eadem sententia interpretati sunt.] *Hieron.* catal. scriptt. eccl. c. 9. *Epiphan.* haer. 51, c. 6. *Theod. Mopsvest.* catena in Io. ed. Corder. Antverp. 1630. Inter recentiores: *Michaelis* Einleit. Vol. II. p. 1158. ff. *Storr,* über den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Johannis, Tübingen, 1786. p. 235. ff. (concedit quidem, non fuisse hunc finem totius evang. *primarium.*) D. *Schulze* der schriftstellerische Charakter und Werth des Johannes, Weissenfels und Leipzig, 1803. 8. p. 194. *Hug* Einleit. Vol. II. ed. II. p. 189. sqq.

2) Adversatur huic sententiae a) quod Ioannes non tantum dicta quaedam Christi breviora apud ceteros obvia iisdem fere verbis exposuit (cfr. §. 38. nota 5.), sed etiam narrationes quasdam rerum gestarum, quas ceteri habent, longiores easque *integras* (§. 38. nota 3.) commentario suo *inseruit* [quanquam enim *Io.* 6, 1—15. et 6, 16—21. *nonnulla* desunt, quae *Matth.* in sectionibus parallelis 14, 13—21. 14, 22—33. accurate notavit, obveniunt tamen in iisdem narrationibus, quae Matthaeus quoque eodem modo notaverat]; *omisit* contra plura et dicta et facta Servatoris, haud dubie illis, quae apud omnes quatuor evangelistas leguntur, gravitate aequiparanda (v. e. coenam sacram a Christo institutam). b) quod Ioannes eiusmodi locis, ubi res gesta narratur in ceteris evangeliis obvia, subinde ea profert, quae vel re vera aliquo modo discrepent ab historia in ceteris exposita, vel discrepare videantur [v. c. *Io.* 2, 13—22. quod *Matth.* 21, 12. ff. *Marcus* 11, 15. ff. *Lucas* 19, 45. ff. alio tempore accidisse perhibent, Io. 1, 38—52. coll. *Matth.* 4, 18. ff. *Marc.* 1, 16. ff. *Luc.* 5, 1. ff. *Io.* 18, 28. 19, 31. coll. *Matth.* 26, 17. ff. *Marc.* 14, 12. *Luc.* 22, 7. Patet item ex toto Io. ev. satis perspicue, Servatorem *per plures annos* sua docendi provincia inter homines functum esse, ceteris evangelistis historiam Christi ita persequentibus, ut Christus, nisi Ioannes conferatur, facile existimari possit *per unius tantum anni spatium* palam inter homines docuisse, idemque evangelista Iesum *saepius* perhibet *Hierosolymis* esse versatum, ceteris *unum* tantum *iter* Servatoris commemorantibus, quo *Hierosolymas* brevi ante mortem adierit]. Quodsi Ioannes Matthaeum, Marcum,

Lucam ante oculos habuisse existimetur, quaeramus necesse est, quare noluerit vel *aperte* sua auctoritate corrigere, quae ab illis minus accurate observata esse vidisset, vel, ubi cum illis prorsus consentiret, omnem repugnantiae speciem evitare? c) quod parum recte intelligitur, quomodo factum sit, ut hic evangelista, in singulis rerum narratarum περιστάσεσι commemorandis diligens ac sollicitus, si omnino de evangeliis prioribus supplendis cogitaret, plures eorum narrationes, tam breviter expositas, ut perspicuitati earum supplementis adiuvandae omnino per Ioannem consuli posset, plane intactas reliquerit. d) quod scriptor ipse neque c. 20. v. 31. nec alibi ullo modo indicavit, hoc sibi fuisse propositum. Cfr. *Lampe* in prolegomenis commentarii analytico-exegetici ev. secundum Io. Amstelod. 1724. 26. 3 Volumm. *Semmler* Zusätze zu *Townson* Abhandl. über die vier Evangelien Vol. 1. p. 53. *Haenlein* Handbuch der Einleit. Vol. III. p. 191. ff. ed. II. *Wegscheider* in libro §. 86. nota 5. laud. p. 239. ff. *Luecke* Commentar (§. 38. nota 12. ex. laud.) T. I. p. 186. ff. *Tholuk* Comment. (ib. laud.) p. 11. ff. *Kuinoel* comment. (ib.) p. 77. ff. *De Wette* Einl. p. 184. sq.

8) Consilium evangelii Ioannei primarium, de quo posthac videbimus, ita secum ferebat, ut auctor praeter eas narrationes permultas, quae ambitum evangelii antiquissimi ore traditi (certis quidem limitibus non circumscripti) excederent, nonnullas quoque ex iis, quae evangelio primitivo continerentur, suo insereret commentario. Vd. *Gieseler* in libro saepius laud. Versuch über die Entstehung und die frühesten Schicksale der schriftlichen Evangelien p. 133. ff. — Ceterum vestigia deprehendimus nulla, quae doceant, Ioannem documenta evangelica *scripta* usurpasse, nisi dicamus, Ioannem ipsum, quo tempore cum Christo familiariter versaretur, sermones eius auditos, longiores potissimum, litteris consignasse, earumque schedarum posthac, quum evangelium scriberet, usum fecisse. Vd. *Bertholdt* verosimilia de origine evangelii Io. Erlangae, 1805. *eiusdemque* historisch-kritische Einleitung etc. Vol. III. p. 1302. ff. *Matthaei* Religionsglaube der Apostel Jesu, T. I. Gotting. 1826. p. 141. ff. Displicuit haec coniectura aliis, cfr. *Lücke* Commentar über die Schriften des Joh. T. I. p. 111. ff. itemque *Hemsen* (in libro §. 38. nota 12. ex. laud.) die Authentie der Schriften des Evangelist Io. p. 153. ff. Ad veritatem quidem fidemque explicandam, qua hunc evange-

listam sermones Christi retulisse §. 38. (coll. nota 9. et 10.) diximus, omnino *non* putaverim *necessarium* esse, ut Ioannes, Christo in terra versante, plura litteris mandasse existimetur (cfr. quae §. 18. nota 7. 8. observata sunt). Concedimus tamen, fieri utique *potuisse*, ut hic discipulus Christo familiaris (etsi de evangelio olim litteris consignando tum temporis minime cogitaret) *in suum ipsius usum* chartae mandaret, quae animum eius prae ceteris movissent, dicta et facta Servatoris.

§. 40.

Hoc delectu narrationum singulari instituendo Ioannes id potissimum efficere voluit [1]), ut comprobaret ac defenderet, *Iesum Christum Dei esse filium, sensu perfectissimo sic appellandum, Deo ipsi coniunctissimum, Servatorem totius generis humani divinitus legatum, auctorem vitae novae, vere beatae, in aeternum futurae omnium, quotquot fidem ei habuerint* [2]), eamque persuasionem praesertim eiusmodi *Christianis cultioribus* commendaret, qui, philosophiae illorum temporum placitis inbuti, ad dubitationes varias proni ac proclives, subtiliorem de Christo doctrinam desiderarent [3]). Quanquam auctor haud dubie rectius dicitur de *apologia* veritatis divinae commentario suo exhibenda cogitasse, quam de adversariis [4]) inpugnandis, ita tamen secum ferebat ipsa huius consilii apologetici ratio, ut, nisi diserte hos illosve inpugnaret, opponeret tamen veritatem divinam, docendo narrandoque, eiusmodi placitis perversis, quae satis probabiliter saeculo primo exstitisse, atque Ioanni innotescere potuisse docemus. Exhibuit enim Ioannes diligentia singulari eam Iesu Christi naturae, dignitatis, consilii descriptionem, quae prorsus contradiceret opinionibus studiisque illius *Iudaismi Christiani*, cui tum temporis haud paucos indulsisse epistolae testantur Paulinae [5]). Neque a veri-

tate omnino aberrasse existimandi sunt ii interpretes, quibus singula quaedam evangelii Ioannei effata, locis epistolarum collata, persuaserunt, auctorem subinde a) ad illos *Ioannis baptistae sectatores* respexisse, qui dignitatem Iesu Messianam parum recte cognovissent [6]), b) ad errores *Cerinthi* [7]), naturam *του χριστου* (quem aeonem diceret) ab homine Iesu arbitrarie discernentis, c) ad opiniones *Docetarum* [8]), qui Iesum Christum corpore vero humano indutum fuisse negarent, d) ad alias quasdam dubitationes de dignitate Servatoris eiusve historiae veritate hic illic excitatas [9]). Ceterum evangelista commentarium suum haud dubie eorum maxime *Ethnico-Christianorum*, qui extra Palaestinam versarentur, usui inservire voluit [10]), quanquam non dixerim, eum nullam omnino rationem habuisse Iudaeo-Christianorum [11]). Lectores suos ita alloquitur [12]), ut pateat, auctorem librum suum certis quibusdam coetibus Christianis misisse in Asia minori versantibus.

1) De consilio primario evangelii Ioannei universe hi potissimum scriptores conferendi: *Overbeck* neue Versuche über das Evangelium Johannis, Gera, 1784. *Storr* über den Zweck der evangelischen Geschichte u. s. w. (vd. §. 39. nota 1.) *Herder* von Gottes Sohn der Welt Heiland nach Johannes Evangelium, Riga, 1797. (cfr. *Gabler* neuestes theolog. Journal 9. B. 4. St. 1802. p. 348. ss.) *Kleuker* Briefe an eine christliche Freundin über die Herderische Schrift von Gottes Sohn u. s. w. Münster und Leipzig, 1802. *Ziegler* Bemerkungen über das Ev. Joh. in diario: *Gabler* neuestes theolog. Journal, 9. B. 1. St. *Russwurm* in: *Augusti* neue theol. Blätter, 3. B. 3. St. *Paulus* introductionis in N. T. capita selectiora p. 153. *Wegscheider* in l. §. 36. nota 5. laud. p. 202. ss. *Kaiser* commentatt. de apologeticis ev. Io. consiliis etc. (§. 38. nota 12.) *Heydenreich* über die Behauptung, dass Iesus in den drey synoptischen Evangelien u. s. w. (§. 38. nota 12.) pluribus locis. *Hemsen* die Aechtheit

der Schriften des Evangelist Jo. (§. 38. nota 12.) p. 137. ff. *Kuinoel* comment. in libros N. T. historicos Vol. III. ed. III. prolegg. p. 61. ff. *Lücke* Commentar über die Schriften des Evangel. Jo. Vol. I. p. 215. ff. *Lange:* die Juden-Christen, Ebioniten, und Nicolaiten der apostolischen Zeit, Leipzig, 1828. p. 109. ff. Praeterea hac de re differuerunt *Michaelis* Einleit. Vol. II. p. 1158. ff. *Eichhorn* Einleit. Vol. II. p. 124. ff. p. 143. ff. *Hug* Einl. ed. II. T. II. p. 176. ff. *De Wette* Einl. p. 187. ff.

2) Praeeuntem habemus ipsum evangelii auctorem, qui partim c. 20. v. 31. paucis consilii sui rationem reddidit, partim pluribus evangelii locis suam de Iesu Christo persuasionem ita eloquutus est, atque eiusmodi observationes addidit (1, 1—18. 2, 11. 21. sq. 4, 54. 6, 6. 7, 39. 8, 20. 11, 51. sq. 12, 37. sqq.), ceteris evangelistis fere in solo *narrandi* negotio versantibus, ut, quanquam dubitari non possit, ceteros quoque narrando *doctrinae* de Christo verae adiuvandae inservire voluisse, (vd. §. 21. §. 34.), evangelium tamen Ioanneum prae ceteris *themati* (quod in §. indicavimus) *dogmatico* et illustrando et comprobando inhaesisse recte dicamus. Cuius sententiae veritas ex tota patet evangelii oeconomia rerumque traditarum delectu. Huc pertinent, quae §. 38. nota 2. nota 4. observata sunt. Cfr. *Hemsen* in 1. nota 1. laud. p. 141. itemque *Lücke* l. l. p. 139. ff.

3) Proinde Ioannes in eo elaboravit, ut accuratius ostenderet, ipsis potissimum, quae hoc spectarent, Iesu Christi effatis adferendis, quo sensu Iesus esset filius Dei; ut sedulo colligeret, quae Iesum eiusmodi Messia, qualem Iudaei exspectarent, *maiorem* patefacerent, 3, 16. c. 10. 11, 52. sq. coll. c. 4. (8, 48.) 12, 20. ff. et alibi; ut Servatorem *saepius* exhiberet cum eiusmodi Iudaeis differentem, qui *doctrina* quadam essent inbuti; ut narrando patefaceret, quomodo factum sit, ut multi Iudaeorum fidem ei denegarent, (v. c. 6, 61. ff. 7, 7. 12. ff. 41. sqq. 8, 34—59. 10, 33. ff. 12, 37. ff.) et, qua de causa Iesus, quanquam esset Dei filius, mortem tamen, quam ipse praedixisset, in cruce subire debuerit (v. c. 5, 16, 6, 51. 7, 30. 8, 37. 59. 10, 17. sq. 31. ff. 11, 49. ff. 57. 12, 23. s.); ut philosophematis του λογου usum faceret, doctrinam de praeexistentia Christi eiusque natura et dignitate summa lectoribus evangelii sui illustraturus et commendaturus. Vd.

Giefeler in libro §. 39. nota 3. laud. *Heydenreich und Hüffell* Zeitschrift (vd. §. 38. nota 12.) 1. B. 2. H. p. 28. ff.

4) Etenim, si finis *primarius* evangelii Iohannei fuisset *polemicus*, haud dubie auctor minime acquievisset in veritate divina illustranda atque vindicanda, sed placita adversariorum aperte notavisset, et eiusmodi argumentatione, quam vulgo *directam* dicunt, oppugnavisset.

5) Inter veteres quidem *Epiphanius* haer. 51, c. 2. c. 6. c. 12. c. 18. atque *Hieronymus* praef. in Matth. et catal. scriptorum eccl. c. 9. adfirmarunt, Ioannem et Cerinthianos et *Ebionaeos* (§. 6. nota 2) inpugnavisse, quippe qui Iesum Christum hominem merum fuisse dicerent, quanquam πνεύματι ἁγίῳ prae ceteris instructum (*Euseb.* hist. eccl. 3, 27.) Etsi nequeat demonstrari, evangelistam, quum λογον, ὁς σαρξ εγενετο praedicaret, rationem habuisse *huius familiae* (ad *Palaestinam* et *Syriam* pertinentis), universe tamen recte dicitur veritatem evangelicam iis Iudaeo-Christianis opposuisse, qui partim bona terrestria potius, quam coelestia in regno Messiano exspectarent, partim Messiam sibi potius, quam aliis gentibus apparuisse existimarent, partim legem Mosaicam cerimonialem etiamnum strenue observandam Christianis omnibus iniungerent. His enim plane contradicunt, quaecunque in evangelio Ioanneo praecipua perspicuitate de Christo, Servatore totius mundi (vd. §. 38. nota 4. c.), de consilio legationis Christi, hominibus *animi vitam* verissimam, beatam, eamque sempiternam largiendi (Io. 1, 12. c. 3. c. 4, v. 10—24. c. 5, v. 25. ff. c. 6, v. 32. ff. c. 8, v. 31. ff. c. 10, v. 14. ff. pluribusque locis c. 14— c. 17.) prorsus alieno ab eiusmodi regno terrestri condendo, quale Iudaei exspectarent (Io. 6, 15. 18, 36. ff.), denique de legis Mosaicae institutis religioni Christianae posthabendis (Io. 1, 17. 4, 19. ff. 5, 9. ff. 16. 6, 32. ff.) perhibentur. Cfr. potissimum *Lange* in libro nota 1. laud. p. 147. ff.

6) Cognoscimus quippe ex pluribus locis N. F. a) quo tempore Ioannes baptista doceret, non defuisse inter Iudaeos, qui coniicerent, Ioannem ipsum esse τον χριστον (*Luc.* 3, 15.) b) plures eorum, qui per discipulos Ioannis baptistae immersione sacra lustrati fuissent, quanquam animum probe attendissent ad Messiam proxime venturum, ignorasse tamen *Iesum* esse τον χριστον exspectatum, sive omnino parum cognita habuerint, sive parum recte intelle-

xerint ea Ioannis baptistae effata, quae dignitatem *Iesu* Messianam praedicaverant. *Acta* App. 13, 25. 18, 25. 19, 1—5. Commemorantur item eiusmodi Ioannis discipuli, qui baptistam *Christum* appellaverint apud *Clementem Rom.* recognitt. l. 1. c. 60. (qui liber saeculo certe III. ineunte exstitit), *Iustinum Mart.* dial. cum Tryphone p. 307. ed. Colon. *Vigilium Tapsensem* (Saec. V.) contra Arrium l. 1. c. 20. [Utrum, quae etiamnum in Oriente viget, secta *Sabaeorum*, s. Zabaeorum s. Mendaeorum, Ioannem baptistam Apostolum, patrem, lucis auctorem praedicantium, religioni vero Christianae prorsus adversantium, illis baptistae discipulis nexu interiori cohaereat, an aliunde repetenda sit, dissentiunt viri docti. Cfr. inprimis *Norberg* comment. de religione et lingua Sabaeorum, in commentatt. societatis regiae Gotting. a 1780. Vol. 3. *Eiusdem* Codex Nasaraeus syriace transcriptus latineque redditus, 3 Volumm. Lund. 1815. 16. Fr. *Walch* diatribe de Sabaeis in commentatt. societatis regiae Gotting. a. 1781. *Stäudlin* Beyträge zur Philosophie und Geschichte der Religion T. 2. p. 289. ff. T. 3. p. 1. ff. T. 5. p. 1. 208. ff. *Bruns* commentatt. insertae *Eichhornii* repertorio P. XVII. et *Pauli* memorabilibus P. III. *Lorsbach* Museum für biblische und oriental. Litter. Vol. I. part. I.] Videntur omnino, quo tempore Ioannes evangelista commentarium suum consignabat, illi, baptismo Ioanneo lustrati, qui baptistam ipsum χριστον existimarent, numero increvisse; siquidem plura evangelii effata rationem veram, quae Ioannem baptistam inter et Iesum Christum intercesserit, tam diserte explicuerunt, ut pateat, evangelistam *de illo errore* corrigendo his locis cogitavisse. Io. 1, 7. 8. 15. 19—34. 46. 3, 26. ff. 5, 33. ff. 10, 41. sq. Cfr. *Overbeck*, *Storr*, *Ziegler*, *Rufswurm*, *Michaelis*, *Hug* in libris nota 1. laudd. itemque *Herder* Erläuterungen zum N. T. p. 11. idem: von Gottes Sohn der Welt Heiland etc. p. 24. ff. *Semmler* paraphr. ev. Io. p. 11. *Kaiser* comment. II. de apologeticis ev. Io. consiliis etc. p. 14. ff. [De veritate quidem coniecturae V. Kaiseri, evangelistam insuper ad lotiones quotidianas et discipulorum Ioannis baptistae et Essenorum aliquoties respexisse, iisque mortem Iesu Christi expiatoriam opposuisse, propterea dubitaverim, quod neque certo exploratum habemus, sectatores quoque Ioannis bapt. eiusmodi lustrationes quotidianas celebrasse, neque evangelista c. I. diserte professus est, illud, quod v. 29. v. 36. legitur,

baptistae effatum ea potissimum hora pronuntiatum esse, qua victima vespertina in templo offerri soleret.] Qui hanc sententiam omnino reiecerunt (v. c. *Paulus*, *Eichhorn*, *Kuinoel* in libris nota 1. laudd. *Lindemann* in *Eichhornii* bibliotheca litteraturae bibl. Vol. X. *Tittmann* in l. meletemata sacra in evang. Io. Lips. 1816. prolegg. p. 16. ss.) hoc tantum, opinor, recte probaverunt, ad oppugnandos illos Ioannis bapt. sectatores referri non posse *finem* totius evangelii *primarium*.

7) *Cerinthum* eiusque sectatores inter eos, quibus evangelium quartum oppositum fuerit, commemorarunt *Epiphanius* (loco nota 5. laud.) *Irenaeus* adv. haerr. l. 3. c. 11. in. *Hieronymus* locis nota 5. laudd. [*Theophylactus* prooem. comment. in Io. universe dicit, Ioannem eos refutasse, qui Christum hominem merum existimaverint.) Defendunt hanc sententiam *Oeder* in tract. de scopo evangelii Io. haeresi Cerinthi oppositi, Francof. 1732. 8. *Oporinus* in clavi evangelii Io. historico-ecclesiastica. Gottingae, 1743. 4. *Semmler* paraphrasis et notae in ev. Io. Hal. 1786. 2 Voll. *Michaelis*, *Wegscheider*, *Storr*, *Hug*, *Haiser* comment. II. (vd. nota 1.) Argumenta vel historica vel exegetica opposuerunt: *Lampe* comment. analytico-exeget. ev. sec. Io. T. I. p. 172. ss. *Tittmann* in libro nota 6. laud. (cfr. eiusd. commentatio de vestigiis Gnosticorum in N. T. frustra quaesitis, in eius opusculis theoll. Lips. 1803.) *Herder* von Gottes Sohn etc. p. 81. sq. *Lücke* Comment. Vol. I. p. 227 ss. *Paulus*, *Eichhorn*, *Kuinoel* (nota 1.) De hoc Cerintho, Iudaeo-Christiano, olim in Palaestina, posthac in Egypto versante, perhibent vett. eum personam *Iesu* sic voluisse a *Christo* distingui, ut Iesum quidem hominem diceret modo vulgari prognatum, Iosephi et Mariae filiam verum, ceteris omnibus sapientia pariter atque virtute praestantem, Christum vero doceret aeonem fuisse (Spiritum quendam coelestem, non ipsum quidem principem, αιωνα μονογενην, nec filium eius, λογον), qui, ex Deo summo profectus, volente Deo, homini Iesu, quum lotione sacra lustraretur, se coniungeret, atque insignem per eum efficaciam exsereret inter homines, usque dum, quo tempore Iesus mortem in cruce subiret, ab eo discederet, rediturus εἰς τὸ πλήρωμα. Vd. *Irenaeus* adv. haerr. l. 1. c. 26. l. 3. c. 3. c. 11. c. 16. appendix ad *Tertull.* de praescriptt. haerett. c. 48. *Epiphan.* haer. XXVIII. *Eusebius* hist. eccles. 3, 28. 7, 25. *Theodoretus* de fabulis haerett.

l. 2. c. 3. Quanquam non poteſt cauſa, quare Ioannes evangelium ſuum conſignaverit, *primaria* ex his Cerinthi placitis repeti (niſi permultis locis veſtigia huius conſilii interpretando inferre volueris); videmus tamen evangeliſtam cap. I. in illuſtranda eiusmodi ſententia, quae illi Cerinthianae prorſus eſſet oppoſita (λόγον, ὅς ἐν ἀρχῇ ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν, τὸν μονογενῆν, v. 18. *ſtatim a natalibus inde* Ieſu homini fuiſſe coniunctum) tam ſtudioſe elaborantem, *ut hanc potiſſimum rationem naturae et dignitatis Ieſu Chriſti illuſtrandae omnino Cerinthi cauſa uſurpaſſe recte exiſtimetur.* Cfr. locus claſſicus *epiſtolae* I. *Io.* c. 2. v. 22. Placita autem Cerinthi haud incognita fuiſſe coetibus Aſiaticis, ipſumque Cerinthum Ioanni innotuiſſe teſtantur *Iren.* adv. haerr. l. 3. c. 3. *Euſeb.* hiſt. eccl. 4, 14. Nec argumentis utuntur idoneis, qui negant, Cerinthum ante ſaeculum II. vixiſſe. Vd. *Storrii* comment. in *Eichhornii* repertorio litteraturae bibl. et orient. T. XIV. Erronea eſſe, quae Irenaeus aliique ſcriptorum vett. de gnoſticiſmo Cerinthi perhibuerint (quod nuperrime *Lange* in libro nota 1. laudato, erudite quidem, p. 158. ſſ. probare ſtuduit, Ioannem evangelium ſuum non gnoſticiſmo Cerinthi, ſed eiusdem Iudaiſmo Chriſtiano, Ebionaeo, oppoſuiſſe exiſtimans) nolim ex eo colligere, quod idem Cerinthus, quem illi eccleſiae doctores tanquam Iudaeo-Chriſtianum deſcripſerint, non potuerit placitis gnoſticis favere. Fieri utique potuit, ut, qui olim Iudaiſmo Chriſtiano fuiſſet addictus, quum poſthac ad γνῶσιν quandam tranſiiſſet, nonnulla placitorum antiquiorum retineret, eademque γνώσει recens probatae ſuo modo conciliaret. Neque ſaeculum I. Chriſtianum gnoſticiſmi omnino expers fuiſſe dixerim, etſi, quae dicuntur, varia Gnoſticorum *ſyſtemata* ſerius exſtiterint. Exemplo ſunt Docetae (de quibus poſthac dicetur.) — Quo minus Ioannem contra *Valentinianos* et *Marcionem* ſcripſiſſe dicamus (cum *Philaſtrio* haer. 45.) temporis rationes prohibent. Nec huius erroris auctor exiſtimandus eſt *Irenaeus*, quippe qui contra haer. l. 3. c. 11. hoc tantum docuit, Valentinianos ex eodem Ioannis evangelio, cuius effatis dogmata ſua ſuperſtruere ſoleant, egregie refutari. — *Nicolaitas* quoque inpugnaſſe Ioannem *Irenaeus* perhibet adv. haerr. l. 3. c. 11. Sic dicebantur, praeeunte auctore *Apocal.* c. 2. v. 6. 14. 15. 20. eiusmodi doctores vani, in coetibus Chriſtianorum aſiaticis verſantes, qui licitum pronuntiabant, car-

nem comedere victimarum idolis oblatarum, et scortationi indulgere. Quae quidem appellatio (ex vocibus νίκη et λαὸς deducta) inserviebat vertendo vocabulo *Bileamitae* (ex substant. עַם: populus, et verbo בָּלַע: vicit, sive: absorpsit, perdidit, vel בָּעַל: inperavit, dominatus est, derivato) i. q. *homines Bileamo pseudoprophetae* (Numerr. c. 23. seqq.) *similes* (vd. Apoc. 2, 14. ep. Iudae v. 11. 2 Petri 2, 15.) *qui populum fraudibus suis vincunt* (ad suas partes trahunt), s. *perdunt*, s. *qui inperium exercent in homines rudes et incultos*. Vid. *Heinrichs:* N. T. graece perpet. adnot. illustratum ed. Kopp. Vol. X. partic. I. Göttingae, 1818. p. 146. ss. *Ewald* commentar. in Apocal. Io. Lips. 1828. p. 112. sq. Parum recte *Irenaeus* adv. haerr. 1, 27. 3, 11. in. *Tertull.* de praescriptt. haerett. c. 46. *Epiphan.* haer. XXV. *Augustinus* de haeress. c. 5. Nicolaitas sectatores Nicolai cuiusdam fuisse existimant, eosque gnosticis adnumerant. Neque enim probabile est, ab illo, cuius mentio honorifica *Actt.* 6, 5. facta est, diacono Nicolao eiusmodi familiam exstitisse, nec ulla gnosticismi Nicolaitarum vestigia vel locis Apocal. laudd. vel in aliis antiquioris aevi Christ. monumentis deprehenduntur. Immo, quum pluribus Gnosticorum, qui Saec. II. prodierunt, eadem vitio verterentur, quae auctor apocalypseos de Nicolaitis perhibuit, factum inde, ut Nicolaitae illi serius inter familias gnosticorum referrentur. Verissime hoc intellexit *Lange* in libro supra laud. p. 106. ss. Nolim vero cum auctore Doctiss. contendere, Ioannem in evangelio et epistolis illorum Nicolaitarum (sive, qua voce hos aliosque iis similes Langius appellari voluit, Indifferentistarum) rationem habuisse. Quaecunque enim loca epistolarum Io. illius sententiae probandae causa adferuntur, partim omnino non diserte *doctores* vanos depingunt (1. ep. 2, 4. 6. 9. 15. 16. 3, 4. 6. 7.) partim facilius intelliguntur de Cerintho atque Docetis (1. ep. 2, 22. 2. ep. v. 7.) Neque contendere ausim, quos auctor apocal. Nicolaitas appellaverit, *prorsus eosdem* esse, quibus in ep. Iudae et 2. Petri ep. c. 2. alia quoque plura vitio vertantur. [Ceterum de Nicolaitis cfr. *Schulthess* neueste theolog. Annalen und Nachrichten, Iuly, 1828. p. 270. ss.]

8) De *Docetis* evangelio Ioanneo inpugnatis cogitaverunt *Semmler* paraphr. ad Io. 1, 14. *Eckermann* Erklärung aller dunkeln Stellen des N. T. Vol. II. p. 5. ss. „*Ber*-

tholdt Einleitung etc. Vol. III. p. 1318. *Schmidt* Bibliothek für biblische Kritik und Exegese Vol. I. p. 73. Ag. *Niemeyer* comment. de Docetis, Halae, 1823. 4. (vestigia certe Docetismi in *epistolis* Ioanneis deprehendit p. 29. ff.) *Negaverunt Hug* Einl. Vol. II. p. 180. ed. II. *Kuinoël* comment. in ev. Io. prolegg. p. 73. ff. ed. III. *Kaiser* comment. II. de apologeticis ev. Io. consiliis etc. p. 12. ff. *De Wette* Einl. p. 188. sq. Exstitisse omnino Docetas (de quorum dogmatibus cfr. *Clemens Alex.* stromm. l. 7. p. 765. ed. Sylb. *Iren.* adv. haerr. l. 1. c. 1. *Theodoretus* epist. 145. ad monachos Constantinopoll. idemque de fabulis haerett. l. 5. c. 11. *Euseb.* hist. eccles. 6, 12.) *tempore apostolico* loca docent *Ignatii* ep. ad Smyrn. c. 2. ad Trallianos c. 10. eiusdemque ep. interpolata ad Tarsenses c. 2. ad Antiochenos c. 5. ad Heronem c. 2. ad Mariam Neapolit. c. 5. Cfr. *Niemeyer* comment. laud. p. 6. ff. Itaque quum nonnulla *epistolarum* Ioannis effata, 1. ep. 1, 1. (ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν — ἐψηλάφησαν), 4, 2. ff. (πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν ἰησοῦν χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα etc.) 2. ep. v. 7. (οἱ μὴ ὁμολογοῦντες ἰησοῦν χριστὸν ἐρχόμενον ἐν σαρκί) manifesto Docetis sint opposita, satis probabiliter idem scriptor in *evang.* 1, 14. (καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ) itemque iis sedulo observandis, quae 19, 34. 20, 20. 27. leguntur, ad homines illos respexisse existimatur.

9) Nonnulla Christi σημεῖα tam copiose enarrantur, (quanquam Ioannes parcus est in miraculis enarrandis), additis insuper, quae adversarii eius posthac dixerint et fecerint, ut quivis lector intelligat, ne ipsos quidem hostes Servatoris, rem prorsus insignem ab eo gestam esse, negare potuisse. c. 9, v. 13. ff. c. 11. inprimis v. 47. ff. Itemque dubitationibus, quae de veritate mortis et resurrectionis Iesu Christi hic illic excitatae fuerint, refutandis egregie inserviunt, quae 19, 34. (addita veritatis huius testimonii adfirmatione gravissima v. 35.) et 20, 24. ff. leguntur.

10) Historia docet, eiusmodi Christianos *cultiores*, quales Ioannem in evangelio consignando praecipue ante oculos habuisse vidimus (nota 3.), magis extra Palaestinam, inter Graecos, quam inter Palaestinenses fuisse. Intelligentiae ac desideriis *Ethnico-Christianorum* accommodatissima fuit ea, quam Ioannes prae ceteris usurpavit,

ratio dignitatem consiliumque legationis Iesu Christi, Dei filii, Servatoris totius mundi, commentario suo demonstrandi. Cfr. §. 38. nota 2. nota 4. a. (quae uncis inclusa sunt). c. f. g. Vd. *Bettberg* in comment. §. 38. nota 12. ex. laud. p. 15. sq. p. 80. ff. 86. sq. 103—110. Accedit, quod loca quidem V. T. rarius adferuntur, interdum vero observationes adduntur, vel ritus moresque Iudaeorum, vel situm locorum, vel voces hebraicas s. syro-chaldaicas illustrantes, 1, 39. 42. sq. 2, 6. 13. 4, 4. 5. 9. 25. 5, 1. 2. 6; 4. 10, 22. 18, 28. 19, 13. 17. 31. 40. 42. [Qui Ioannem Iudaeo-Christianis tantum scripsisse existimant, eiusmodi notas illustrantes non auctori ev. sed editori tribui volunt. Cfr. *Ammon* comment. docetur, Ioannem evangelii auctorem ab editore huius libri fuisse diversum, Erl. 1811. 4.]

11) Cfr. c. 3. et alia loca, ubi Iesus contra Iudaeos disputasse perhibetur, et, quae supra nota 5. observata sunt.

12) C. 19, v. 35. C. 20, v. 31. Vd. *Lange* in libro nota 1. laud. p. 132. 135.

§. 41.

Ex eo, quod Ioanni propositum fuit (§. 40.), consilio primario, ipsiusque scriptoris animi ingeniique indole facile explicantur, quae huic evangelio praecipue competunt, a) in universa huius commentarii indole dogmatica [1]), et singulari, quem Ioannes fecit, sermonum, factorum, fatorumque Servatoris delectu [2]), b) in ratione narrandi [3]), et pragmatismo, quem dicunt, historico [4]), c) in toto elocutionis genere [5]) posita.

1) Vd. §. 40. nota 2. §. 38. nota 4. *a*. (quae uncis inclusa sunt.) *c*. *Lücke* Commentar etc. Vol. I p. 54. ff.

2) Cfr. §. 38. nota 3. nota 4. *b*, *g*, *h*. Videmus insuper hunc evangelistam ex iis, quae narrare constituerat, factis Iesu Christi ea potissimum eligentem, quae cum *sermone* quodam nexu interiori cohaererent. c. 4. 5. 6. 13.

3) Qua de re tria potissimum observanda sunt, a) totius narrationis oeconomiam *subesse* illi, de quo supra dixi-

mus, consilio scriptoris dogmatico-apologetico, ita ut, quae huic prae ceteris inserviant, praecipua diligentia illustrentur, b) narrationem Ioanneam singularem habere evidentiam (§. 38. nota 12), c) Ioannem prae ceteris ordini temporum servando studuisse. Universe enim narrationem suam secundum itinera disposuit, quibus Servator Hierosolymas adiit. Cfr. loca singula, quae tempori notando inserviunt: 1, 29. 35. 40. 44. 2, 1. 13. 3, 24. 4, 6. 6, 4. 12, 1. 13, 1. 30. 19, 14. 31. 20, 1. 19. 26.

4) a) lubenter observationes addit, quae vel conditioni hominum singulorum, de quibus sermo est, inserviant illustrandae, vel, qua mente, quo consilio aliquid dixerint aut fecerint, explicent, 1, 45. 4, 2. 6, 5. sq. 71. 11, 2. 13. 12, 4. 6. 18, 2. [De locis, ubi verba Christi ipse interpretatur, vd. §. 38. nota 10.] b) attentos reddit lectores ad gubernationem providentiae divinae, itemque ad eximiam vim virtutemque Iesu Christi, ex eius dictis factisque elucescentem (2, 11. 4, 54. 6, 23. 7, 30. 8, 20. 12, 37. ss. 18, 9. 32. 19, 24. 28. 36. sq. praesertim ad cognitionem prorsus singularem, hominum maxime, animique humani, qua Iesus inbutus fuerit, 1, 49. ss. 2, 24. ss. 4, 17. ss. 6, 61. 64. 70. 13, 1. 11. 18. sq. 21. ss. 16, 29. ss. 21, 17. sq.) c) saepius docet, quo tempore discipuli Servatoris aliquid rectius intelligere coeperint, 2, 22 12, 16. 13, 28. sq. 15, 15. 16, 17. sq. 25. 29. d) accuratius observare solet, quam efficaciam in animos hominum dicta et facta Servatoris habuerint, 2, 11. 17. 22. 4, 27. 6, 60. 66. 7, 46. 8, 59. quam diverse de eo iudicaverint et disceptaverint, 7, 5. 11. ss. 15. 25. ss. 31. 48. ss. 9, 16. ss. 10, 19. ss. 11, 36. sq. 56. qua ratione Christus certamini cum adversariis subeundo, quod ipsius vitam magis magisque in discrimen adduceret, inplicitus fuerit, 5, 10. ss. 18. 6, 41. ss. 7, 30. 32. (coll. v. 48. sq. 52.) 8, 48. ss. 9, 18. ss. 12, 10. 11. 19. — Ceterum, quae singularis fuit Iesu Christi docendi et loquendi ratio, utrum perfectius apud Ioannem adumbrata fuerit, an apud ceteros evangelistas, diversimode iudicarunt interpretes, plerisque Ioannem praeferentibus (cfr. praeter alios *Wegscheider* Versuch einer Einleitung etc. p. 285. ff. *Stronck* specimen de doctrina et dictione Ioannis Apostoli ad Iesu magistri doctrinam dictionemque exacte composita. Traiecti ad Rhenum, 1797. *Ottmar* Beiträge zur histor. Interpretation des N. T. in promtuario: *Hencke* neues Magazin für Religionsphilosophie u. s. w. 4. B. 1. St.) aliis vel palmam ceteris evv. dan-

tibus, vel eos certe interpretes recte inprobantibus, qui, dum evangelio Ioanneo virtutes suas vindicant, de ceteris iniquius iudicare soleant. Vid. *Schuster* über die Vorliebe zum Ev. Johannis, in diario *Gableri:* neuestes theol. Journal, 10. B. 1. St. 1802. Provocamus ad ea, quae supra §. 38. nota 6. observata sunt.

5) Ioannes *Paulo* fuit simillimus, dexteritate quidem mentem ad *ideas* attollendi, Phantasiae vigore, facultate acriter sentiendi. Cuius similitudinis vestigia elocutio et evangelii et epistolarum Ioannis exhibet luculentissima. Utriusque vero dicendi genus ab altero duplici modo differre videmus. a) quanquam Ioannes et tropos habet, et alia huius generis σχηματα, nec alienus est ab usu eiusdem vocabuli *eodem loco duplici sensu* positi (cuius rei exempla in ipsis Christi orationibus apud Ioannem exhibitis obveniunt, 3, 8. 4, 10. 14. 35—38. 6, 32. 7, 37. 11, 11.), minus tamen frequenter, quam Paulus, tropice loquitur, neque eandem usurpat troporum similiumque σχηματων *varietatem*. b) enuntiationes habet breviores, Paulo saepenumero longam sententiarum seriem periodis (haud raro difficilius structis) complectente. Inde fit, ut primo quidem obtutu elocutio Ioannea intellectu admodum facilis videatur, difficilior vero appareat, ubi ad voces et locutiones singulas (praesertim, quae notiones universas et ideas exprimunt, atque paucis plura eademque gravissima complectuntur, et *cogitationi* et *sensui* lectorum oblata) *prorsus* intelligendas animum applicueris. Ceterum apud Ioannem eadem sententia frequenter iteratur, negando potissimum et adfirmando, sive antithesibus usurpandis, v. c. ev. 1, 3. 8. 17. 20. 3, 15. 5, 24. 31. sq. 6, 53. sq. 12, 49. 50. al. 1. ep. 1, 1. 2. 3. 2, 7. 8. 11. 22. sq. 3, 6. 9. al. Sermo *graecus*, quo Ioannes usus est, quanquam haud paucas exhibet voces bene graecas, quae praeter Ioannem in scriptis N. T. non obveniant, ubertate tamen et varietate vocabulorum formularumque minus instructus est, quam sermo Pauli, Lucae, Iacobi, ad indolem linguae hebraicae s. syrochaldaicae multo potius, quam ad elegantiam graecitatis antiquioris conformatus, praesertim, quod usum attinet particularum, praepositionum, et coniunctionum, verborum tempora et modos (quanquam cavendum, ne interpretando perperam inferamus, quae cum loquendi usu graeco pugnaverint, id quod e. c. faciunt, qui praeteritum apud Ioannem saepius pro futuro positum opinan-

tur), significationes vocum quarundam et locutionum, constructiones, membrorumque parallelismum. In iis, quae elocutionem Ioanneam prae ceteris distinguunt, *vocibus formulisque singulis* primum quidem observandae sunt, *quae ideas et notiones dogmaticas atque morales exprimunt:* a) quae Ioanni plane propriae sunt, ἀλήθειαν ποιεῖν, s. ἐν ἀληθείᾳ περιπατεῖν, ἁμαρτίαν ἔχειν, ἀνάστασις ζωῆς opposita ἀναστάσει κρίσεως, ἀντίχριστος, ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου (in aliis scriptis N. F. ἄρχων τοῦ αἰῶνος τούτου dicitur), γεννᾶσθαι s. γεγεννημένον εἶναι ἐκ θεοῦ, s. ἄνωθεν s. ἐκ πνεύματος, εἶναι ἐκ τῶν ἄνω s. ἐκ τῶν κάτω s. ἐκ τοῦ κόσμου, ἐξέρχεσθαι s. ἐξεληλυθέναι ἐκ τοῦ θεοῦ s. ἀπὸ s. παρὰ τοῦ θεοῦ (de Iesu Christi origine et legatione divina), ἐληλυθέναι ἐν σαρκὶ, ἐπιθυμίας ποιεῖν, ἔχειν πατέρα s. υἱὸν, ἐσχάτη ἡμέρα (numero *singulari*) et ἐσχάτη ὥρα, ἱλασμὸς, λόγος (sensu prorsus singulari de Christo usurpatum), μονογενὴς (de Christo), μεταβαίνειν (sensu quidem *sublimiori* de transitu in conditionem praestantiorem), παράκλητος, τηρεῖν τὸν λόγον s. τοὺς λόγους (quanquam alibi etiam in N. F. τηρεῖν dicitur τὸν νόμον s. τὰς ἐντολὰς) ψυχὴν τιθέναι (de morte Christi, apud alios ψυχὴν παραδιδόναι s. διδόναι). b) quae Ioanni magis sunt familiares, quam ceteris N. F. scriptoribus: ἀληθινός, ζωὴ, ἔρχεσθαι s. ἐληλυθέναι εἰς τὸν κόσμον (de Christo), καθαρίζειν ἀπὸ τῆς ἀδικίας s. ἁμαρτίας, φῶς. Rarius, quod ceteri frequenter habent, βασιλεία τοῦ θεοῦ s. χριστοῦ occurrit. Nec desunt *alius generis* voces phrasesque Ioanni prae ceteris dilectae a) quas *ille solus* habet, pluribus quidem locis evangelii et epistolarum: ἀγγελία, ἀκούειν τινος (hoc sensu: *preces cuiusdam exaudire*), ἀντλεῖν, ἀνθρακία, ἀνθρωποκτόνος, ἀποσυνάγωγος, ἀπέρχεσθαι εἰς τὰ ὀπίσω, ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν (apud ceteros evangelistas simplex tantum ἀμὴν in hac locutione usurpatur), γλωσσόκομον, διαζωννύναι, διδόναι τι ἐν τῇ χειρὶ τινος, ἔρχεται ὥρα (interdum etiam sequente ἵνα et coniunctivo verbi), ἔχειν cum accusativo de mensura temporis, κράζειν *de Christo palam docente*, λαλία, λίτρα, μαρτυρίαν λαμβάνειν, κατ᾽ ὄνομα, ὄψις (apud ceteros πρόσωπον, quod in ev. et epistolis Io. nunquam occurrit, quanquam apocalypsis hac voce utitur), σφραγίζειν, συνεισέρχεσθαι τινι, στόμα πρὸς στόμα λαλεῖν, ὕδωρ ζῶν, ἐκ τούτου (suppl. χρόνου.) b) quae Ioanni *magis sunt familiares*, quam ceteris: ἔχειν τι ἐν ἑαυτῷ (cum emphasi dictum), ἴδε (rarius ἰδοὺ), κόσμος, λαμβάνειν *pro* παραλαμβάνειν (quod posterius raro apud Io. legitur),

μένειν de eo, quod in animo cuiusdam permanet (v. o. doctrina divina) f. *de animo, qui assidue in re quadam permanet* f. *constanter alicui est coniunctus*, μέντοι, ὄχλος (*pluralem* ὄχλοι, quem ceteri pariter usurpant, atque singularem, *semel* tantum adhibet Io. ev. 7, 12.), παροιμία pro παραβολή, quod Io. nunquam habet (παροιμια praeterea apud solum Petrum ep. II. 2, 22. legitur), πιάζειν. Coniunctio δὲ, itemque copula τε Ioanni minus est sollennis, quam ceteris N. F. auctoribus (id quod praesertim in epistolis animadvertitur, quippe quae saepenumero *opposita sine* voc. δε coniungunt.) Amat vero οὖν et καὶ. Temporis praesentis usus in narrando frequens. Verbum λέγει de Christo non adhibetur, ubi *prorsus nova oratio* incipit. — Ceterum aliae multae exstant voces phrasesque in ceteris N. F. scriptis desideratae, quae apud ipsum Ioannem *semel* tantum duobusve locis obveniant. — De elocutione Ioannea totiusque evangelii indole singulari praesertim cfr. *Lampe* prolegomena comment. in Io. T. I. p. 166. ff. *Herder* in libro laud. von Gottes Sohn der Welt Heiland etc. *Berger* Versuch einer moralischen Einleitung in das N. T. 2. Theil, Lemgo, 1797. 8. Dan. *Schulz* der schriftstellerische Werth und Charakter des Johannes, Weissenfels und Leipzig, 1803. 8. *Stronck* specimen supra laud. n. 4. *Wegscheider* Versuch einer vollständigen Einleitung etc. p. 278. ff. *Eichhorn* Einl. T. II. p. 258. ff. *De Wette* Einl. p. 183. ff. *Seyffarth* Beitrag zur Special - Charakteristik der Johanneischen Schriften, Leipzig, 1823. 8. *Lücke* Commentar über die Schriften des Evang. Joh. T. I. p. 53. ff.

§. 42.

Certum est, Ioannem sermone graeco commentarium suum consignasse [1]). Argumentis, quae prorsus sufficiant, neque ii rem suam probaverunt, qui evangelium Ioannis omnium evangeliorum antiquissimum [2]), ante eversionem certe Hierosolymarum [3]) litteris exaratum fuisse contendunt, neque, qui Ioannem annis demum vitae suae postremis scripsisse existimant [4]). Verum, quae supra §. 40. de consiliis evangelii quarti apologeticis, locisque singulis ad opiniones et dubita-

tiones varii generis respicientibus observata sunt, omnino suadent, ut Ioannes intra annum 60. finemque saeculi primi scripsisse censeatur [3]).

1) Coniectura recentius nonnullis probata (cfr. *Salmasius* de lingua hellenist. p. 257. ss. *Bolten* der Bericht des Johannes von Jesu dem Messias, Altona, 1797. praef. *Pfannkuche* über die Palaestinens. Landessprache in Eichhornii biblioth. univ. litteraturae bibl. Vol. 8.), Ioannem sermone hebraico s. syro-chaldaico evangelium scripsisse, posthac alius ope graece translatum, antiquitati Christianae omnino incognita fuit. Quae *Epiphanius* habet haeres. 30, c. 3. non possunt nisi de *versione* quadam *hebraica* evangelii graeci intelligi. Quemadmodum ratio nulla apparet idonea dubitandi, potueritne Ioannes graece scribere? (vd. §. 38. nota 1.), ita prorsus desiderantur illius, de qua nonnulli cogitaverunt, originis evangelii nostri graeci ex hebraicis s. syro-chaldaicis translati, vestigia certa. [Quis enim est, qui probet, quaecunque loca V. T. apud Ioannem adferantur, ita laudari, ut cum textu *hebraico* prorsus conveniant, doceantque, Ioannem usum fecisse nullum versionis Alexandrinae? Cfr. 2, 17. 10, 34. 12, 13. 38. 15, 25.] Neque lectorum suorum causa habebat Ioannes, quod linguam hebr. s. syro-chald. usurparet. Vd. §. 40. coll. §. 22. nota 3. Verissime igitur huic coniecturae contradixerunt praeter alios *Schmidt* Bibliothek für Kritik und Exegese des N. T. 2. Th. 2. St. *Kuinoel* prolegg. comment. in Io. p. 49. ss. *Lücke* Commentar etc. Vol. I. p. 60. ss.

2) V. c. *Semmler* in praefatione paraphraseos ev. Io. cui *Tittmannus* adsentitur in l. §. 40. nota 6. laud. prolegg. p. 14.

3) Vd. *Lampe* prolegg. commentarii T. I. p. 158. *Wegscheider* Versuch einer vollständigen Einleitung etc. p. 190. Hierosolymas, quo tempore Ioannes scriberet, nondum fuisse devastatas, demonstrari certe non potest ex loco Io. ev. 5, 2. Etsi enim recte dubitetur de ea, quam plures interpretes verbis Ioanneis inesse putaverint, enallage (ἐστι pro ἦν posito), *de ipso tamen balneo* recte poterat, quamvis post eversionem Hierosoll. evangelium scriberet, formam praesentis adhibere (vd. *Eusebii* onomasticon de locis sacris sub v. βηζαϑα), ita ut ἐπὶ τῃ προβατικῃ (πύλῃ)

locum innueret, ubi haec porta olim ſtetiſſet. ἔχουσα pariter poteſt de tempore praeſenti, atque de inperfecto intelligi. Locum vero Io. 21, 18. ſq. ubi vaticinium quidem Chriſti de martyrio Petri commemoratur, ipſius vero mortis huius Apoſtoli mentio nulla facta eſt [poterat quippe Ioannes, etſi haec ſcriberet, quum Petrus vita defunctus eſſet, eventum lectoribus notiſſimum ſilentio omittere] eodem certe iure ſententiae ſuae probandae inſervire docent ii interpretes, qui Ioannem poſt obitum demum Petri, quo ſenſu Chriſtus verba v. 18. enarrata pronuntiaſſet, ex ipſo eventu prorſus intellexiſſe et explicuiſſe (v. 19.) exiſtimant.

4) *Epiphanius* quidem haer. 51, c. 12. perhibet, Ioannem, ex Pathmo reverſum, quum annum aetatis 90. iam ſuperaſſet, evangelium conſignaſſe. Add. haer. 51, 19. Solentque omnino, qui poſt Euſebium fuere, accuratius rem definire, in partes admodum varias diſcedentes. Antiquiores, *Irenaeus* adv. haerr. 3, 1. (cfr. ſupra §. 28. nota 4.), *Euſebius* hiſt. eccl. 3, 24. 5, 8. 6, 14. *Hieron.* catal. ſcriptt. eccleſ. c. 9. itemque in prooemio comment. ad Matth. in eo acquieſcunt, quod Ioannem, quum Epheſi verſaretur, evangelium edidiſſe dicant, *poſt Matthaeum, Marcum, Lucam.* Inter recentiores *Herderus, Storrius,* plerique interpretes, originem evangelii Ioannei decenniis Saeculi I. poſtremis recte vindicari ſtatuunt.

5) Quod Ioannes ev. 18, 10. aperte profitetur, *Simonem Petrum* vim intuliſſe miniſtro ſacerdotis ſummi, ceteris evangeliſtis (*Matth.* 26, 51. *Marc.* 14, 47. *Luc.* 22, 50) *nomen Petri* hac in re tacentibus, minime quidem demonſtrat, Ioannem *poſt obitum Petri* evangelium ſcripſiſſe. Si Petrus, quo tempore Ioannes evangelium ſuum promulgabat, Palaeſtina iam diſceſſerat, omnino non habebat evangeliſta, quod nomen Petri, ne forte invidiam incurreret apud proceres Iudaeorum, omitteret. Nec multum tribuerim iis effatis, ubi Ioannes de locis quibusdam ad Hieroſolymas regionemque Hieroſolymitanam pertinentibus tempore inperfecto ἦν uſus eſt, 18, 1. 19, 41. 11, 18. Dubium certe manet, utrum ſcriptor *conſulto* hanc formam uſurpaverit, qua innueret, *olim* (ante devaſtationem Hieroſolymarum) hanc fuiſſe illorum locorum indolem, an morem vitae communis ſecutus fuerit, in exhibenda rei dudum geſtae narratione etiam de *loco*, ubi res narrata acciderat, tempore inperfecto utendi.

Aliud effatum Io. 21, 23. omnino probaret, Ioannem, quum evangelium scriberet, aetate admodum provectum fuisse, nisi de ipsa huius capitis postremi origine (vd. §. seq.) in utramque partem disputari posset. Denique, quanquam discrimen apparet orationis evangelii et elocutionis Apocalypseos, ab indole sermonis graeci puri magis alienae, nolim tamen ex hac diversitate colligere, evangelium postremis demum annis vitae Apostoli scriptum esse, [quo tempore maiorem sibi comparasset graece scribendi dexteritatem], quum partim hebraismi, quibus librum apocalypseos refertum esse videamus, ex ipsa rerum in hoc libro tractatarum indole, et imitatione prophetarum V. T. quos auctor ante oculos habuerit, explicari possint, partim etiam de origine Apocalypseos eiusque consignationis tempore diversimode iudicetur. Vd. *Guericke* l. l. Beyträge zur historisch-krit. Einl. p. 58. Sufficiat, originem evangelii Ioannei universe *decenniis* saeculi I. *postremis* vindicasse, quum eiusmodi opiniones, ac dubitationes, quales Ioannem (§. 40.) ante oculos habuisse vidimus, historia duce, non facile existimari possint *citius* aliquid contulisse ad persuasionem Christianam vel inpugnandam vel singulari modo conformandam. Vd. *Lücke* Commentar etc. Vol. I. p. 122—130. Accedit, quod exploratum habemus, Ioannem *post annum* demum 60. aut 62. regiones Asiae minoris adiisse. Vd. §. 36. nota 9. *Ephesi* vero fuisse Apostolum, quum ev. ederet, *testantur veteres* (vd. nota 4.) exceptis *Hippolyto* de 12 apostolis, et *Pseudo-Athanasio* in Athan. Opp. T. II. p. 155. ed. Venet. qui Pathmum insulam nuncupaverunt, vel coniecturam vel traditionem seriorem sequuti. Vd. *Lücke* Commentar etc. Vol. I. p. 121.

§. 43.

Quod integritatem textus evangelii attinet, praeter locum breviorem c. 5. (v. 3. ἐκδεχομένων etc. et v. 4.) ex plurimorum sententia ab alienis manibus profectum *), ea sectio, quae ab ultimo inde commate capitis 7. usque ad versum 11. capitis 8. pertinet, dubitationibus certe haud levibus est obnoxia, non tam ex ipsa rerum in hac pericope narratarum

indole [2]), quam ex magno codicum, versionum, patrum antiquiorum dissensu [3]) oriundis, vocibusque et phrasibus singulis, ab usu loquendi Ioanneo alienis [4]). Caput vero postremum 21. ab aliquo Ioannis discipulo et familiari, praeeuntibus quidem iis, quae ipse ab Apostolo accepisset, litteris consignatum, eiusque commentario c. 20. v. 31. ad finem perducto, priusquam evangelium promulgaretur, saepiusque describeretur, adiectum fuisse, argumentis statuimus internis [5]).

1) Et verba postrema v. 3. ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν, et versus 4. in nonnullis codd. (in quibus sunt Vaticanus et regius C) et vers. quadam coptica desiderantur. Codex Alexandr. et Stephani octavus illa tantum: ἐκδεχομένων — κίνησιν omittunt. Plures codd. (in quibus est Cantabrigiensis) verba: ἐκδεχομένων — κίνησιν exhibentes versum 4. omittunt, itemque versio Armen. Quodsi haec verba ad antiquissimum evangelii nostri textum pertinuisse existimemus, non licet causam, quare in multis codd. *consulto* omissa fuerint, adferre probabilem. Apud omnes quippe evangelistas de apparitionibus angelorum, eorumque efficacia quadam in rebus humanis sermo est. De aliis dubitandi causis externis (v. c. lectionum diversitate) vd. N. T. graece textum recensuit et lectionis varietatem adiecit I. *Griesbach*, Vol. I. ed. III. cur. D. *Schulz*, Berol. 1827. p. 521. In scriptis Ioanneis praeter hunc l. nunquam obveniunt vocc. ἐκδέχεσθαι, κίνησις, δήποτε, κατέχεσθαι νοσήματι (Io. ἀσθένεια habet.) Videtur omnino hic totus locus sensim sensimque ex variis glossematibus ad explicanda verba v. 7. ὅταν ταραχθῇ τὸ ὕδωρ (secundum traditionem quandam, vd. *Tertull.* de baptismo c. 5.) margini adscriptis in textum venisse. Cfr. *Wegscheider* Versuch einer vollständ. Einl. etc. p. 159. ff. *Lücke* Commentar etc. Vol. II. p. 13. ff. *Kuinoel* comment. in Io. ed. III. p. 313. ff.

2) Narratio ipsa c. 7. v. 53—8, 11. exhibita nihil continet, quod vel indoli Pharisaeorum repugnet, vel cum ingenio moribusque Iesu Christi conciliari nequeat, vel nexum evangelii eiusque oeconomiam turbet. a) Sperare omnino poterant Pharisaei insidiosi, nec totam Iesu Christi sentiendi agendique rationem recte aestumantes, fore

ut Christus, quaestione de adultera punienda proposita, vel responderet, non esse lapidandam (quanquam enim ipsi legem Mosaicam de occidenda adultera Levit. 20, 10. recte de lapidatione interpretabantur, cfr. *Jahn* bibl. Archäologie, 2. Th. 2 B. ed. II. Wien, 1825. p. 352. *Rosenmülleri* scholia ad Ezech. 23, 47. non omnes tamen ita iudicabant, solebantque omnino delicta carnis tempore Christi et Apostolorum inter Iudaeos minus severe coërceri cfr. *Michaelis* adnott. ad Io. ad h. l.) vel poenam lege irrogatam de ea sumendam esse diceret; ideoque *vel* legem Mos. contemnere, *vel* eiusmodi Iudaeos, qui tum temporis zelotae dicebantur (adstantes forsitan in turba), ad poenam capitalem (qualem Iudaeis aetate Christi exsequi non licebat, nisi auctoritate Procuratoris Romani sancita fuisset) propria auctoritate illico de adultera sumendam inpellere videretur. Vd. *Schulthess* über die Perikope von der Ehebrecherin in: *Winer* und *Engelhardt* neuem krit. Journal der theol. Litter. 5. B. 3. St. 1826. p. 260. ff. b) Mirum quidem videri possit, quod Pharisaei, virtute, quam simulabant, admodum superbientes, auditis Iesu verbis (v. 7.), v. 9. conticuisse, et abiisse dicantur ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι. Verum enimvero haec verba: ὑπὸ τῆς etc. *iudicium* proferunt *scriptoris* de iis, quae homines illi *tacite* secum perpendisse existimandi sint. Non dicit, eos vel gestu vel voce conscientiam malam *esse professos*. Discedere ita poterant, (quum frustra sperassent, Iesum eiusmodi responsum esse daturum, quod ei vitio verti posset), ut sese gererent amplius de hac adultera deliberaturos. Praeterea hanc totam ῥῆσιν: ὑπὸ τῆς συνειδ. ἐλ. plures codices (in quibus est Cantabrig.) pluresque versionum vett. et patrum prorsus omittunt, ita ut haud inprobabiliter pro glossemate habeatur. Vd. *Schulthess* l. l. p. 277. sq. c) Quum Iesus probe nosset, quaestionem, quam Pharisaei proposuissent, ex animo malevolo esse profectam, omninoque se immiscere nollet caussis civilibus, profecto dici non potest (v. 6.) aliquid fecisse a tempore et loco alienum, eiusmodi gestu adhibendo, qui animum quaestionem propositam parum curaturum exprimeret, digitis in pulvere terrae movendis (tanquam si pingeret figuras. Vd. *Schoettgen* horae hebrr. ad h. l.) d) Nolebat Christus v. 7. (ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν etc.) regulam praescribere *in iudiciis* et foro observandam (nonnisi eum testem admitti posse aut iudicem, qui a peccato sit im-

munis), sed ad *principium ethicum* accommodate: professus est, non posse hominem *eiusdem* flagitii reum alterum damnare. Perspectam omnino habebat vitam illorum hominum similibus flagitiis inquinatam; nec latuit eum, Pharisaeos, si ipse mulierem lapidibus obruendam esse dixisset, hoc ita fuisse maligne interpretaturos, ut *Zelotis* licitum pronuntiaretur, et auctoritate et manu propria (Procuratoris iudicio neglecto) mulieri accusatae mortem inferre. Itaque Iesus Pharisaeis quaerendo instantibus admodum sapienter ita respondit, ut omnino de poena civili adulterae irroganda nihil profiteretur, sed homines illos suam ipsorum animi vitaeque perversitatem perpendere iuberet, *poneretque*, *ipsos hos Pharisaeos*, quum testes adulterii ab illa muliere commissi prodiissent, (secundum consuetudinem Iudaicam, vd. *Deuteron.* 13, 9. 17, 7. *Actt.* 7, 58.) *promtos paratosque esse* ad lapidationem *propria manu* inchoandam. Quo facto, quum Pharisaei consilio suo, insidias Christo struendi, iterum excidissent, intus frementes abierunt. Vd. *Schulthess* l. l. p. 270. e) Quae Christus v. 11. mulieri accusatae dixisse legitur: οὐδὲ ἐγώ σε κατακρίνω etc. prorsus conveniunt doctori divino, causarum *civilium* disceptationem nihil ad se pertinere existimanti, de eo tantum cogitanti, ut, quantum fieri posset, animos hominum salvos redderet, et omnes, qui peccassent, ad animum emendandum serio cohortaretur. Cfr. *Io.* 5, 14. *Matth.* 9, 2. f) Totius rei gestae historia minime potest aliena iudicari ab eo, quod Ioanni praesertim inde a c. 5. propositum fuisse videmus, consilio, sermonibus factisque Christi enarrandis accuratius declarandi, qua ratione magis magisque implicitus fuerit certamini cum adversariis malignis subeundo. Quo saepius enim Pharisaei illi *frustra* insidiati fuerant Servatori, eo acrius ingravescebat odium. Nec dixerim, verba c. 8. v. 12 πάλιν οὖν parum apte narrationi v. 1—11. exhibitae cohaerere, quum v. 13. quemvis doceat, pronomen αὐτοῖς (v. 12) non posse nisi de Pharisaeis intelligi, de quibus v. 1—11. sermo fuisset.

3) Defenditur quidem authentia huius pericopae auctoritate multorum *codicum*, in quibus Cantabrig. et Cyprius antiquitate eminent, patetque ex testimoniis *Hieronymi* adv. Pelag. 2, 6. *Augustini* contra Faustum 22, 25. de adulterinis coniugiis 2, 6. 7. scholiorumque graecorum codicibus adscriptorum, in aliis codd. multis et graecis

et latinis hanc sectionem exstitisse. Quanquam vero minor est numerus codicum, qui eam *omittunt*, in iis tamen sunt libri praestantissimi, codex Alexandr. Vatic. regius (Ephraemi), Stephani octavus. Testatur etiam *Euthymius Zigabenus* (Saec. XI.) in comment. ad h. l. se non legisse hunc totum locum in codd. plurimis et gravioribus. Nec pauci sunt codices, qui huic pericopae obelos s. asteriscos adponant. Nonnulli alio loco (post c. 7. v. 36. sive sub finem evangelii, s. Lucae c. 21. ex.) exhibent. Ex *versionibus* vetustis Aethiopica, Syriaca (quae Hierosolymit. dicitur), Vulgata, Anglosaxonica pericopam exhibent; omittunt codd. antiquissimi versionis Syr. Peschito, plerique codd. versionis Syr. Philoxenianae, itemque Copticae (Memphiticae), plures codd. vers. Armenicae, Arabica, Sahidica, Gothica. [In margine habent exemplaria plura versionis Philox. itemque ad finem transponunt evangelii codd. quidam versionis Armen.] Quod testimonia *patrum* attinet, commemorarunt hanc sectionem constitutiones apostolicae (2, 24.), Hieronymus, Ambrosius opp. T. 3. p. 194. T. 4. p. 395. ed. Erasmi, Augustinus, alii seriorum scriptorum. [Prima eius vestigia non apparent ante saec. III.] Desideratur apud Origenem (cuius quidem commentarii in Ioannem mutili ad nos pervenerunt), Cyrillum Alex. Chrysostomum, Nonnum, Theophylactum, et alios patrum graecorum, itemque, ex latinis, apud Tertullianum, Cyprianum, Iuvencum [quanquam non de omnibus, qui mentionem eius nullam fecerunt, doceri potest, eos hanc peric. iudicasse spuriam. Vd. *Schulthess* l. l. p. 308. sq.] Potest omnino facilius, quomodo haec pericopa a saeculo inde III. evangelio Ioanneo inserta fuerit, probabiliter explicari, quam ratio proferri idonea, quare apud multos consulto fuerit textu eliminata. Coniecturae enim pluribus probatae, ad Augustinum de adulterinis coniugiis l. 2. c. 6. 7. et Ambrosii apologiam Davidis secundam (Opp. T. IV. p. 395. ed. Erasmi) provocantibus, hanc pericopam et eliminasse ex codicibus, et explicando data opera praetermisisse eos, qui vererentur, ne forte abusus huius historiae fieret ad excusandum adulterium, obstat, quod pauca tantum apud scriptores vett. huius sollicitudinis vestigia deprehenduntur, eorumque testium criticorum, qui ex Griesbachii iudicio ad recensionem Occidentalem referuntur, haud pauci pericopam agnoverunt, quanquam historiae testimoniis compertum habemus, Chri-

stianos Occidentales, praesertim a saeculo inde III. et IV. de peccatis carnalibus severius iudicasse. Licet vero originem huius totius additamenti, evangelio Ioanneo a saeculo inde III. inserti, satis probabiliter vel ex evangelio secundum Hebraeos repetere (nisi historiam de muliere propter πολλὰς ἁμαρτίας apud Dominum accusata, quae teste Papia apud Euseb. hist. eccl. 3, 39. ex. in ev. sec. Hebraeos legebatur, ab illa plane diversam fuisse existimaveris), vel ex traditione evangelica ore propagata. Nec desunt alibi eiusmodi additamenta maiora, in vetustis codd. margini adscripta, tum textui inserta. Vd. lectt. varr. edit. Griesbach. ad *Matth.* 20, 28. *Luc.* 6, 5. *Io.* 5, 3. Verba Christi Io. 8, 15. ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα opportunitatem dederunt historiae de muliere adultera hoc potissimum loco inserendae, aliis vel aptiorem eam censentibus evangelio Lucae c. 21. vel, quum de origine eius et loco ipsi assignando dubitarent, ad calcem evangelii Io. exhibentibus. *Orationis series* minime inpedit, quo minus haec tota sectio, vestigiis illis praeeuntibus, spuria censeatur. Sive enim omissa, sive inserta fuerit, *utroque modo* pronomen αὐτοῖς c. 8. v. 12. ad Pharisaeos (de quibus et c. 8. v. 1—11. et c. 7. v. 47. ss. sermo fuerat) pertinet, patetque, ex verbis Ioanneis non accuratius perspici, an sermo Christi cum Pharisaeis c. 8. inde a v. 12. enarratus rem gestam, quae c. 7. v. 47. ss. exposita fuerat, *illico* exceperit. Ceterum in iis monumentis criticis, quae pericopam habent, *eximia* apparet *lectionum diversitas.* Vd. triplicem textus graeci conformationem apud Griesbach. ed. Schulz. p. 549. ss. Qui dissensus ingens quum nequeat studiis librariorum tribui, eiusmodi vocabula textu removendi aut immutandi, in quibus propter *rem ipsam* his expositam offenderent (siquidem illa lectionum diversitas non ita comparata est, ut *has potissimum sententias* vel auferat, vel immutet); rectius haud dubie originem suam debere existimatur *primitivae vocum formularumque diversitati*, quibus historia de muliere adultera vel (prouti fieri solet in traditione ore propagata) sermonibus variorum enarrata, vel etiam in diversis evangelii cuiusdam apocryphi (v. c. secundum Hebraeos) exemplaribus litteris consignata fuerat.

4) Nolumus quidem ad voces phrasesque *omnes* in textu vulgari huius pericopae obvias, ab usu dicendi Ioanneo alienas provocare. Etenim pro λιθοβολεῖσθαι v. 5. in plu-

ribus codd. et verſſ. legitur vocabulum Ioanneum λιθάζειν ſ. λιθάζεσθαι. Verba ἕως τῶν ἐσχάτων v. 9. (usque ad eos, qui inferioris eſſent conditionis) in cod. Cantabrig. aliisque multis, itemque in nonnullis verſſ. antiquarum, apud Hieronymum et Ambroſium, deſiderantur, habentque gloſſematis ſpeciem, quum ἔσχατοι nunquam τοῖς πρεσβυτέροις, ſed τοῖς πρώτοις opponantur. Vd. *Schultheſs* l. l. p. 281. Phraſis illa v. 2. καὶ καθίσας ἐδίδασκεν αὐτοὺς non legitur in textu cod. Cantabrig. nec omnes libri mſſ. habent γραμματεῖς v. 3. ἐξήρχοντο εἷς καθ' εἷς v. 9. πλὴν v. 10. Non omnes teſtes critici conſentiunt in vocula δὲ, ſecundum textum *vulgarem* in hac pericopa admodum frequenter obvia, in ceteris evangelii Io. ſectionibus minus cumulata. Negari vero non poteſt, *his* certe vocibus rationem ineſſe idoneam authentiam pericopae in dubium vocandi: V. 1. ὄρθρου, cuius loco Ioannes alibi habet πρωῒ ſ. πρωΐας γενομένης (non dixerim cum V. Schultheſſio, uſum vocabuli ὄρθρου h. l. *neceſſarium* fuiſſe, ut tempus diluculi, ubi nox abiit, nec tamen orta dies, accuratius indicaretur. De eodem quidem *diluculi* tempore πρωῒ uſurpatur Io. 20, 1. cfr. verba ſeqq. σκοτίας ἔτι οὔσης, quae nequeunt cum Schultheſſio, invitis codicibus, textu eiici, itemque πρωΐας γενομένης Io. 21, 4. cfr. vbb. ſqq. οὐ μέντοι ᾔδεισαν etc.) V. 2. λαὸς ſic poſitum, ut minus definite aliquam hominum multitudinem innuat, qua poteſtate Ioannes alibi ὄχλος ſ. ὄχλοι adhibet (effata quippe Io. 11, 50. 18, 14. a Schultheſſio laudata non docent; noſtro etiam loco ſcribi debuiſſe λαὸς, quum locis laudd. manifeſto de *tota natione* ſ. *gente* ſermo ſit, capite vero 8. v. 2. de iis tantum Iudaeis cogitari poſſit, qui diem feſtum celebraturi in templum venerint, ſoleatque Ioannes, quoties de multitudine circa Ieſum congregata loquitur, conſtanter ponere ὄχλος, cfr. effatum *ſimill.* Io. 12, 12. et *Schmid* ταμεῖον ſub h. v.) V. 7. ἐπιμένειν participio ſequente, de eo, qui inſtat aliquid faciendo. Ib. ἀναμάρτητος. V. 9. καταλείπεσθαι: relinqui (ſolum) cuius loco Io. ſemper habet ἀφίεσθαι. V. 10. κατακρίνειν: condemnare. Io. ſemper: κρίνειν. — *Defenſores* quidem authentiae prae ceteris exſtiterunt: *Oſiander* de hiſtoria mulieris adulterae non adulterina, Tubingae, 1751. 4. *Dettmers* vindiciae αὐθεντίας textus graeci pericopae inde a Io. 7, 53. Francof. ad Viadrum, 1793. *Stäudlin* proluſio, qua pericopes de adultera veritas et αὐθεντία defendi-

tur, partic. I. II. Goltingae, 1806. 4. *Schulthefs* in comment. nota 2. laud. (quanquam non probat textum pericopae vulgarem.) *Möller* neue Anfichten schwieriger Stellen aus den vier Evangeliften, Gotha, 1819. p. 313. ff. *Michaelis* Einl. Vol. I. p. 336. ff. *Storr* über den Zweck der evang. Gefchichte u. f. w. p. 216. ff. *Lange* die Schriften Johannis überfetzt etc. T. II. p. 255. ff. *Kuinoel* comment. in ev. Io. ed. III. p. 411. ff. *Spurium* iudicarunt praeter alios: *Grotius* et *Wettftenius* ad h. l. *Semmler* paraphr. ev. Io. *Paulus* philogifch-krit. und hiftor. Commentar etc. 4. Theil 1. Abtheilung (Johannes) p. 394. ff. *Haenlein* Handbuch der Einl. etc. T. 3. p. 215. ff. *Wegfcheider* Verfuch einer vollftänd. Einleitung etc. p. 164. ff. *Tittmann* meletemata facra in ev. Io. p. 313. ff. *Seyffarth* in l. §. 41. nota 5. ex. laud. p. 175. ff. *Lücke* Commentar etc. Vol. II. p. 168. ff. *Tholuk* Commentar etc. p. 142. ff. — Ceterum, etfi recte negemus, Ioannem ipfum hanc pericopam evangelio inferuiffe, minime tamen habemus, quod de veritate ipfius hiftoriae traditione antiquiffima propagatae dubitemus. Vd. nota 2.

5) Codices quidem omnes, verfiones, patres velt. hunc locum tractantes, caput 21. evangelio Ioanneo ita vindicarunt, ut, quicunque de origine eius dubii haereant, concedant tamen, commentarium Ioanneum admodum mature, priusquam exemplaribus multis defcriberetur, hac appendice effe locupletatum. Argumentis tantum *internis* authentiam capitis plures inpugnaverunt. Quae quidem *non omnia* tanti effe ponderis, ut demonftrent, Ioannem haec fcribere non potuiffe, lubentiffime concedimus. Quod enim duo commata poftrema capitis 20. attinet, poterat omnino Evangelifta, quum v. 31. ea fcripfiffet, quae confilium primarium hiftoriae c. 20. expofitae pariter atque totius evangelii innuerent: ἵνα πιστεύσητε, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν etc. commentario fuo finem inponere (etfi pronomen ταῦτα v. 31. propter verba v. 30. de iis refurrectionis Chrifti documentis, quae Ioannes c. 20. litteris confignaverat, intelligi malim, quam de tota ferie narrationum in ev. Io. propofitarum.) Hoc certe in promtu eft, Ioannem, quum verba c. 20. v. 30. 31. litteris confignaret, de eo *non* cogitaffe, ut plura adderet de documentis vitae Chrifto reftitutae. Attamen, quis neget, eundem feriori aetate rationibus gravitate haud deftitutis inpelli potuiffe, ut commentario abfoluto hanc adderet

appendicem, qua praesertim sinistris de Petro opinionibus occurreret (c. 21. v. 15. ff.) vanumque rumorem dispelleret, qui de ipso (Ioanne) nunquam morituro exstitisset (v. 22. 23.) p) Neque cum nonnullis adfirmaverim, hanc totam sectionem parum cohaerere consilio totius ev. primario. Ad declarandam quippe δοξαν Servatoris profecto pertinent, quae v. 6. 11. 18. leguntur. Rebus ipsis c. 21. enarratis nihil inesse videmus, quo authentia capitis recte inpugnetur. Totius item sermonis indoles, singularumque vocum et formularum usus multa habet, quae elocutioni Ioanneae apprime conveniant. Observemus potissimum illam narrationis εναργειαν Ioanneam v. 3. 4. 7. 15 — 17. particulam οὖν frequenter obviam, vocesque: μετὰ ταῦτα v. 1. (transeundi formula Ioanni potissimum et Lucae familiaris), φανεροῦν ἑαυτὸν v. 1. παιδία v. 5. διαζώννυμι v. 7. ανθρακιὰ v. 9. ὀψάριον et ὀψαρία v. 9. 10. 13. ὀυ μέντοι v. 4. τοῦτο δὲ εἶπε σημαίνων v. 19. ὀυδεν more Ioanneo verbo postpositum v. 8. etc. (Vd. *Schmid* ταμειον sub his vocc.) *Iam vero alia obveniunt, quae ab analogia elocutionis Ioanneae ita deflectant, ut manum prodant alienam.* In his potissimum offendimus (ut missa faciamus eiusmodi argumenta, quibus nonnulli nimium tribuisse videantur): *V.* 1. ἐπὶ τῆς θαλάσσης: iuxta mare Tiberiadis (quo sensu ἐπὶ apud Ioannem *Dativum* regit, ev. 4, 6. 5, 2.) Nec Ioanneam dixerim περιττολογίαν illam otiosam: ἐφανέρωσε δὲ οὕτως. Effata quippe ev. 1, 1. 4. 7. 8. 11. 20, 11. epist. I. c. 2, 22. 24 alius sunt generis. V. 2. ἄλλοι ἐκ τῶν μαθητῶν. Ex more scribendi Ioanneo exspectabatur: ἄλλοι μαθηταὶ, ev. 20, 25. V. 3. ἐρχόμεθα καὶ ἡμεῖς σὺν σοί. Apud Ioannem nunquam dic. ἔρχεσθαι σὺν τινι: aliquem sequi, s. se comitem alicui adiungere, immo: ἀκολουθεῖν τινι, ev. 1, 37. 13, 37. al. *V.* 4. πρωΐας γενομένης. Ioannes: πρωῒ, ev. 20, 1. et 18, 28. (in optimis quidem codd.) *V.* 7. ἐπενδύτης neque in ceteris libris N. F. nec apud Ioannem legitur, qui χιτὼν habet et ἱμάτιον, ev. 19, 23. 24. 13, 4. 12. *V.* 12. Hic unus est locus in scriptis Ioanneis, ubi et τολμᾶν occurrit, et ἐξετάζειν. Notio quaerendi, interrogandi, percunctandi apud hunc evangel. verbo potius usitatissimo ἐρωτᾶν exprimitur, exceptis locis ev. 18, 7. 21. ubi ἐπερωτᾶν legitur. *V.* 18. καὶ ἄλλος σε ζώσει καὶ οἴσει, ὅπου ὀυ θέλεις. Neque apud Ioannem, nec in toto codice sacro N. F. verbum φέρειν de eo adhibetur, qui

hominem quendam ducit, quo ſenſu ἄγειν ſollenne eſt. *Io. ev.* 1, 43. 7, 45. 9, 13. 10, 16. 18, 28. 19, 4. 13. *V.* 20. Evangeliſta, qui lubenter ſe appellat μαθητὴν, ὃν ἠγάπα ὁ ἰησοῦς, nunquam eiusmodi copioſa nominis ſui circumlocutione uſus eſt, qualis h. l. additur: ὃς καὶ ἀνέπεσεν — παραδιδοὺς σε; Neque verbum ἐπιστρέφεσθαι, quo ſenſu hic dicitur (*de homine ſe convertente et retroſpiciente*), unquam apud Ioannem occurrit. Ex more Ioanneo ſcribendum σραφεὶς ſ. ςραφεὶς εἰς τὰ ὀπίσω, ev. 1, 38. 20, 14. 16. Verſus poſtremos (24. 25.) alienam manum adieciſſe, plerique eorum concedunt interpretum, qui caput 21. v. 1—23. Ioanni vindicari voluerunt. Recte enim offendimus in vbb. καὶ οἴδαμεν, quum in ſcriptis quidem N. F. hic pluralis nunquam pro οἶδα dicatur, ſed ubique de pluribus. Quodſi Ioannes ſuam ipſius perſuaſionem ſinceram de veritate teſtimonii, quod evangelio ſcribendo ediderat, profiteri volebat, verba praecedentia οὗτος ἐστιν ὁ μαθητὴς etc. poſtulabant, ut ſcriberet: καὶ οἶδε μεν, ſ. καὶ οἶδεν etc. cfr. ev. 19, 35. Sin illud οἴδαμεν h. l. de pluribus intelligi malueris: nos omnes, ego et ceteri Apoſtoli etc. habet omnino haec tota ratio, *ad iudicia aliorum Chriſti cultorum provocandi*, aliquid, quod prorſus alienum videatur a conſuetudine *evangeliſtarum*. Loco enim laud. 19, 35. evangeliſta hoc tantum agit, ut adfirmet, *ſe probe ſibi conſcium eſſe veracitatis ſuae atque fidei*. Deinde v. 25. mirum apparet, quod Ioannes, qui modo v. 24. primum de ſemet ipſo perſona tertia ſingul. uſus fuiſſet; οὗτος ἐστιν etc. deinde ad primam plur. tranſiiſſet; καὶ οἴδαμεν etc. ſubito, ſuam declaraturus perſuaſionem, primam perſonam ſingul. (οἶμαι) adhibuerit; praeſertim, quum *in toto evangelio* de ſemet ipſo perſonam *tertiam ſingul.* uſurpaverit, neque niſi in epiſtolis dixerit: γράφω, ἔγραψα, 1. ep. 2, 12. 13. 14. Quae quidem diverſitas locutionum (v. 24. 25. οὗτος ἐστιν etc. οἴδαμεν, οἶμαι) profecto ſcriptorem arguit, qui, quum v. 25. diceret οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι etc. ſemet ipſum *partim ab auctore evangelii, Ioanne* (quem v. 24. hac ratione indicaſſet οὗτός ἐστιν etc.) *partim ab aliis Chriſtianis*, quorum perſuaſionem de veritate teſtimonii Ioannei *ſibi quoque probatiſſimam* verbis: καὶ οἴδαμεν, ὅτι etc. enuntiaſſet, *diſtingui* voluerit. Denique locutio hyperbolica v. 25. ἅτινα ἐὰν γράφηται καθ' ἓν etc. quamvis non potuerit lectori-

bus illius temporis insolita apparere aut obscura (cfr. exempla ab interpretibus laudd.) abhorret tamen a simplicitate orationis Ioanneae, manumque prodit alius scriptoris, h. l. veluti imitando exprimentis, quae Io. c. 20. v. 30. 31. dixerat. Quodsi haec duo commata postrema ab ipso evangelista non profecta sunt, sequitur inde, Ioannem, si cetera omnia (c. 21, 1—23.) ipsi auctori vindicentur, hanc appendicem seriori tempore evangelio additam versu 23. verbis finiisse: ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν — πρός σε; Parum probabiliter existimatur clausulam omisisse, neque sub finem appendicis observatione brevi declaravisse, se ipsum hoc additamento commentarium prius scriptum et absolutum locupletasse. Itaque, quum omnino toti capiti 21. eiusmodi locutiones inesse videamus, quae ab analogia sermonis Ioannei deflectant, multo probabilius *eidem auctori incognito*, qui versum 24. 25. exaravit, totius capitis consignatio vindicatur. Debemus, opinor, hanc appendicem *uni ex discipulis et familiaribus Ioannis*, qui Apostolum iterata vice narrantem audierat, quae c. 21. leguntur, eamque narrationem animo ita infixerat, ut, litteris ea consignaturus, plerorumque egregie memor esset, et, quamvis plura usurparet vocabula, sibi potius quam Ioanni familiaria, pleraque tamen verbis enuntiaret, quae prorsus essent Ioannea, ex ore doctoris dilecti saepenumero accepta. Nec ipse huius totius sectionis auctor eam Ioanni Apostolo veluti supponi voluit; immo sincere satisque dilucide formulis v. 24. 25. obviis (ut supra vid.) professus est, se non eundem esse, qui totum scripserit evangelium. Nomen auctoris facile innotescebat primis evangelii lectoribus Ephesi et in vicinia urbis versantibus. — *Ioannem ipsum* capitis 21. (usque ad versum certe 23.) *auctorem* exstitisse praeter alios *defendunt: Mill* prolegg. in N. T. p. 249. Richard *Simon* krit. Schriften über das N. T. mit Anmerkk. v. *Semmler*, T. I. p. 149. ff. *Lampe* comment. in Io. Vol. III. p. 720. ff. *Michaelis* Einl. T. II. p. 1170. sq. *Osiander* exercitatio, qua authentia capitis 21. ev. Io. pertractatur, Tubing. 1756. 4. *Pabst* differt. de authentia capitis 21. ev. Io. Erlangae, 1779. 4. *Krause* vindiciae capitis ultimi ev. Io. Viteb. 1793. 4. *Beck* observationes critico-exegeticae P. I. Lipf. 1795. 4. *Kuinoel* comment. in ev. Io. ed. III. p. 733. ff. *Eichhorn* Einl. T. II. p. 218. ff. *Hug* Einl. T. II. ed. II. p. 256. ff. *Wegscheider* Versuch einer vollständ. Einleitung etc. p. 172. ff. *Handschke* comment.

de αὐθεντίᾳ capitis 21. ev. Io. e sola orationis indole iudicanda, Lipf. 1818. *Erdmann* einige Bemerkungen über Io. c. 21. Rostok, 1819. 4. *Weber* authentia capitis ultimi ev. Io. huiusque ev. totius argumentorum internorum usu vindicata, Halis, 1823. 8. *Vater* N. T. textum gr. Griesbachii et Knappii denuo recognovit etc. adnotatione et indicibus instruxit, Hal. 1824. p. 349. *Guericke* Beyträge zur historisch - krit. Einleitung u. f. w. p. 67. ff. *Tholuck* Commentar zum Ev. Joh. p. 349. sq. *Negaverunt: Clericus* adnotatt. ad N. T. ed. *Hammondi* ad h. l. *Pfaff* de variis lectt. N. T. c. 11. §. 5. *Semmler* Einleitung zu Baumgartens Polemik I. B. p. 62. idemque in paraphrasi ev. Io. ad h. l. *Moerl* scholia philologica et crit. in selecta codicis f. loca, ed. *Wilder*, Norimb. 1793. 8. *Paulus* neues Repertorium für biblische und morgenländ. Litter. T. II. *Idem*: Memorabilien 5. St. p. 176. ff. *Gurlitt* lectionum in N. T. specimen 3. Hamburgi, 1805. 4. *Bertholdt* Einleit. T. III. p. 1326. sq. *Lücke* Commentar etc. T. II. p. 518. ff. *Seyffarth* in l. §. 41. nota 5. ex. laud. p. 271. ff. *De Wette* Einleitung p. 199. ff. Commentatio *mea* de origine et indole capitis ultimi ev. Io. Ienae, 1825. 4. — De singulari quadam textus gr. totius ev. conformatione, quae in codice Paris. apparet, recte iudicanda cfr. Frid. *Muenter* notitia codicis gr. evangelium Io. variatum continentis, Hauniae, 1828. 8. Vd. theolog. Studien und Kritiken herausgeg. von *Ullmann* und *Umbreit*, 1. B. 4. H. Hamburg, 1828. p. 818. ff.

Libri exegetici, interpretationi evangeliorum inservientes.

1. *Ex scriptis doctorum ecclesiae antiquiorum, scriptorumque aevi medii, graecorum quidem: Theophilo Antiocheno* qui vulgo tribuuntur, libri quatuor commentariorum sive allegoriarum in sacra quatuor evangelia (scholia allegorica in singula evangg. loca; quorum fragmenta hodie latine tantum exstant, inserta tomo secundo bibliothecae max. Patrum veterum.) *Origenis* commentarii, qui maximam partem perierunt, allegoriis multis referti, quanquam haud pauca, quae ad linguam et historiam pertinent, erudite et utiliter observantes. *Origenis* in

sacras scripturas commentaria, quaecunque graece reperiri potuerunt, ed. *Huetius*, Coloniae, 1685. Legg. in operibus Orig. omnibus ed. de la Rue, Paris. 1733—1759. IV. Volumm. *Chrysostomi* homiliae, interpretationi allegoricae minus indulgentes, quam plerique illius aevi interpretes facere solebant, cognitione linguarum haud exigua instructae, de usu potissimum scripturae sacrae, qui ad religionem morumque doctrinam spectat, declarando sollicitae. Opp. omnia ed. *Montfaucon*, XIII. Volumm. Paris. 1718—1738. *Theodori Mopsvestiensis* commentarii in ev. Io. quanquam subinde argutius quam verius disputata continentes, praecipuam tamen operam navantes interpretationi historicae et grammaticae. Fragmenta legg. in *Corderii* catena graecorum patrum in S. Ioannem, Antverpiae, 1630. *Nonni* metaphrasis poëtica ev. Io. ed. *Abram*, Paris. 1623. Cfr. de usu huius interpretis *Baumgarten-Crusius* spicilegium observationum in Ioanneum evang. e Nonni metaphrasi, Ienae, 1824. 4. *Theophylacti* commentt. in quatuor evangelia, qui observationes potiores Chrysostomi aliorumque collectas exhibet, suo ipsius iudicio haud raro addito. Ed. Lutet. Pariss. graece et lat. 1635. *Euthymii Zigabeni* commentt. in quatuor evangg. antiquiorum interpretationes cum iudicio delectas suppeditantes. Ed. *Matthaei* Lips. 1792. 3 Volumm. *Latinorum*: *Hilarii* Pictaviensis comment. in ev. Matthaei (maximam partem allegoricus). Opp. ed. Paris. 1693. *Ambrosii* libri decem commentarr. in ev. Lucae (mediocris dignitatis). Opera ed. Basil. 1490. *Augustini* libri duo quaestionum in evang. Matth. eiusque tractatus 124. in Io. qui haud exiguam vim ingenii et interpretandi facultatem produnt, quanquam interpretationi dogmaticae nimis indulgent. Opp. ed. Antverp. 1700. *Hieronymi* commentt. in Matth. eruditione multiplici instructi, in sensu litterali investigando saepenumero diligentes, non alieni tamen ab interpret. mystica. Opp. ed. Francof. Volumm. XII. 1684. *Alcuini* commentari in ev. Io. (antiquiores interpretes, prae ceteris Augustinum sequitur.) Separatim ed. Argentorati, 1527. 8. *Hugonis de St. Victor* annotationes elucidatoriae allegoriarum in quatuor evv. eiusdemque liber annotatt. elucidatoriarum in ev. Io. (ex Augustino maxime desumtae.) Opp. ed. Rouen, 1648. Volumm. II. *Thomae de Aquino* catena aurea in quatuor evangg. Separatim edd. Lugd. Bat. 1530. Antverp. 1578. *Eiusdem* expositio in ev. Io. et

Matth. Parif. 1640. *Nicol. de Lyra* poftilla fuper Biblia, Norimb. 1482. *Laurentii Vallae* (qui multos textum graecum rectius intelligere docuit) annotatt. in N. T. ftudio *Erafmi*, Parif. 1505. 8. deinde faepius. *Erafmi Roterod.* annotatt. in N. T. Bafil. 1516. deinde faepius.

2) *Inde a tempore emendationis facrorum ad noftram usque aetatem.*

a) *interpretes antiquiores Saeculi* 16. 17. 18. in. *Lutheri* homiliae et aliae commentationes, evangeliis, praecipue Ioanneo, aliisque libris N. F. explicandis infervientes. Egregia exftant documenta cognitionis linguarum eruditae, dexteritatisque fententias fcriptorum facrorum recte inveftigandi. Maiorem vero operam inpendunt argumentis theologicis uberius pertractandis, quam verbis illuftrandis. *Opp.* omnia edit. Viteb. 1539. Ienenfis 1556. Halenfis 1737. [Colligendis Lutheri explicationibus operam dedit utilem *Calovius* in bibliis germanicis gloffatis, 1682. 3 Volumm.] *Melanchthonis* commentarii plerumque loca fingula breviter illuftrant grammatice. *Opp.* omnia Viteb. 1562—64. *Melanchth.* enarratio in *ev. Ioannis* propofita a Cafp. *Crucigero* Argentor. 1546. *Buceri* enarrationes perpetuae in quatuor evv. Volumm. II. 1528. non inutiles, quamquam faepenumero ad res alienas digrediuntur. *Io. Calvini* commentt. in quatuor evv. ingenii acumine et plerumque iufta interpretandi fimplicitate infignes. *Opp.* omnia ed. Amftelod. 1671. IX. Volumm. *Theod. Bezae* comment. in N. T. Genev. 1598. praefertim propter ufum interpretationis philologicae laudandus. *Matthiae Flacii* clavis fcripturae f. noftris quoque interpretibus commendanda. Ed. VI. a *Mufaeo* curata, Ienae, 1674. *Victorini Strigelii* hypomnemata in N. T. quae breviter quidem, plerumque vero recte et perfpicue, et voces et fententias illuftrant, Lipfiae, 1565. 8. II. Volumm. Quanquam plerique interpretes ecclefiae evangelicae, poft emendationem facrorum, praefertim faeculo decimo feptimo, prioribusque decenniis 18. interpretationi fcholaftico-dogmaticae operam fuam addixerunt, non omnino tamen defuerunt, qui ceteris effent liberaliores, explicatione philologica atque hiftorica tractanda: *Drufii* adnotatt. in totum Iefu Chrifti teftam. 1612. adnott. in N. T. pars altera, 1616. *Camerarius* comment. in N. T. Cantabrig. 1642. *Tarnovii* in ev. Io. commentarius, Roftochii, 1629. 4. *Mart. Chemnitii* har-

monia quatuor evangelistarum, continuata a Polyc. *Leysero*, absoluta ab Io. *Gerhardo*, ed novissima, Hamburgi, 1704. 3 Volumm. *Hugonis Grotii* (egregii interpretis) adnotatt. in N. T. ed. de *Windheim*, Erlangae, 1755 —57. 4. II. Volumm. Leguntur etiam cum *Pricaei* aliorumque observationibus in opere magno: *Critici sacri* s. clarissimorum virorum in sacrosancta utriusque foederis biblia doctissimae adnotationes etc. Amstelod. 1698. IX. Volumm. itemque Francof. ad Moenum, 1697. VII. Volumm. cum II. Volumm. supplementorum, 1700. 1701. Io. *Schlichting* (Sociniani) commentar. in Io. in bibliotheca fratrum Polonorum Vol. VI. 1656. *Wolzogen* (Sociniani) commentt. in quatuor evv. in eadem biblioth. Vol. VII. Contra Hug. Grotium Abr. *Calovius* scripsit biblia illustrata, Francof. ad Moenum, 1672—76. IV. Volumm. (plura habet bene observata.) Utilem quoque operam praestat interpreti diligentia in colligendis antiquiorum critt. observationibus insigni *Matth. Poli* synopsis criticorum aliorumque scripturae s. interpretum, Francof. ad Moenum 1694. V. Volumm. 4. Singula bene observata habet N. T. cum praefat. et adnotatt. Henr. *Hammondi*, ex anglica lingua in latinam transtulit suisque animadverss. illustravit Io. *Clericus*, ed. II. Francof. 1714. Voll. II. fol. De evangelio Io. erudite illustrando praesertim bene meritus est *Lampe*: commentarius exegetico-analyticus in ev. Io. Amstelod. 1724. III. Volumm. In ecclesia Romano-Catholica tum temporis eminuit *Calmeti* commentar. in N. T. Paris. 1724—26.

b) *Interpretes recentiores a Saeculo inde* 18. *med. ad hunc usque diem.*

α) *Qui evangelia una cum ceteris N. T. scriptis illustraverunt: Io. Christoph. Wolf* curae philologicae et criticae Basileae, 1741. V. Volumm. 4. (De quatuor evv. vd. Vol. I. et II.) Observationes variorum intt. cum delectu et iudicio collectae. N. T. ed. *Wettstein* Amstelod. 1751. II. Volumm. fol. (Vol. I. continet textum evangg. adnotatione erudita philol. et historica instructum.) Christoph. Aug. *Heumann* Erklärung des N. T. Hannover, 1750—1763. XII. Volumm. 8. Priora IV. Volumm. evangelia continent. (Interpretem sese gessit liberalem.) L. *Roeper* exegetisches Handbuch des N. T. ed. II. 16 Theile, Leipzig, 1795—1807. interpretationi cursoriae utilis. Die heil. Schrift des A. und N. T. nebst einer vollständ. Er-

klärung derselben aus den auserlesensten Anmerkungen verschiedener engländischer Schriftsteller zusammengetragen u. s. w. Leipzig, 1749—1770. Volumm. XIX. 4. *Bengelii* gnomon N. T. ed. III. Tubing. 1773. 4. *Io. Ge. Rosenmüller* scholia in N. T. ed. V. Norimbergae, 1801—1808. V. Volumm. 8. Editio *sexta* emendata Voluminis I. (evv. Matth. et Marci) prod. 1815. Voluminis II. (evv. Lucae et Io.) cura *Caroli Rosenmülleri*, 1827. Usus libri tironibus maxime commendandus. Io. Dav. *Michaelis* Anmerkungen für Ungelehrte zu seiner Uebersetzung des N. T. Göttingen, 1790—1792. IV. Volumm. 4. Haud pauca ex antiquitatibus et historia potissimum bene illustravit. Gfr. Fried. *Schulz* Anmerkungen, Erinnerungen und Zweifel über Michaelis Anmerckungen etc. Halle, 1790—1794. 6 Stück. 4. Christ. *Schmidt* philologisch-kritische Clavis über das N. T. für Akademieen, 1. Thl., 2. Abtheill. 2. Th. 2. Abtheill. Giessen, 1796—1805. Voluminis II. sectio prior. evv. illustrat. *Eckermann* Erklärung aller dunkeln Stellen des N. T. Kiel, 1806—1808. 8. III. Volumm. Valent. *Henneberg* philologischer, historischer und kritischer Commentar über die Schriften des N. T. *erster* Theil (Matthaeus), Erfurt und Gotha, 1829. 8.

β) *Qui evangelia separatim interpretati sunt:* Sam. *Clark's* Paraphrase der vier Evangelisten, aus dem Englischen übers. von *Wilmsen*, Berlin, 1763. III. Volumm. 4. *Lynar* erklärende Umschreibung der vier Evangelisten, Halle, 1775. Chr. *Koecher* analecta philologica et exegetica in quatuor evv. quibus Wolfii curae supplentur, Altenb. 1766. 4. Adr. *Bolten:* der Bericht des Matthaeus von Jesu dem Messias übersetzt mit Anmerkungen, Altona, 1792. *Eiusdem*: Bericht des Marcus etc. Alt. 1795. *Eiusdem:* Bericht des Lucas etc. Alt. 1796. *Eiusdem:* Bericht des Johannes etc. Alt. 1797. (Loca singula ingeniose et docte, quanquam non semper vere, illustrantur, ex usu potissimum loquendi chald. et syr.) *Paulus* philologisch - kritischer und historischer Commentar über das N. T. Vol. I. II. III. ed. II. Lübeck, 1804. 5. (evv. Matth. M. L.) Vol. IV. 1. Abtheilung, 1804. (ev. Io.). Insignis est commentarius haud exiguo et criseos, et interpretationis historicae, philologicae, psychologicae, religiosae acumine, quanquam caute adhibendus et explorandus. *Eiusdem*: das Leben Iesu, als Grundlage einer reinen Geschichte des Urchristenthums, 2 Theile, Hei-

delberg, 1828. 4. O. *Thiess* neuer kritischer Commentar über das N. T. Vol. I. II. (evangg.) Halle, 1804. 1806. (promtuarium utile exegeticum, interdum coniecturis audacioribus indulgens.) *Kuinoel* commentar. in libros N. T. historicos. Vol. I. (Matth.) Lips. 1823. ed. III. Vol II. (Marcus et Lucas) Lips. 1824. ed. III. Vol. III. (Io.) Lips. 1825. ed. III. Egregium exhibet conspectum *diversitatis sententiarum*, nec raro crisin addit propriam. H. *Möller* neue Ansichten schwüriger Stellen aus den vier Evangg. Gotha, 1819. 8. haud pauca continent, quanquam disceptationi obnoxia, probe tamen consideranda. Praeterea cfr. *Süsskind* symbolae ad illustr. quaedam evv. loca, pars I. II. III. Tubingae, 1802—1804. 4. *Storr* dissertt. exeg. in librorum N. T. historr. aliquot loca, Tubing. 8. partice. 1790—94. 4. Fr. *Kleuker* biblische Sympathieen, Schleswig. 1820. 8. Die vier Evangelien, übersetzt und erklärt von Aug. *Scholz*, Frankfurt am Mayn, 1829. 8. (*Fritzschii* comment. nuper inchoatus sub litt. γ. laud.)

γ) *Qui in singula tantum evangelia commentati sunt.* In *Matthaeum: Olearii* observatt. (notissimae) ad ev. Matth. Lips. 1713. 4. O. L. *Koenigsmann* kritisch-exeget. Beyträge zum richtigen Wortverstand einiger Schriftstellen des N. T. Hamburg, 1758. 8. (varia Matthaei loca erudite tractat.) Imman. *Walch* observatt. in Matth. ex graecis inscriptionibus, Ienae, 1779. 8. *Goetze* Erklärung des Matth. aus dem Hebraeischen und Hebraeisch-Griechischen, Stuttgart, 1785. Das Ev. Matthaei aus dem Griech. übersetzt und erläutert von *Heddaeus*, Stuttgart, 1791. 92. 8. II. Volumm. Iac. *Elsner* commentar. crit. philolog. in ev. Matth. II. Volumm. 1767. 8. Greg. *Mayer* Beyträge zur Erklärung des Ev. Matthaei, Wien, 1818. 8. *Gratz* historisch-kritischer Commentar zum ev. Matthaei, Tübingen, 1821. 1823. 8. II. Volumm. Quatuor evangg. recensuit et cum commentario perpetuo edidit Aug. *Fritzsche*, Tomus I. Lips. 1826. (ev. Matth.) Praeterea cfr. *Griesbachii* commentarius criticus in textum gr. N. T. part. I. Ienae, 1802. part. II. 1811. 8. (observatt. critt. in textum Matth. et M.) Ex his praesertim Olearii, Elsneri, Mayeri, Gratzii, Fritzschii, Griesbachii scripta utilitatem eximiam praestant interpreti huius evangelii, cum commentariis Kuinoelii et Pauli supra laudd. diligenter conferenda. *In Marcum: Elsner* comment. crit. philol. in ev. Marci, III. Volumm. 1773. 4.

Heupelii Marci ev. notis grammatico-historico-criticis illustratum, Argentorati, 1716. 8. *Van Willes* specimen hermeneuticum de iis, quae ab uno Marco sunt narrata, aut copiosius et explicatius ab eo, quam a ceteris evangelistis, exposita, Traiecti ad Rhenum, 1811. 8. *Griesbachii* commentar. crit. supra laud. Quatuor evv. rec. et cum comm. perp. ed. A. *Fritzsche*, T. II. (ev. *Marci*) Lipſ. 1830. 8. *In Lucam:* Car. *Segaar* observatt. philologg. et theoll. in ev. Lucae capita IX. priora, Traiecti ad Rh. 1766. 8. Das Ev. Lucae umschrieben und erläutert von Heinr. *Pape*, 1. und 2. Hälfte, Bremen, 1777. 1781. 8. *Mori* praelectt. in ev. Lucae ed. *Donat*, Lipſ. 1795. 8. (methodo interpretandi insignes.) Selecta e scholis *Valquenarii* in libros quosdam N. T. ed. *Wassenbergh*, T. I. (scholia in Lucam), Amstelod. 1815. 8. Symbolas continent erudite collectas ad interpretationem singularum vocum grammaticam. *Schleiermacher* kritischer Versuch über die Schriften des Lucas, 1. Th. Berlin, 1817. 8. (de pluribus locis singulis recte explicandis ingeniose differit.) In *Ioannem:* Iac. *Semmler* paraphrasis et notae in ev. Io. ed. II. Halis, 1786. II. Volumm. *Mosheim* Erklärung des Ev. Joh. aus s. Vorlesungen herausgeg. von *Jacobi*, Weimar, 1777. *Mori* recitationes in ev. Io. ed. *Dindorf*, Lipſ. 1796. 8. Johannis Evang. hebraismenfrey übersetzt und philosophisch erklärt von *Oertel*, Görlitz, 1795. 8. Die Schriften des Johannes übersetzt und erklärt von Gottl. *Lange*, III. Volumm. Neu Strelitz und Weimar, 1795—1797. 8. (Vol. II. evangelium continet.) Christ. *Tittmann* meletemata sacra sive commentarius exegetico-critico-dogmaticus in ev. Io. Lipſ. 1816. 8. Das Evang. Joh. übersetzt und mit ausführlichen Erläuterungen versehen von *Breitenstein*, Marburg, 1813. 8. *Lücke* Commentar über die Schriften des Ev. Johannes, 3 Theile, Bonn, 1820. 1825. 8. *Tholuck* Commentar zu dem Ev. Joh. Hamburg, 1827. 8. H. *Klee* Commentar über das Evangelium nach Johannes, Mainz, 1829. 8. Das Evangelium des Johannes erläutert von M. *Wirth*, 2 Theile, Ulm, 1829. 8. Prae ceteris eminent Semmleri, Langii, Tittmanni, Lückii, Tholuccii, Kleii scripta laudd. Ceterum cfr. *Münter* symbolae ad interpretationem ev. Io. ex marmoribus et nummis, maxime graecis, Hauniae, 1826. 4.

ISAGOGES SPECIALIS

PARTIS PRIMAE CAPUT POSTERIUS.

DE LIBRO ACTUUM APOSTOLICORUM.

§. 44.

Librum, qui inscribitur: πράξεις τῶν ἁγίων ἀποστόλων [1]), argumentis, quae sufficiunt, et externis [2]), et internis [3]), eidem Lucae, qui evangelii auctor exstitit (§. 31.) recte vindicamus.

1) *Res gestae* intell. ut lat. *acta* dicitur. *Isocr.* Evag. c. 7. *Xenoph.* Cyrop. 1, 3. 1. *Curtius* 8, 1. al. Antiquam esse inscriptionem et testimonia docent versionum antiquarum (praesertim *syriacc.*) et patrum vett. effata, v. c. *Orig.* contra Celsum l. 6. §. 11.

2) Loca quaedam *patrum apostolicorum* ita comparata sunt, ut effata huius libri ante oculos habuisse videantur. *Ignatii* ep. ad Smyrnn. c. 3. *Polycarpi* ep. ad Philipp. c. 1. Similiter se habet cum effato *Iustini Mart.* dial. cum Tryph. p. 302. ed. Colon. Luculentissimis vero testimoniis πράξεις τῶν ἀπόστ. *Lucae* tribuuntur apud *Irenaeum* adv. haerr. l. 3. c. 14. §. 1. 2. c. 15. (loca Actorum plura ib. l. 3. c. 12. laudd.). *Clementem Alexandr.* stromm. l. 5. p. 588. ed. Sylburg. *Tertull.* de ieiuniis c. 10. de bapt. c. 10. contra *Marc.* 5, 2. *Origenem* contra Celsum l. 6. §. 11. *Eusebium* hist. eccles. l. 3. c. 25. *Hieronymum* catal. scriptt. eccles. sub v. *Lucas* et in epist. ad Paulinum 6. Tardius quidem cognitionem usumque huius libri inter Christianos veteres propagatum fuisse ex loco *Chrysostomi* patet in homilia I. in Acta App. complures et prorsus hunc librum ignorare, et de vero illius auctore ambigere observantis [quanquam idem homil. 66. Acta App. multis in ecclesiis post festum Paschatos publice praelegi testatur.] Add. *Photius* quaest.

Amphiloch. 145. ubi plures hunc librum vel Barnabae, vel Clementi Rom. tribuisse dicuntur. Rationibus *dogmaticis* repudiarunt πραξεις των αποστ. *Ebionitae* (*Epiphan.* haer. 30, c. 16.) *Marcionitae*, haud dubie in iis omnibus offendentes, quae in Actis App. subinde de nexu quodam Mosaismi et Christianismi, itemque de accommodatione, qua Paulus interdum Iudaeo-Christianis aliquid concesserit, dicuntur v. c. c. 16, v. 3. c. 21, v. 26. (*Tertull.* adv. Marc. l. 5. c. 2. *Epiphan.* haer. 42, c. 9.) *Manichaeorum plures*, promissionem Domini de Spiritu sancto mittendo in suo demum haeresiarcha Manichaeo eventum habuisse adfirmantes (*August.* de utilitate credendi c. 2. N. 7. epist. 237. al. 253. n. 2. contra Adim. c. 17. n. 5. contra Faustum l. 19. c. 31. al.) *Severiani* ciborum discrimen urgentes (*Euseb.* hist. eccl. 4, 29.)

3) a) Versu primo cap. I. auctor ipse illius, quem *prius* scripserit, libri de factis Christi sermonibusque, mentionem ita facit, ut quivis intelligat (collata insuper narratione v. 3—14. cum iis, quae sub finem ev. Lucae leguntur), πράξεις των αποστ. *partem* complecti *posteriorem* eiusdem commentarii historici, cuius priorem Lucas evangelio consignando exhibuerit. Cfr. prooemium evang. 1, 1—4. b) Eundem alloquitur Theophilum, cui evang. Lucae dicatum fuerat. vd. §. 33. nota 1. c) Loca *Actt.* §. 31. nota 7. laudd. auctorem libri tanquam comitem Pauli assiduum describunt, qualem fuisse Lucam ex Pauli epistolis constat §. 31. nota 2. Nec desunt voces et formulae, quae Lucam *medicum* arguant. *Actt.* 3, 7. 13, 11. 28, 8. d) Eadem apparet utriusque libri elocutio, sive totum dicendi genus, sive singulas voces Lucae, evangelii auctori, *praesertim familiares* spectaveris. Vd. §. 34. nota 10. Quemadmodum hebraismi s. aramaeismi in nonnullis evang. Lucae sectionibus magis eminent, quam in ceteris (§. 32. nota 7.), ita pars posterior Actorum graecitatem exhibet puriorem, hebraismis raro adspersis, prior plura continet ad hebraicum dicendi genus attemperata (non tantum in sermonibus Petri 2, 14. ff. 3, 12. ff. 4, 8. ff. 5, 29. ff. sed etiam in ipsis rebus gestis narrandis obvia, 1, 15. 25. 2, 1—4. και saepius repetitum. 4, 5. 7. 5, 12. 20. 6, 1. 5. al.) Usurpavit quippe Lucas pluribus locis documenta sermone hebr. s. syro-chald. consignata. Sed illis etiam sectionibus Actorum, quae ad dicendi genus hebraicum frequentius accedunt, multa inesse videmus ele-

ganter scripta (v. c. 3, 1—8. 4, 13. ff. 5, 21. ff. 6, 9. ff.) multasque voces et phrases Lucae evangelistae praecipue dilectas (vd. §. 34. nota 10. *Eichhorn* Einl. Vol. II. p. 42. sq.) Ceterum neminem potest mirum habere, quod exercitatio graece scribendi evangelio consignando comparata multum contulerit ad orationem Lucae graecam in Actis Apostt. (parte potissimum posteriori) magis expoliendam. — De dubitationibus nuper a V. *De Wettio* (Einl. in das N. T. p. 203) excitatis sic iudicamus. a) Verba prooemii ev. Lucae 1, 2. (vd. §. 15. nota 5.) non ita debent intelligi, ut auctor negare existimetur, se aliquam partem eorum, quae in Actis App. (praesertim de Pauli fatis laboribusque) enarrentur, tanquam testem cognovisse oculatum. Ab iis tantum se distinguit, qui rerum consummatarum testes oculati fuerit ἀπ' ἀρχῆς (*Iesu Christi* sermonum factorumque auditores et spectatores.) Praeterea, quanquam Lucas, postquam ad Acta App. scribenda animum appulerat, illud evangelii prooemium haud dubie etiam ad librum Actt. referri voluit, quaeritur tamen, an omnino cogitaverit de commentario suo per πράξεις ἀποστ. continuando, quo tempore *initium faceret* evangelii scribendi? b) Quod loca attinet, quae aliis testimoniis contradicere videantur, si vel concessum fuerit, Actt. 5, 36. coll. Iosephi antiqq. Iudd. 1. 20. c. 5. §. 11. anachronismum occurrere (quem h. l. admitti nolunt, qui probe observant, alium existimari posse Theudam seditiosum, quem Gamaliel, alium, quem Iosephus commemoraverit, vd. Lightfoot horae hebrr. et talmudd. ad h. l. *Orig.* contra Celsum l. 1. c. 11. l. 6. c. 11.), itemque, verba Petri Actt. 1, 18. relata ab ea de morte Iudae Cariotensis traditione, quam Matthaeus 27, 5. secutus fuerit, discrepare, sermonemque Lucae Actt. 9, 27. (πρὸς τοὺς ἀποστόλους) minus accuratum apparere, de duobus tantum apostolis intelligendum (ep. *ad Gal.* 1, 18. 19.); ex his similibusve non sequitur, *Lucam* non posse auctorem voluminis haberi. De locis *Actt.* 9, 7. 22, 9. invicem conciliandis plures interprr. monuerunt, vocab. φωνὴ utroque l. non prorsus eodem sensu esse positum. De loco *Actt.* 11, 30. an recte conferatur effato Paulino ad Gal. 2, 1. ad hanc Pauli epist. infra videbimus. c) Quum Lucas Acta App. consignaturus minime hoc egerit, ut *omnia* Pauli fata et itinera persequeretur, in eo offendere non possumus, quod Pauli epistolae subinde eiusmodi res gestas vel aperte commemoraverint, vel posuerint, qua-

rum historia in Actis App. desideretur, v. c. ad *Gal.* 1, 17. coll. *Actt.* 9, 22. ff. Item, quod Paulus ad *Gal.* 1, 18. ff. ubi *paucis* defungitur narratione primi, quod post conversionem fecerit, itineris Hierosolymitani, silentio omittit, quae in *Actis App.* 9, 27. (de Barnaba) 22, 17. (de ἐκστάσει) dicuntur, minime probat, ex traditione vaga haec desumta esse. d) Persuasio de rebus prorsus mirabiliter gestis (σημείοις), quocunque tandem modo interpretes nostri de iis recte intelligendis iudicaverint, non potest ab ingenio et indole ullius scriptorum N. F. aliena existimari. Iesum Christum post resurrectionem in coelos adscendisse (*Actt.* 1, 9.), ceteri quoque Apostoli persuasione sanctissima docuerunt, etsi *modum* rei non accuratius definierint. Cfr. de authentia libri *Guericke* Beyträge zur historisch-krit. Einl. p. 74. ff.

§. 45.

Argumentum et ¹) oeconomia totius libri facile docet, historiam plenam et integram omnium, quae primis temporibus, post abitum Servatoris de terra usque ad captivitatem Pauli Romanam, in ecclesia Christiana accidissent, non esse hoc volumine propositam ²). Subtilius item, quam verius disputasse videntur, qui de argumento quodam limitibus angustioribus circumscripto, vel historico, vel dogmatico cogitaverunt, cui pertractando Lucas singulas omnes commentarii partes inservire voluerit ³). Continuavit Lucas commentarium priorem evangelio exhibitum, in usum Theophili et originem praedicationis evangelii publicae, et, quem inter ipsas Christianorum vexationes habuerit, successum prosperrimum, atque res gestas legatorum Christi, prae ceteris Petri et Pauli, enarraturus (iis potissimum tractandis, quae scriptori accuratius, quam alia multa, innotuissent), ut Theophilus, hucusque sermonibus ore propagatis edoctus, de his quoque rebus Christianis documentum haberet scriptum, fide dignissimum ⁴).

1) Res gestae potiores in Actis App. enarratae hoc ordine leguntur: a) Caput I — C. VII. ex. Post abitum Christi de terra discipuli eius et familiares, summa animorum concordia iuncti, sodalem novum eligunt. Die festo Pentecostes promissum Servatoris de adiumento πνευματος αγιου familiaribus suis futuro ita eventu comprobatur, ut apostoli coram omnibus inpavide Iesum praedicent Messiam, *Petro* potissimum praeeunte, *coetusque* Christianorum oriatur *Hierosolymitanus*. Increscit ecclesia, factis insignibus institutionem apostolorum adiuvantibus, quanquam legati Servatoris inimicitiam acerbam synedrii assessorum experiuntur. Martyrium subit Stephanus. b) Caput VIII — C. XIII. Doctrina apostolica *extra Hierosolymas* praedicatur, haud paucis eorum, qui Hierosolymis Christum profitebantur, vexatione per varios tractus Iudaeae et Samariae dissipatis. Philippus, Petrus, Ioannes Samaritanis de Christo edocendis consulunt. Aethiops quidam aulicus per Philippum doctrinae evangelicae conciliatur. Saulus Pharisaeus (posthac *Paulus*), qui Christianos odio gravissimo persequutus fuerat, singulari ratione ad Christum convertitur, eumque, suscepto Apostoli munere, tanta libertate palam praedicare incipit, ut Damasci pariter atque Hierosolymis insidias Iudaeorum experiatur. Quo facto Christiani Palaestinenses aliquamdiu rebus utuntur pacatis. Eodem tempore *Petrus* itineribus variis coetus adit Christianos in Iudaea, Galilaea, Samaria versantes, factis insignibus auctoritatem eius apostolicam animumque ad opem aliis ferendam promtissimum declarantibus. Visione edoctus de consilio Dei sanctissimo gentiles pariter atque Iudaeos ad consortium regni divini invitandi, prima vice Caesareae homines *ethnicos* de Christo accuratius edocet, eosque iubet lavacro sacro initiari. Quo facto ceteri quoque Apostoli profitentur, ab hoc inde tempore hominibus omnium gentium aditum patere ad sacra Christiana. De incrementis ecclesiae *Antiochenae* ex illa Christianorum dissipatione, quae post Stephani caedem exstiterat, oriundae certiores redditi Barnabam Hierosolymis mittunt Antiochiam, qui, Paulo socio deinde assumto, per integrum annum et augendo et confirmando coetui Antiocheno egregie consulit. Uterque posthac Hierosolymas mittitur ad famem pauperum pecunia collecta sublevandam. Redeunt Antiochiam Ioanne Marco comite. [Interponitur narratio supplicii de Iacobo maiore sumti Herode Antipa-

iubente, captivitatis Petri per nuntium Domini mox vinculis liberati, mortis Herodis Ant. ignominiosae.] c) Caput XIII — C. XXI, v. 16. *Paulus, consilio prophetarum Christianorum Antiochiae versantium obsequutus primum iter suscipit, doctrinam Christi inter gentes promulgaturus, assumtis Barnaba atque Ioanne Marco.* Seleuciam lustrant, Cyprum (ubi pseudopropheta quidam Paphi versans poena adficitur, facto insigni per Paulum edito), Pamphyliam. Quo facto Paulus et Barnabas, Ioanne Marco ab iis digresso, Antiochiam *Pisidiae* urbem, Iconium, Lystram, Derben adeunt. Lycaonia vero digressi, per Pisidiam et Pamphyliam profecti, lustratis Perge et Attalia, itinere maritimo *redeunt Antiochiam, Syriae* urbem. [Quomodo Paulus Antiochiae in Pisidia Christum praedicaverit, quo plausu fuerit exceptus, quam graviter deinde Iudaeorum multi Paulum Barnabamque et Antiochiae et Iconii vexaverint, quanta modestia et religione uterque honorem divinum sibi exhibendum inter ethnicos Lystrenses deprecatus fuerit, quam violentas manus Iudaei in eadem urbe Paulo intulerint, uberius enarratur.] *Iterum Paulus, Barnabas et alii quidam Antiochia mittuntur Hierosolymas,* cum Apostolis Presbyterisque de quaestione deliberaturi, an homines ethnicos, qui ad religionem Christianam transierint, circumcidi oporteat? Quo Apostolorum concilio peracto, comitibus Iuda et Sila, litteras, quibus decreta apostolica fuerant consignata, ad Antiochenos perferunt. *Novum ad gentes iter Paulus suscipit,* adsumto Sila (quum Paulum inter Barnabamque dissidium exstitisset), cui posthac Timotheum addidit. Et primum quidem varias lustrant regiones Asiae minoris. Deinde, relicta Troade (ubi Lucas coeperat Paulo comitem se adiungere), in Macedoniam traiiciunt. Peragratis Macedoniae oppidis, Paulus, Timotheo et Sila Beroeae relictis, Athenas, inde Corinthum proficiscitur. Corintho digressus itinere maritimo, comitibus Aquila et Priscilla, Ephesios adit, *reditque,* Caesarea Palaestin. lustrata, *Antiochiam.* [De laboribus et aerumnis Pauli et Silae inter Philippenses in Macedonia exantlatis, de exitu honorifico, quem utriusque captivitas in illa urbe habuerit, de Iudaeis et Thessalonicae et Beroeae Paulo insidiantibus, de sermone Apostoli egregio unum verum Deum Atheniensibus praedicante, de rebus Corinthi diutius gestis, usque dum tumultus ingens contra Paulum excitatus fue-

rat, uberius exponitur.] Aliquamdiu Antiochiae commoratus *adit Paulus tertio ad gentes itinere* (C. XVIII, v. 23. ff.) regiones Galatiae et Phrygiae. Quo facto per biennium Ephesiis operam suam addicit, et docendo et facta edendo insignia. Impetu vero hostili, sedato quidem per magistratum Romanum, discedere coactus, Macedoniam Graeciamque revisit. Ex Macedonia cum Luca Troadem, Asiae minoris urbem traiicit, ubi Paulus, in conventu sacro ad seram noctem docens, iuvenem quendam ex fenestra delapsum restituit. Ulterius provecti, oram Asiae minoris legentes, Miletum veniunt, quo convocatis ecclesiae Ephesinae senioribus valedicit Paulus, eorumque animos confirmat. Lustratis deinde Co (insula), Rhodo, Patara Tyrum Phoeniciae appellunt, deveniuntque Ptolomaidem. Inde terrestri itinere Caesaream (Palaest.) proficiscuntur. [Observatur constantia, qua Paulus recusaverit consiliis obsequi amicorum sedulo dehortantium, ne Hierosolymas proficisceretur.]
d) Caput XXI, v. 17. usque ad finem Cap. XXVIII. *Hierosolymis Paulus fata experitur praedicta.* Quanquam sedulo cavet, ne legem Mosaicam contemnere videatur, Iudaei tamen, qui ex Asia Hierosolymas venerant, tumultum plebis contra Paulum excitant. Actum fuisset de vita Apostoli, nisi tribunus cohortis Romanae eum, manibus hostium ereptum, vinctumque in castra stativa deduci iussisset. Causam dicit coram populo, mox interruptus vociferatione tumultuantium. Solutus vinculis apologiam perorat coram synedrio, ita ut inter ipsos synedrii assessores controversia de Paulo vel absolvendo vel condemnando oriatur. Deductus iterum in castra stativa, certior factus, Iudaeos de ipso clam interficiendo conspirasse, Tribuno cohortis rem indicari iubet. Quo facto Tribunus Apostolum, militibus custoditum, Caesaream mittit, eiusque causae cognitionem Felici, Procuratori Iudaeae, litteris ad eum datis, commendat. Caesareae Paulus, a Iudaeis rite accusatus, causam dicit coram Felice, et, quanquam nullius convincitur criminis, captivus tamen per biennium asservatur. Quo biennio exacto Apostolus iterum et coram Porcio Festo, Felicis successore, et coram rege Agrippa adversus crimina sibi intentata sese defendit, tandemque, iure usus civitatis Romanae, ad Caesarem provocat Romanum. Itaque Romam deducitur, cum pluribus captivis, Luca quoque et Aristarcho comitibus. Quo delatus (superato itinere admo-

dum periculoso, naufragium quippe, passi fuerant prope Maltam), per biennium in custodia remissiore habetur. — De *chronologia* libri (cuius descriptio accuratior saepenumero difficultatibus est obnoxia, quum Lucas nunquam *annum* rei gestae apponat, diligatque phrases parum definitas: κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, ἐν ταύταις ἡμέραις, etc.) cfr. *Schmidt*: Analekten für das Studium der exeget. und systemat. Theol. von *Keil* und *Tzschirner*, 8. B. 1. St. 1816. *Süsskind*: *Bengel* Archiv für die Theologie 1. B. 1. und 2. St. 1815. *Heinrichs* in comment. infra nota 4. laud. prolegg. p. 52. ff. *Kuinoel* in comment. nota 4. laud. prolegg. p. XXII. ff.

2) Desiderantur quippe plura, in aliis libris N. F. commemorata, v. c. ad *Gal.* 1, 17. 2, 11. ff. ad *Romm.* 15, 19. 2 *Corinth.* 11, 25. sq. Nihil exposuit scriptor de primordiis ecclesiae Philippensis, Thessalonicensis, Romanae, aliarumque. Nullius Apostoli, praeter Petrum et Paulum, res gestas uberius persequitur.

3) Quanquam ex libro Actorum omnino cognoscimus, *eventu comprobata esse, quae Iesus Christus, priusquam de terra discederet, discipulis de πνευματι αγιω promisisset;* in posteriore tamen libri parte πνεύματος ἁγίου *rarius* mentio facta est. *Providentiae divinae in fatis laboribusque Apostolorum gubernandis conspicuae* vestigia luculentissima nobis obveniunt, perlustrantibus Acta Apostolorum. Attamen, quo minus Lucam in hoc veluti *themate primario* pertractando elaborasse adfirmemus (vd. *Haenlein* Handbuch der Einleitung T. III. p. 156. ed. II.), inpedit, quod indicia huius consilii perspicua desiderantur. Praeeuntibus aliis existimatur Lucas sententiam illam gravissimam, cuius defensor acerrimus inter Apostolos Paulus exstitit, illustrare et comprobare voluisse, *gentilibus pariter atque Iudaeis aditum patere ad regnum divinum per Christum nuntiatum et institutum.* Vd. *Michaelis* Einl. Vol. II. ed. IV. p. 1178. *Haenlein* l. l. (quanquam uterque, *pluribus* de caussis hunc librum litteris consignatum fuisse, concedit.) *Paulus* progr. de consilio, quo scriptor in Actibus App. concinnandis ductus fuerit, Ienae, 1794. (insertum libro: introductionis in N. T. capita selectiora p. 287.) *Frisch* comment. utrumque Lucae commentarium de vita, dictis, fatisque Iesu et Apostolorum, non tam historicae simplicitatis, quam ar-

tificiosae tractationis indolem habere, Fribergae, 1817. 4. Permulta quippe, praesertim de Pauli sermonibus factisque enarrata, huic sententiae egregie conveniunt. Repugnat vero argumentum indolesque eiusmodi sectionum, quae nihil continent, quod huic potissimum themati illustrando inserviat (cfr. 2, 43 —. c. 5. ex. c. 7. c. 12. itemque haud pauca, quae enarratio fatorum Pauli uberior c. 21. ss. complectitur.) B. *Eichhornio* Einl. Vol. II. p. 23. ss. sententiam modo laud. refutanti probatum est (p. 19. ss.), voluisse Lucam *capita enarrare praecipua historiae legationum diversarum* (itinerum apostoll.), *quibus religio Christiana in diversis regionibus, primis quidem temporibus, propagaretur.* Licet omnino, quae maiori parte commentarii Lucae continentur, huic subiicere themati. Desideramus vero, hac ratione probata, causam idoneam, quare scriptor c. I — c. VII. de origine et statu ecclesiae Hierosolymitanae, itemque a Cap. inde XXI. de captivitate Pauli copiosius exposuerit, de ceteris vero Apostolis eorumque itineribus pauca dixerit.

4) Quae Lucas *Act.* c. 1. v. 1. 2. paucis praefatus est, nexum huius voluminis cum commentario prius edito indicaturus, comparanda sunt prooemio *evangelii* c. 1, v. 1—4. de cuius sensu vd. §. 15. nota 5. Pependit scriptor, quum plura quidem copiosius persequeretur, alia vel breviter percurreret, vel prorsus omitteret, haud dubie a fontibus suis. Experiundo ipse cognoverat haud exiguam partem laborum fatorumque Pauli Apostoli. Unde factum, ut narratio Lucae in his potissimum rebus gestis amplius exspatiaretur. Accedebat forsitan, quod probe noverat, accuratiorem rerum Petri *Paulique* cognitionem Theophilo suo praecipue curae cordique fuisse. Cfr. *Ziegler* über den Zweck, die Quellen und die Interpolationen der Apostelgeschichte, in: *Gabler* Journal für theol. Litteratur, 1. B. 2. St. 1801. *Bertholdt* Einleit. Vol. III. p. 1334. *Heinrichs:* N. T. graece perpet. adnot. illustratum, editionis Koppianae Vol. III. partic. I. II, Gott. 1809. 1812. 8. (prolegg. partic. I. p. 10. ss.) *Kuinoel* comment. in libros N. T. historicos Vol. IV. ed. II. Lips. 1827. prolegg. p. XXI. *Hildebrand* die Geschichte der Apostel Jesu nach Lucas bearbeitet exegetisch und hermeneutisch, Leipzig, 1824. 8. Einleit. p. 5. ss. *De Wette* Einl. p. 202. Ceterum de consilio huius libri commentatio legitur *Moelleri* in l. theologische Bibliothek 2. B.

Kopenhagen, 1812. (cuius accuratius cognoscendae opportunitas mihi defuit.)

§. 46.

Fontem narrationum hoc volumine litteris proditarum triplicem fuisse recte existimamus. Haud pauca quippe Lucas experiundo ipse cognoverat [1]). Alia facile ei innotescere potuerunt sermonibus eorum, qui testes fuerant oculati [2]). Denique etiam documenta scripta usurpavit. Cuius rei vestigia exstant luculentissima, etsi non possit de singulis omnibus libri partibus accuratius constitui, quousque documenti litteris consignati usus pertinuerit [3]).

1) Interfuit enim rebus gestis *Pauli* ab eo inde tempore, cuius mentio *Actt.* 16, 10. facta.

2) Ex ipsius Pauli ore plura accepisse videtur. Innotuit item per Paulum aliis Apostolis, virisque apostolicis. Et, quo tempore Paulus Caesareae captivus versabatur, in Palaestina diutius commoratus est.

3) Constat ex prooemio ev. Lucae (§. 15. nota 5.) scriptorem omnino, studiosius quaesivisse, quae tum temporis scripta exstarent de rebus Christianis. Quemadmodum vero de ipsius Iesu Christi dictis, factis, fatisque plura iam litteris breviter consignata fuerant, priusquam Lucas commentarium suum adgressus est (ev. 1, 1.), ita etiam prodire mox potuerunt, qui de huius illiusve Apostoli rebus gestis sermonibusque notatu praecipue dignis aliquid litteris demandarent, in usum quidem Christianorum singulorum. Neque inprobabiliter coniicimus, vel ipsum Paulum, vel Lucam, aliumve ex Pauli sodalibus, (quo tempore Apostolum comitaretur), sensim sensimque *itinerarium* adornavisse, cuius usus posthac fieret in consignandis Actis Apostolorum. Descriptio certe itineris Pauli Caesarea Romam facti *Actt.* c. 27. 28. huic coniecturae eximie favet. Nolim quidem sententiae eorum calculum addere, qui documenta illa, quibus Lucam usum esse contendimus, in scriptis quibusdam apocryphis apud veit. subinde commemoratis deprehendisse sibi videntur.

praeeunte potissimum *Zieglero* in comment. §. 45. nota 4. laud. Illa enim, quae apud *Fabricium* in codice apocr. N. T. P. I. p. 402 ss. latine exstant, Acta Apostt. decem libris comprehensa (s. historia certaminis Apostolici adscripta Abdiae, primo, ut ferunt, Babyloniae episcopo), seriorem produnt originem, ex Actis App. Lucae et evangeliis nostris maximam partem consarcinata. Itemque nemo dubitat, alia quaedam huius generis scripta, nonnullis Christianorum familiis usurpata (Fabricii cod. apocr. P. I. p. 759. ss.) aevi esse serioris. De libro: κηρυγμα Πετρου (vd. *Clemens Alex.* stromm. I, 6. p. 635. 636. itemque in ἐπιτομαῖς ἐκ τῶν Θεόδοτου p. 809. ed. Sylb. *Euseb.* hist. eccl. 3, 3. *Hieron.* catal. scriptorum eccl. sub v. *Petrus*) parum *certo* constat, quo tempore consignatus fuerit, eiusque fragmentorum, quae Clemens servavit, duorumque Lucae locorum exigua est similitudinis species. Nec magis exploratum, quo tempore Lucas scriberet, illas exstitisse πράξεις τοῦ Πετροῦ, apud *Eusebium* et *Hieronymum* locis laudd. inter scripta apocrypha relatas (cfr. *Origenes* comment. in Io. T. XX. ed *Ruaei*, Vol. IV. p. 322.). Quod librum attinet apud *Isidorum Pelus.* l. 2. ep. 99. ad Aphrodisium commemoratum, in utramque partem disceptatur, utrum solius Petri, an omnium Apostolorum Acta quaedam intelligantur. Vd. de his omnibus *Riehm* dissert. critico-theologica de fontibus Actuum Apostolicorum, Traiecti ad Rhenum, 1821. p. 163. ss. Attamen, ut Lucam scripta varii generis breviora, aetati nostrae incognita, adhibuisse conseamus, haec argumenta suadent. a) epistolae *verbotenus* leguntur insertae c. 15. v. 23. ss. c. 23. v. 26. ss. [Quam parum recte Lucas has epistolas ipse composuisse, suaeque narrationi accommodasse existimetur, epistola docet posterior 23, 26. ss. ubi *Lysias* partim silentio prudenter omittit, quod Lucas 22, 24. sq. de Paulo loris caeso narraverat, partim v. 30. παραγγείλας δὲ τοῖς κατηγόροις etc. ea adiicit, quae in epistola ad Procuratorem data deesse non poterant, apud Lucam c. 22. salva narrationis perspicuitate praetermissa.] b) priori parte Actorum *Petri* Apost. sermones, res gestae, fata (quibus Lucam non ipsum interfuisse novimus) *prolixius* enarrantur, nominibus adeo hominum, qui parum innotuerant, accurate commemoratis, cfr. 4, 6. 9, 33. 36. 43. 12, 13. De ceteris Iesu legatis paucissima obveniunt. Petrum tantum loquentem audimus. Attamen, quo minus Lucam, priusquam ad Paulum nar-

rando se converteret, *vitam Petri integram* continua rerum serie persequi voluisse existimemus, plura inpediunt huic priori Actorum parti inserta, ab eiusmodi consilio aliena; videmusque historiam rerum ad Petrum spectantium c. 12. desinentem, nec posthac continuatam. Immo, ut Lucas hanc periodum vitae Petri copiosius persequeretur, usus *documenti cuiusdam scripti*, has potissimum de Petro narrationes continentis, fecisse videtur, quod, quum ipse accurate scriptum ac fide dignum esse intellexisset, commentario suo *integrum* inserere voluit, nec omittendis, quae auctor documenti observasset, nec aliunde addendis, quae ille non tetigisset. c) apologia *Stephani* martyris c. 7. quanquam universe spectata animo et ingenio huius viri (sapientis ac dicendi periti, Actt. 6, 10.) probe est accommodata, tanta tamen ubertate historiam Israelitarum ab Abraamo inde ad Davidem usque (veluti sermo placide docens) persequitur, ut parum probabiliter Stephanum *haec omnia* perorasse iudicemus. Videtur omnino, qui Stephani sermonem auditum eiusque martyrii historiam brevem memoriter litteris consignavit, verbis Stephani subinde ampliorem rerum Israeliticarum expositionem inseruisse, vel ex ipsius scriptoris mente profectam, vel ex aliis Stephani orationibus memoria reconditis desumtam. d) Quaeritur, unde factum fit, ut Lucas et *plures eiusdem generis orationes integras exhiberet* (v. c. *Actt.* 3, 12. ff. 4, 8. ff. ex Paulinis *Actt.* 24. 10. ff. 25, 8. ff. 26, 2. ff.) et *eiusmodi sermones, qui copiosius repeterent, quae alio loco iam satis dilucide tractata fuissent atque enarrata* (cfr. c. 11, 5—17. coll. c. 10. itemque c. 26. v. 12. ff. coll. c. 22, v. 6. ff. c. 9. v. 3. ff.), *quum idem alios plures et Petri et Pauli sermones, qui haud dubie aeque memorabiles essent, omitteret, argumento primario breviter indicato* (*Actt.* 2, 38. ff. 14, 27. 17, 3. 20, 7. 21, 18. sq.), quanquam nonnullis harum Pauli orationum ipse interfuisset? Cuius delectus singularis rationem idoneam frustra indagaveris, nisi concedas, hoc fuisse Lucae propositum, ut eiusmodi tantum orationes, quas vel ipse vel alii *litteris mandavissent*, easque *integras*, commentario suo insereret, iis vero omnibus, de quibus *nihil scriptum* deprehendisset, commemorandis breviter defungeretur. Accedit, quod Lucas *praecipuam operam* dedit iis Pauli orationibus enarrandis, quae recitatae sunt, quo tempore Apostolus Lucam perpetuum habuit comitem, c. 20. seqq. *paucis*

§. 47.

In promtu est, narrationem Lucae ad eum usque locum, ubi subsisteret (C. XXVIII. v. 30. 31.) pervenire non potuisse ante finem anni secundi captivitatis Pauli Romanae, annumve insequutum [1]). Utrum vero scriptor eo ipso, quod diximus, tempore, an serius haec postrema litteris consignaverit, argumentis certis effici nequit. Versus ultimi capitis XXVIII. non demonstrant, quum Lucas haec scriberet, caussam Pauli nondum fuisse transactam. Quidni enim existimetur Lucas vel consulto omisisse cetera Pauli fata Romana, si forte compertum haberet, Theophilo suo (Romano) aliisque multis haec omnia aliunde innotuisse [2]); vel cogitavisse quidem de narratione continuanda, sed, quum ad locum laudatum pervenisset, caussa nobis incognita (sive hoc ante, seu post liberationem mortemve Pauli fieret), quo minus proposito staret, impeditus esse [3]); vel denique plura scripsisse, temporum iniuria non servata? Attamen, quum Lucae apud Paulum captivum Romae versanti et otium suppeteret, et varii generis praesidia in promtu essent ad commentarium componendum, licet omnino probabilitate summa colligere, Acta App. maximam certe partem biennio illo Romae esse elaborata [4]).

1) i. e. (secundum eam, quam plerique ineunt, annorum vitae Pauli computationem) non ante annum post C. N. 62. aut 64.

2) Cfr. *Hug* Einleitung etc. Vol. II. p. 270. sq. ed. II.

3) Probaverunt hanc sententiam *Heinrichs* in prolegomm. comment. laud. p. 286. ss. *Kuinoel* in prolegg. p. XXXVII. *de Wette* Einl. p. 207. alii. Desiderantur sub finem capitis XXVIII. quae clausulam contineant. Aliter sese habet cum *evangelio* Lucae, in commemorando abitu Christi in mundum invisibilem subsistente. Neque negari potest, verba c. 28. v. 30. ἔμεινε δὲ ὁ Παῦλος διετίαν ὅλην

ἐν ἰδίῳ μισθώματι ita se habere, ut lector facile exspectet aliquam domicilii Pauli commutationem in sequentibus enarrandam.

4) Argumentis parum probabilibus nituntur, quae nonnulli coniecerunt, Lucam vel in Graecia, vel Antiochiae, vel in Alexandria Acta App. consignavisse. De *Roma* admodum probabiliter cogitavit *Hieron.* catal. scriptt. eccl. c. 17. Cfr. *Bolten* in libro §. 46. nota 3. ex. laud. praef. *Heinrichs* prolegg. p. 46. sqq. *Riehm* comment. laud. p. 28. ff. *Paulus* in progr. §. 45. nota 3. laud. p. 10. ff. Sententia *De Wettii*, Lucam post eversionem demum Hierosolymarum scripsisse existimantis, (Einleit. p. 207.), iis coniunctissima est, quae de *evangelio* Lucae disseruit. Cfr. §. 33. nota 4. — De *textu* graeco huius libri in aliqua codicum antiquissimorum parte et interpolato et varie immutato vocibus singulis transponendis, corrigendis, uberius explicandis, vd. *Ziegler* comment. §. 45. nota 4. laud. p. 152. ff. *Eichhorn* Einl. Vol. II. p. 83. ff. *Binck* lucubratio critica in Acta Apostt. epistolas catholicas et Paulinas, Basileae, 1828. 8.

Libri exegetici, interpretationi Actorum App. inservientes.

1) Ex *scriptis antiquiorum ecclesiae doctorum: Euthalii* (Saec. V.) comm. in Acta, 14. epp. P. et epp. cath. per Zacagninum, Romae, 1698. *Chrysostomi* homiliae in eius Opp. *Theophylacti* scholia (Saec. XI.) in eius Opp. studio *Finetti* et *Bongiovanni* edd. Venet. 1754—63. IV. Voll. fol. *Oecumenii* (Saec. X.) ἐξηγήσεις παλαιαί, in Acta App. et Pauli epistolas, ex Origene, Chrysostomo, aliisque collectae, graece et latine interprete *Hentenio* emendatore *Morello*, Paris. 1630. 2 Voll. forma max. 2) Ex libris *tempore emendationis sacrorum* editis: *Ionae* adnotatt. in Acta, Viteb. 1524. *Bullingeri* comment. in Acta, Tiguri, 1533. 8. 3) *Ex scriptis recentioribus* (omissis quidem h. l. pluribus, quorum commentarii cetera quoque scripta N. F. una cum Actis App. illustrantes supra ad finem capitis I. partis primae, sectionis II. de *evangeliis* canonicis disserentis, n. 2. a. b. α. commemorati sunt): *Wolfii* curae philologicae et criticae Tomus II.

Basil. 1741. 8. *Heumann* Erklärung des N. T. T. V. VI. Hannover. 1753. 54. 8. *Rosenmülleri* scholia in N. T. T. III. ed. IV. Norimb. 1793. 8. *Röper* exeget. Handbuch des N. T. 5. Stück, Leipzig, 1795. 8. ed. II. *Casp. Sanctius* commentarii in actus Apostl. Lugd. 1616. Colon. 1617. 4. *Zachar. Pearce* a commentary with notes on the Evangelist's, and the Acts of the Apostles, Voll. II. Lond. 1777. 4. *Thomas Pyle* Paraphrase über die Apostelgeschichte und die apostolischen Briefe des N. T. aus dem Englischen übersetzt mit Anmerckungen von *Küster*, 1. Th. Hamburg, 1778. 8. *Limborch* commentarius in acta Apostl. et in epp. ad Romanos et ad Hebraeos. Roterod. 1711. fol. *Lindhammer* der von dem heil. Evangelisten Lucas beschriebenen Apostelgeschichte ausführliche Erklärung und Anwendung, Halle, 1725. fol. *Biscoe* Erläuterung der Apostelgeschichte (c. 1—13.) aus dem Englischen übers. von *Rambach*, ed. II. Magdeburg und Leipzig, 1756. 4. *Ge. Benson* Geschichte der ersten Pflanzung der christlichen Religion, aus dem Englischen übers. von *Bamberger*, 1. und 2. Theil, Halle, 1768. 4. Imman. *Walch* dissertatt. in Acta Apostl. III. Volumm. Ienae, 1756. 59. 61. 4. (Ex his praesertim scripta Limborchii, Biscoei, Bensonii, Walchii, interpretationem libri historicam eximie adiuvant.) *Morus* versio et explicatio actuum apostolorum, edidit, animadversiones recentiorum maxime interpretum, suasque adiecit *Dindorf*, P. I. II. Lips. 1794. 8. (Prodiit hic liber post obitum B. Mori, ex eius schedis academicis parum diligenter collectus, et vitiose typis impressus.) Lucas Apostelgeschichte neu übersetzt, mit Anmerckungen, einer Einleitung und einem praktischen Commentar von D. *Thiess*, Leipzig und Gera, 1800. 8. lectioni cursoriae operam praestat haud inutilem. Selecta e scholis *Valquenarii* in libros quosdam N. T. editore Ev. *Wassenbergh*, T. I. Amstelod. 1815. 8. Scholia insunt, quae vocibus difficilioribus grammatice illustrandis inserviant. Ceterum, quae *Bolten*, *Heinrichs*, *Kuinoel*, *Hildebrand* in hunc librum commentati sunt, cuivis interpreti maxime commendanda (quanquam Boltenus singula tantum passim illustravit), supra §. 45. nota 4. ex. §. 46. nota 8. ex. laudavimus.

ISAGOGES SPECIALIS

PARS SECUNDA. DE EPISTOLIS NOVI FOEDERIS.

Caput Primum.

DE PAULI APOSTOLI EPISTOLIS.

§. 48.

Paulus [1]), qui olim Saulus dicebatur [2]), ex Tarso in Cilicia oriundus [3]), parentibus Iudaeis natus, quanquam puer artem tentoria fabricandi didicerat [4]), mox tamen animum adplicuit ad Theologiam Iudaicam subtiliter cognoscendam, Gamalielis, tum temporis inter doctores Hierosolymitanos sectae Pharisaeorum addictos incluti, scholae ac disciplinae traditus [5]), quo praeeunte in eruditione Iudaica celeriter multumque profecit. His studiis intentus, Pharisaeorum consuetudine perpetua usus [6]), tam acre religionis Christianae odium iuvenis inbibit, ut non tantum supplicia de Christianis sumta ex animo comprobaret, sed ipse etiam sectatores Christi [7]) persequeretur, multosque eorum custodiae traderet, auctoritate synedrii Hierosolymitani. Accidit autem aliquando, quum eodem consilio Damascum proficisceretur (circa annum post C. N. 40. aut 41. aerae Dionys.) ut modo prorsus singulari [8]) perspicue cognosceret, hanc sentiendi agendique rationem Numini Summo prorsus inprobari, Dominumque Christum velle, ut ipsum Servatorem profiteretur, eiusque religioni in his terris propagandae strenue inserviret. Cui voci divinae obsequutus, et sacrum subiit

lavacrum, et summa libertate coram Iudaeis Damascenis Iesum professus est verum Messiam, revelatione divina ipsius cognitionem et persuasionem Christianam amplius [9]) adiuvante. Quum tres annos Damasci transegisset [10]), per Iudaeos vitae eius insidias nectentes discedere coactus, primum quidem Hierosolymas lustravit [11]), deinde Syriam Ciliciamque adiit [12]), quo facto cum Barnaba per integrum annum docuit Antiochiae, obiitque legationem sibi et Barnabae demandatam, ut beneficia in usum Christianorum Palaestinensium, qui annona graviter adflicti essent, collecta Hierosolymas deportarentur [13]), anno 44. exeunte aut 45. ineunte. Reversus Antiochiam [14]), ab hoc inde tempore itineribus variis, (quibus consummatis Antiochiam redire solebat), cum Palaestinam, tum maxime regiones exteras, Asiam minorem, Macedoniam, Graeciam peragravit, tantaque et sapientia et libertate evangelium praedicavit (factis quoque insignibus auctoritatem eius adiuvantibus), tanta fortitudine et adversarios Christi et vanos doctores inpugnavit, tanta constantia vitae discrimina subiit, ut quovis modo dignissimum sese gereret provincia coelitus ei demandata [15]). Anno autem 57. [16]) quo iterum Hierosolymas adierat, Iudaeis graviter ei incumbentibus, eiusque vitae insidiantibus, auctoritate magistratus Romani [17]) Caesaream deportatus est. Ubi quum per biennium in custodia versatus fuisset, causamque frustra dixisset [18]), anno 59, delegatus est Romam, eoque pervenit mensibus anni 60. prioribus, siquidem ipse ad Caesarem Romanum provocaverat. Et duos quidem annos priores, testante Luca, custodia tenebatur liberiori, nec defuit ei opportunitas evangelii Romae praedicandi [19]). In eadem vero urbe, inperante Nerone, supplicium capitis subiisse apud veteres perhibetur [20]). Quod martyrium utrum anno 64.

five 65. passus fuerit, quo tempore atrox Christianorum persequutio Romae exstitisset, an serius anno 67. sive 68. quum iterum fuisset in vincula datus, etiamnum in utramque partem disputatur. Testimoniis quippe non destituitur sententia eorum, qui duplicem distinguunt Pauli captivitatem Romanam [21]).

1) De vita Pauli cfr. *Pearson* annales Paulini, Halis Sax. 1718. 4. *Io. Lange* comment. historico-hermeneutica de vita et epistolis Apostoli Pauli Hal. 1718. 4. *Io. Wesselii* dissertatt. Leidenses, 1721. 4. *Van Alphen* differtt. variae ad historiam Pauli, Traiecti ad Rhenum, 1718. *Niemeyer* Charakteristik der Bibel, T. I. ed. V. Halis, 1794. *Schröckh* christliche Kirchengeschichte, 2. Th. Leipzig, 1775. 8. *Hug* Einleitung etc. Th. 2. p. 271. ff. ed. II. *Bertholdt* Einl. 5. Th. 2. Hälfte p. 2693. ff. I. *Hess* Geschichte und Schriften der Apostel Iesu, Voll. III. Zürich 1809. 1810. 1812. 8. *Berger* moralische Einleitung in das N. T. 3. Theil, p. 16. ff. p. 476. ff.

2) Nomine Παῦλος prima vice appellatur *Actt. App.* c. 13. v. 9. Antea nomen antiquius Σαύλος (c. 7. v. 58. ff.) usurpatum fuerat. Adsumsit quippe nomen posterius, levissima litterarum mutatione, vel in honorem Sergii Pauli, Syriae Proconsulis, quem Apostolus doctrinae Christianae conciliaverat (*Actt.* 13, 6—12.), vel ea de causa, quod nomen sic mutatum auribus Ethnicorum, formae Σαύλος parum adsuetis, gratius fore intellexerat.

3) De patria parentibusque Pauli cfr. *Acta* App. 9, 11. 21, 39. 22, 3. ep. ad *Philipp.* 3, 5. Qua ratione patri eius civitas contigerit Romana (quo iure filium sapienter usum esse videmus *Actt.* 16, 37. 22, 27. sq.) diversimode coniecerunt. Vd. *Cellarii* dissertatt. P. II.

4) Cfr. *Actt.* 18, 3.

5) Vd. *Actt.* 22, 3. ad *Philipp.* 3, 5. Scriptores *graecos puerum iuvenemque* legisse nolim ex locis 1 *Corinthh.* 15, 33. ad *Titum* 1, 12. *Actt.* 17, 28. colligere.

6) Quanquam Gamaliel de Christianis moderatius censuit (*Actt.* 5, 34. ff.) facile tamen fieri potuit, ut Saulus iuvenis, qui natura esset animi ingeniique fervidioris, plerumque Pharisaeorum aestu abriperetur.

7) Cfr. *Acta* App. 7, 57. ff. 8, 1. 3. 9, 1. ff. 22, 4. 26, 9. ff. I. ad *Corinthh.* 15, 9. I. ad *Timoth.* 1, 13.

8) Vd. *Actt.* c. 9. c. 22, 6. ff. c. 26, 12. ff. Quae repentina conversio nexu interno, quo vitae Sauli ante actae cohaereat, non prorsus videtur destituta, si concessum fuerit, quod plures interpretes coniecerunt, Saulum, quamvis operam suam doctrinae Christi opprimendae strenue addixisset, interdum tamen (praesertim, quo tempore Damascum proficisceretur), non prorsus oblitum doctoris sui Gamalielis moderatius iudicantis (vd. nota 6.), de suo Christianos persequendi studio, an Deo vere probetur, *dubitare coepisse*, quum partim de vita Iesu Christi probitate summa insigni eiusque doctrina audiendo plura cognovisset, quae haud exiguam vim in animum eius exsererent, partim et Stephanum Martyrem (*Actt.* 7, 58. ff.) et alios Christianos vidisset inter vexationes gravissimas Iesum Servatorem constantissime profitentes. Attamen, ut *firmam* de Iesu Servatore divino *persuasionem* amplecteretur, eiusque causae promovendae animum suum vitamque totam consecrare constitueret (qui hucusque, ζηλωτὴς νόμου, *religioni* sibi duxisset, Christianis parcere), in ipso itinere Damasceno accidere aliquid debuit, quod animum eius singulari gravitate perculeret. Fuerunt, qui de tonitrubus prope Damascum auditis et fulmine coelitus delapso, Saulum circum fulgente cogitarent. Vix putaverim, locis Actorum conversionem Sauli enarrantibus *huius potissimum phaenomeni* vestigia inesse perspicua. Vocab. quippe φωνὴ *Actt.* 9, 7. (ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς μηδένα δὲ θεωροῦντες) in hac sermonis serie non potest nisi de voce intelligi, qualis est hominis articulate loquentis. Cfr. *Actt.* 22, 9. ubi comites Pauli eiusmodi vocem *parum distincte* percepisse dicuntur. Quaeritur item, quomodo Saulus *fulmine iuxta ipsum delapso* in terram prostratus, fere exanimis, eo tempore de suo Christianos persequendi studio meditari, et veluti vocem Christi ipsum serio cohortantis cognoscere potuerit? Vestigia premunt magis perspicua, qui ad *visionem* Saulo ad ἔκστασιν abrepto oblatam referunt, quae locis laudd. de apparitione Christi cum Paulo loquuti narrantur. Perpendamus quippe a) Saulum humi prostratum *non potuisse* Iesum Christum oculis intueri *corporeis*, quum fulgor ille sole splendidior oculorum aciem praestrinxisset (*Actt.* 26, 13. 22, 6. 11. 9, 3. 8.), b) illam Christi appari-

tionem in sermone Paulino *Actt.* 26, 19. ὀπτασίαν οὐράνιον appellari (quo iure dicamus, voc. ὀπτασία de *visione* intelligi *posse,* locus docet II. *ad Corinthh.* 12, 1.) c) Apostolum loco laud. 2. ad Corinthh. 12, 1. ff. (quem plures interpretes de tempore conversionis Pauli intelligendum esse recte docuerunt) animi statum, in quo tum temporis fuerit, prorsus singularem, ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις κυρίου, commemorasse. Qualia autem illa fuerint *phaenomena externa,* quae Saulo, ad urbem Damascum propius accedenti (in dubitationes quasdam de honestate et pietate studii sui Christianos persequendi forsitan iam coniecto) eiusque comitibus subito apparerent, plurimumque conferrent ad illam animi commotionem prorsus singularem, qua Saulo *visio* Iesu Christi meliora ipsum docentis *interna* contingeret, nemo facile accuratius dixerit, nisi, *et lucem eximiam* apparuisse eos circumfulgentem, et, *aliquid esse auditum,* quod animos graviter percelleret. Certum est, haec omnia accidisse *Deo ipso volente et fata Sauli ita moderante,* ut, qui hucusque adversarius religionis Christi fuisset acerrimus, idem et cultor et legatus Christi fieret constantissimus, de causa evangelii egregie prae aliis multis meriturus. De historia conversionis Pauli cfr. *Lyttleton* Anmerkungen über die Bekehrung und das Apostelamt Pauli, aus dem Engl. übers. (von *Hahn*), Hannover, 1751. 8. *Bandelin* über Sauls Bekehrungsgeschichte, Lübek, 1789. 8. *Töllner* kurze vermischte Aufsätze, 2. B. 2. Sammlung, Frankfurt an der Oder, 1770. 8. *Ammon* opuscula theologica, Erl. 1793. 8. *Ekermann* theologische Beyträge 2. B. 1. St. Altona, 1791. 8. *Eichhorn* allgem. Bibliothek der bibl. Litter. 6. B. 1. St. *Scherer* Schriftforscher 2. St. *Schulze* in: H. *Heinrichs* Beyträge zur Beförderung der theolog. Wissenschaft, Hannover, 1804. 5. 1. B. 2. St. *Greiling* in: *Henke* Museum für Religionswissenschaft 3. B. 2. St. *Bengel* Abhandl. über die Bekehrung des Apostel Paulus, aus dem Lateinischen übers. von *Niethammer*, Tübingen, 1826. 8. *Bretschneider* Handbuch der Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche, 1. B. (3. Aufl.) Leipzig, 1828. p. 244. ff. — De *tempore,* quo Paulus ad sacra Christiana transierit, magnopere dissentiunt viri docti, aliis quippe hoc eventum ad a. 33. post C. N. referentibus (v. c. *Süsskind* in: *Bengel* Archiv für die Theol. 1. B. 2. St. p. 303. ff.), aliis ad a. 35. aut 36. (cfr. *Usserii* annales mundi p. 644. *Hug* Einl. T. II. p. 276. sq. ed. II.), aliis ad a. 37. aut 38.

(cfr. *Küchler* de anno, quo Paulus Ap. ad sacra Christiana conversus est, Lips. 1828. 8. *Eichhorn* Einl. Vol. II. p. 48. *De Wette* Einl. p. 214. sq.) aliis ad a. 40. aut 41. (cfr. *Bertholdt* Einl. 5. Th. 2. Hälfte p. 2705. ss. Chr. *Schmidt* Chronologie der Apostelgeschichte in: Analekten für das Studium der exeget. und systemat. Theol. v. *Keil* und *Tzschirner* 3. B. 1. St.) Quo minus conversionem Pauli annis, qui abitum Christi in coelos *proxime* insequerentur, accidisse dicamus, inpedit, quod neque intra *paucos menses* gesta fuisse probabiliter existimentur, quae Lucas *Actt. App.* c. 1, v. 12 — c. 9. exposuit, nec pateat, unde Paulus eruditionem (cuius specimina ipsius sermones et epistolae exstiterunt) Iudaicam acceperit, nisi concedamus, eum *per aliquot certe annos* apud Gamalielem Hierosolymis esse versatum. [Cui quidem Gamalielis disciplinae Saulum non prius fuisse traditum, quam Christus de terra discessisset, recte adfirmamus, quum in scriptis Pauli vestigia prorsus nulla obveniant, quae monstrent, Christum in terra versantem Paulo de facie innotuisse.] Immo vestigia satis perspicua aevi serioris, quo Paulus ad sacra Christiana transierit, *epistola ad Corinthios posterior* exhibet, c. 12, 1—4. c. 11, 32. sq. Priori quippe loco adfirmat Apostolus, se *ante hos quatuordecim annos* ad ἔκστασιν fuisse abreptum, qua visiones et patefactiones a Domino sibi contingerent. Quae Pauli verba de tempore *conversionis* intelligenda esse, collatis potissimum iis, quae sub finem c. 11. leguntur, verissime praeter alios docuerunt *Keil* in opusculis acadd. ed. *Goldhorn*, Lips. 1821. p. 318. ss. *Emmerling*: epistola Pauli ad Corinthios posterior graece perpetuo commentario illustr. Lips. 1823. in prolegg. p. 16. ss. *Matthaei*: der Religionsglaube der Apostel Jesu, Vol. I. Göttingen, 1826. p. 610. ss. Itaque, quum fere omnes, quamvis de anno, quo Paulus utramque ad Corinthios epistolam dederit, in partes diversas abeant, [consentiant tamen (argumentis chronologicis praeeuntibus), has litteras scribi *non* potuisse *ante* annum 55. aut 56. post C. N. facile docet illa quatuordecim annorum computatio, conversionem Pauli *non* accidisse *ante* annum 40. aut 41. Posteriori loco enarrat Paulus, quum olim *Damasci* versaretur (*Actt.* 9, 23. ss.), praefectum Aretae, regis Damascenorum, frustra militibus suis urbem cinxisse, ut ipsum caperet, in gratiam Iudaeorum, vitae Pauli insidiantium. Quanquam viri docti de tempore dissentiunt, quo Aretas ille Da-

mascum urbem occupavit (vd. *Schmidt* comment. supra laud. Chronologie der Apostelgeschichte p. 134. ff. *Hug* Einl. Vol. II. p. 278. ed. II.) hoc tamen certum est, Damascum per breve temporis spatium sub potestate Aretae fuisse, *Caio Caligula regnante*, i. e. intra annum 37—41. post C. N.

9) Cfr. ep. ad *Galatas* 1, 11—2, 10.

10) Cfr. ad *Gal.* 1, 17. 18. μετὰ ἔτη τρία j. q. anno *post conversionem meam* tertio, coll. v. 15. 16. *Actt.* 9, 23—26.

11) Paulum conversum anno 43. (non serius) prima vice Hierosolymas esse profectum, inde etiam colligere licet, quod in ep. ad *Gal.* 1, 19. Iacobum (minorem), quem Hierosolymis adiit, praedicato αδελφον κυριου insignivit, quo *distingui* posset ab altero Iacobo (maiore) *tum temporis adhuc in vita superstite*. Iacobus vero maior paulo ante mortem Herodis Agrippae (qui a. 44. obiit) *martyrium* passus est (*Actt.* 12, 1. 2. 20—23.)

12) Vd. ad *Gal.* 1, 18. 21. *Actt.* 9, 26—30. 11, 25. ff.

13) *Actt.* 11, 30. Haec annona, *Claudio* inperante orta (*Actt.* 11, 28.) Palaestinenses *gravissime adflixit*, quo tempore *Cuspius Fadus*, eiusque successor, *Tiberius Alexander*, Procuratores fuere Iudaeae *Iosephus* antt. Iudd. l. 20. c. 2. §. 5. c. 5. §. 2. *Euseb.* hist. eccles. 2, 8. 11. 12. Cuspius Fadus rebus Iudaicis non prius est praefectus, quam Herodes Agrippa I. (anno 44. Caesareae mortuus) diem obierat. *Iosephus* antt. Iudd. l. 19. c. 9. §. 2. l. 20. c. 7. §. 1.

14) *Actt.* 12, 25.

15) Primo quidem itinere apostolico *ethnicos* adiit Paulus cum Barnaba a. 45. 46. *Actt.* c. 13. c. 14, 1—26. [De rebus primariis in his itineribus gestis vd. §. 45. nota 1.] Sequebatur iter Pauli Hierosolymitanum post conversionem tertium, eo consilio susceptum, ut Paulus, Barnabas et alii quidam ecclesiae Antiochenae legati cum Apostolis Hierosolymis versantibus de Ethnico-Christianis a iugo legis Mosaicae liberandis deliberarent. *Actt.* c. 15. Dissentientibus historiae Pauli scriptoribus de anno huius itineris, *hoc certe* patet, Apostolum *ante* annum 51. aut 52. (*non serius*) huic conventui interfuisse apostolico. Narratur quippe (diutius post conventum Hierosolym.) Corinthum esse profectus, *Actt.* 18, 1. Id quod haud du-

bie a. 52. accidit, siquidem hoc anno permulti et Iudaei et Iudaeo-Christiani (in quibus Aquila ille fuit, quem Lucas *Actt.* 18, 2. προσφάτως ἐληλυθότα ἀπὸ τῆς Ἰταλίας Paulo Corinthi accuratius innotuisse perhibet), Roma discesserant, edicto *Claudii Caesaris* depulsi. Cfr. *Tacitus* Annal. 12, 52. 54. *Iosephus* antt. Iudd. 1. 20. c. 5. §. 4. c. 7. §. 1. de bello Iud. 2, 12, 2. 8. *Vogel* comment. apud *Gablerum:* Journal für auserlesene theol. Litter. 1. B. 2. St. 1804. p. 232. ss. Alius Pauli locus suadet, ut Apostolum anno 47. aut 48. illo, quod diximus, itinere Hierosolymas venisse censeamus, ad *Gal.* 2, 1. Quod enim vulgo h. l. legitur: διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν, quocunque tandem modo hos quatuordecim annos computaveris, non potest secundum rationes chronologicas cum iis conciliari, quae de rebus gestis fatisque Pauli aliunde innotuerunt. Probanda haud dubie cum interpretibus haud paucis lectio, cuius vestigia exstant in chronico *Eusebii* paschali (ed. Venet. 1729. p. 186.): διὰ τεσσάρων ἐτῶν, hoc sensu intelligenda: deinde, *elapsis quatuor annis* (post iter primum Hierosolymitanum, ad *Gal.* 1, 18. i. e. *post annum* 43. vd. nota 11.) iterum Hierosoll. profectus sum. Primi tantum et tertii itineris Hierosol. mentionem facit in ep. ad Galatas (cfr. quae infra de hac epist. disputabuntur.) — Quum Apostolus, opere sibi demandato in conventu apostolico perfunctus, Antiochiam rediisset, aliquo temporis spatio elapso, novo itinere varias Ethnicorum terras adiit, comite Sila *Actt.* 15, 33—18, 22. Reversus Antiochiam circa annum 53. De ultimo, quo Paulus ante captivitatem ad Ethnicos sese contulit, itinere (inde ab anno 54.) cfr. *Acta App.* c. 18, 23. ss. c. 19. 20. 21.

16) *Actt.* 21, 15. Quo iure Paulum anno 57. (non prius) iterum Hierosolymas venisse dicamus, praeter alia docet, quod loca *Actt.* 20, 6. 16. non possunt nisi de diebus festis paschatos et pentecostes anni 57. intelligi, quum Paulus sub festum paschatos anni 56. etiamnum Ephesi commoratus fuisset (*I.* ad *Corinthh.* 5, 7. 16, 8.), itemque, quod Apostolus *Actt.* 24, 10. in apologia coram Felice Procuratore (qui anno 52. rebus Iudaicis praeesse coepit, *Iosephus* antt. Iudd. l. 20. c. 7. §. 1.) verbis usus est: ἐκ πολλῶν ἐτῶν ὄντα σε κριτὴν τῷ ἔθνει τούτῳ ἐπιστάμενος.

17) *Actt.* 21, 17 — c. 23. ex.

18) *Actt.* c. 24. seqq. Vd. §. 45. nota 1. Praeeuntibus quidem iis, qui ex factis quibusdam apud Iosephum et Tacitum memoriae traditis (ad vitam Neronis spectantibus) colligunt, Felici Procuratori Festum illum, cuius auctoritate Paulus Romam mitteretur (*Actt.* c. 26. ex.), successorem datum fuisse a. 55. Apostolus a. 58. Romam delegatus est. Vd. *Riehm* de fontibus actuum apostt. (§. 46. nota 8. laud.) p. 32. ss. Attamen ex eodem *Iosepho* (antiqq. Iudd. l. 20. c. 8. §. 5—9.) colligi potest, *Felicem* diutius, quam anno primo inperii Neronis, Procuratorem mansisse Iudaeae. Ex ea, quam alii inierunt, temporum vitae Pauli computatione, Apostolus anno demum 62. Romam delegatus est, quum anno 54. Athenis digressus *Corinthum* venisse existimetur (quod quidem a. 52. accidisse supra nota 15. diximus.)

19) *Actt.* 28, 16—31. De caussis, quare Lucas de exitu huius captivitatis nihil addiderit, quae probabiliter disputentur, supra §. 47. vidimus.

20) Praeeunte *Clemente Romano* epist. I. ad Corinthios c. 5. Paulus et Petrus eo tempore, quo Nero Helium et Polycletum ἡγεμένους rebus Romanis praefecerat, a. 67. aut 68. post C. N. martyrium subierunt. Similiter *Eusebius* hist. eccles. 2, 25. (coll. c. 22.) eodem tempore et Paulum gladio, et Petrum supplicio crucis Romae interfectum esse perhibet, testimoniis usus *Caii* presbyteri Romani, et *Dionysii*, Corinthiorum episcopi, idemque in *Chronico* hoc eventum ad annum refert 14. inperii Neronis, i. e. a. 68. Eusebium sequitur *Hieronymus* catal. scriptt. eccl. sub v. *Paulus*. Contra, si *Lactantium* audimus de mortibus persequutorum c. 2. (cui *Sulpitius Severus* hist. sacra l. 2. c. 29. consentire videtur), uterque Apostolus Romae martyrium passus est, quum atrox illa Christianorum persequutio, Nerone auctore exstitisset, a. 64. 65. *Epiphanius* haeress. 27, c. 6. annum habet 66. Secundum *Chrysostomum* homil. 10. et 3. in ep. 2. ad Timoth. et l. 1. adversus vitae monasticae vituperatores c. 4. Apostolus diutius post illam, cuius mentionem Lucas fecit, captivitatem, Nerone iubente, ea potissimum de causa capite plexus est, quod aliquem ex ministris principis, eiusque pellicem ad religionem Christ. converterat. [*Tertull.* de praescriptt. haerr. c. 36. Scorpiacus c. 15. de *tempore* martyrii Petri et Pauli nihil definiit.]

21) *Eusebio* quippe testante hist. eccl. l. 2. c. 22. traditio ferebatur, Paulum ab illa, cuius mentionem Lucas *Actt.* c. 28. fecerit, captivitate Romana *liberatum*, iterum regiones varias adiisse, praeconem evangelii, usque dum *altera vice* (Nerone adhuc regnante) *captivus* Romam deduceretur, ibique martyrium subiret. Eandem narrationem *Hieronymus* habet catal. scriptt. eccles. c. 5. Quam traditionem fide parum dignam esse, ex verbis quidem Eusebii: λόγος ἔχει colligi non potest, quum haec dicendi ratio de rebus quoque bene exploratis adhibeatur (Xenoph. anab. Cyri 1, 8. 6.) Et, quanquam nihil additur de fontibus traditionis, ipse tamen Eusebius, qui diversas de una eademque re sententias diligentius colligere et examinare solebat, illam loco l. *agnovit veram.* Nec demonstrari potest, persuasionem Eusebii *tantummodo* ex locis epistolae II. ad Timoth. 4, 11. 16. coniiciendo exstitisse, etsi omnino (pro more suo, res narratas, quanquam aliunde probatas, insuper, ubi fieri possit, locis scripturae sacrae confirmandi) ad illam epistolam provocaverit. Praeterea vero *Clemens Romanus*, cuius testimonium de *tempore martyrii Pauli seriori* nota 20. cognovimus, eodem loco perhibet, Apostolum itineribus variis evangelium praedicantem venisse ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως. Quae verba quum prorsus nequeant de Italia intelligi, sed terras occidentales *remotiores* aperte innuant (*Hispaniam* potissimum, quam terram Paulum adiisse constans est veterum traditio, *Athanasius* ep. ad Dracont. Opp. Paris. 1627. T. I. p. 956. *Cyrillus Hierosolym.* catech. 17. Opp. Oxon. 1703. p. 258. *Epiphanius* haerr. 27. c. 6. *Chrysostomus* hom. 7. de laud. Pauli, hom. 75. in ev. Matthaei, praef. in ep. ad Hebraeos, *Hieronymus* comment. in Ies. c. 11. in Amosum c. 5. *Theodoretus* comment. ad ep. ad Philipp. 1, 25. sq. II. ad *Timoth.* 4, 17.) nec ullum appareat vitae Pauli tempus, captivitatem Romanam antecedens, cui iter hispanicum tribui possit; haud dubie Clemens, in hac praesertim serie narrationis, de itinere cogitavit, quod Paulus, ex captivitate Romana priori libertati restitutus, susceperit. Testimonium Clementis, sive locum, quem inhabitaret, sive tempus, quo viveret, spectaveris, haud exigui est momenti. Qui Eusebium et Clementem sequuntur, monent insuper, captivitatem illam, quae teste Luca Actt. c. 28. *mitior* fuerit, parum probabiliter existimari ad martyrium usque Pauli durasse. Recte qui-

dem, si Apostolum Romam delatum a. 60. (certe, ut alii volunt, a. 62.), eadem captivitate Romae detentum, anno demum 67. aut 68. capite plexum censeamus. Sed de anno huius martyrii non prorsus consentiunt veteres (vd. nota 20.) Nec verba Lucae Actt. 28, 30. 31. libertatem Apostolo restitutam ponunt (vd. §. 47.) De epistolis ad Timotheum, an vestigia captivitatis Pauli Romanae duplicis perspicua contineant, suo loco videbimus. Qui Paulum *semel* tantum Romae in vincula datum fuisse contendunt, usque dum martyrium pateretur, locum certe *Actorum App.* 20, 25. parum recte adhibent ad sententiam contrariam refutandam. Etsi enim Paulus tum temporis de morte *propius* sibi instante omnino cogitaverit (cfr. v. 36. ff.), eundem tamen, quo tempore Romae captivus versabatur, non omni spe videmus destitutum, fore, ut ex hoc discrimine salvus evaderet, cfr. ep. ad *Philipp.* 1, 25. 2, 24. — Defensores praecipui sententiae de duplici Pauli captivitate Romana: *Michaelis* Einleit. Vol. II. §. 195. §. 211. ff., *Haenlein* Handbuch der Einl. Vol. III. p. 524. sq. ed. II. *Hug* Einl. Vol. II. p. 286. ff. ed. II. *Bertholdt* Einl. 5 Th. 2. Hälfte p. 2745. ff. 6. Th. p. 3583. ff. *Pearson* opera posthuma p. 80. ff. *Benson* paraphrast. Erklärung und Anmerkk. über einige Bücher des N. T. 2 B. übers. von *Bamberger*, Leipzig, 1761. p. 211. ff. *Mosheim* Erklärung der beyden Briefe Pauli an den Timotheus, Hamburg, 1755. p. 609. ff. *Vogel* comment. apud *Gablerum* nota 15. laud. p. 241. *Danz* progr. de loco Eusebii, qui de altera Pauli captivitate Romana agit, Ienae, 1816. 4. *Paulus* in ephemeridibus: Heidelberger Jahrbücher der Litteratur, 18. Jahrgang, 6. Heft, 1825. *Mynster* kleine theologische Schriften, Koppenhagen, 1825. 8. p. 191. ff. Christ. *Heydenreich*: die Pastoralbriefe Pauli erläutert, 2. B. Hadamar, 1828. Einleitung. *Böhl* über die Zeit der Abfassung und den Paulinischen Charakter der Briefe an Timotheus und Titus, Berlin, 1829. p. 91. ff. Vel prorsus contradixerunt huic sententiae, vel, argumentis eam niti idoneis, negaverunt: *Petavius* de doctrina temporum (2 Volumm. Lutet. Paris. 1627. fol.) Vol. II. p. 672. ff. *Heinrichs*: N. T. graece perpetua adnot. illustr. ed. Kopp. Vol. VII. continuavit Heinrichs, Gott. 1798. prolegg. II. ep. ad Timoth. *Schmidt* Einl. 1. B. §. 85. sq. *Eichhorn* Einl. 3. B. 1. Hälfte p. 364. ff. B. *Wolf* disp. exegetico-critica de al-

lera Pauli Ap. captivitate, part. I. II. Lipſ. 1819. 1820. 8. *De Wette* Einl. p. 219. ff.

§. 49.

Quo accuratius et ſcripta Pauli et res ab eo geſtas inveſtigamus [1]), eo magis admiramur in eo ſingularem ingenii animique vim et alacritatem, cognoſcendi facultatem multa eademque diverſiſſima facile complectentem, diiudicantem, penitus indagantem, ad illa potiſſimum cognitionis noſtrae, perſuaſionis, animique contentionis principia ſumma, quae idearum nomine veniunt [2]), in vitam humanam transferenda pronam et proclivem; itemque Phantaſiam fervidiorem, eiusmodi vim ſentiendi, quae rebus animum adficientibus cito et graviter moveretur, denique, quod voluntatem moresque attinet, religionis ſtudium [3]) acerrimum, fiduciam, conſiliique firmitatem [4]), haud ſeiunctam quidem (ex quo tempore Paulus ad ſacra Chriſtiana tranſierat) ab humanitate egregia, ex intimo Dei recte cogniti et Ieſu Chriſti amore oriunda, ab eiusmodi ſapientia et prudentia, quae ſuo tempore et loco et graviter inpugnaret adverſarios veritatis virtutisque Chriſtianae, et mores ſermonesque accommodaret iis, qui animo eſſent inbecilliores [5]), ab honeſtate mercedem externam nullam adfectante [6]), animoque ſubmiſſo et modeſto, quaecunque bene et laudabiliter geſta fuiſſent, gratiae tribuente divinae [7]). Quae canone noſtro comprehenduntur tredecim Pauli epiſtolae [8]) et conſenſu totius antiquitatis Chriſtianae [9]), et argumentis internis [10]) huic apoſtolo auctori ita vindicantur, ut (paucis exceptis) ne ulla quidem cauſa dubitandi appareat idonea. Sermonis graeci uſum feciſſe apoſtolum

fere omnes recte consentiunt [11]). Insignes sunt eius epistolae haud exigua docendi dicendique copia et varietate [12]), quae modo subtilius, modo prorsus ad intelligentiam popularem accommodate notiones singulas sententiasque propositas tractat [13]), adfectusque diversissimos et graviores et mitiores expromit; dexteritate multa in placitis, argumentationibus, formulisque Theologorum [14]) Iudaicorum suo tempore adhibendis; eiusmodi denique sermone, qui animos legentium tenet, commovet, ad sublimiora attollit [15]). Eloquentiam ei vindicamus, non illam quidem arte ac disciplina cultam et nutritam, sed, quae ex ipsa cogitationum, sensuum, adfectuumque ubertate, gravitate, efficacia summa sponte efflorescerat [16]). Neque vel in periodis minus bene structis, parenthesibus, anacoluthis [17]), vel in hebraismis [18]) sermoni eius graeco admixtis nimium offendimus, si modo perpenderimus, Paulum, puerum quidem et iuvenem, Iudaica potius quam Graeca tractasse, eumque, ipsi doctrinae, quam traderet, divinae toto animo intentum, multisque rebus gerendis occupatum, omnino noluisse elocutioni conformandae operam magnam impendere [19]). Collectionem epistolarum Pauli, saeculo I. exeunte privatim in his illisve coetibus christianis institutam [20]) nec omnes complectentem, saeculo quidem secundo integram apparuisse et auctoritate publica usam esse in ecclesia catholica, permulta docent loca patrum saeculi II. et III. quibus effata harum epistolarum laudantur [21]).

1) De *indole animi ingeniique huius Apostoli* cfr. *Niemeyer* in l. §. 48. nota 1. laud. *Tzschirner* tres commentatt. observationes Pauli Apostoli epistolarum scriptoris ingenium concernentes, Viteb. 1800. 4. *Hartmann* Abhandl. in: *Scherer* Schriftforscher, 1. St. *Gerhauser* Charakter und

Theologie des Ap. Paulus, Landshut, 1816. 8. *Elsner* specimen I. et II. historico-criticum: Paulus Ap. et Iesaias propheta inter se comparati, Vratislaviae, 1821. 4. *Anonymus:* Paulus und Luther, Darmstadt, 1824. 8. (Antiquiores, qui eandem comparationem instituerunt, laudavit Censor huius libri: Jenaische allgem. Litteraturz. N. 106. a. 1826.) De *doctrina Paulina:* (praeter librum *Gerhauseri* laud.) W. *Meyer* Entwikkelung des Paulin. Lehrbegriffs, Altona, 1801. 8. (*Bauer*) reine Auffassung des Urchristenthums in den Paulin. Briefen, Leipzig, 1803. 8. *Böhme* Abhandl. in: *Hencke* Museum für Religionswissenschaft, 3. B. 4. St. p. 540. ff. *Flatt* duae commentatt. de Pauli Ap. cum Iesu Chr. consensu, Tub. 1804. 4. *Usteri* Entwikelung des Paulin. Lehrbegriffs, ed. II. Zürich, 1829. 8. *Baumgarten-Chrusius* Grundzüge der biblischen Theologie, Jena, 1828. p. 85. ff. De *indole scriptorum Pauli et elocutione* (praeter commentatt. *Tzschirneri* laudd.): L. *Bauer* logica Paulina, Hal. 1774. 8. *Eiusd.* rhetorica Paulina, P. I. II. Hal. 1782. *Eiusd.* Philologia Thucydideo-Paulina, Hal. 1773. 8. *Paley* horae Paulinae, aus dem Engl. übers. mit Anmerkk. von *Hencke*, Helmstädt, 1797. 8. *Hemsterhusii* oratio de Apostolo Paulo, in collectione: oratt. Hemsterhusii et Valquenarii, Lugd. Batav. 1784. *Fuhrmann* de subtilitate Pauli in argumentis tractandis, Lips. 1777. *Baden* de eloquentia Paulina, Havniae, 1786. D. *Schulz* de interpretationis epistolarum Paulinarum difficultate, Lips. 1807. 8. *Böttcher* diss. de paronomasia finitimisque ei figuris Paulo Ap. frequentatis, pars prior et poster. Lips. 1823. 1824. 8. De *fontibus doctrinae Pauli:* *Thalemann* comment. de eruditione Pauli iudaica, non graeca, Lips. 1769. *Schubert* comment. de variis unde Paulus Ap. doctrinae Christ. cognitionem haurire potuerit, fontibus, Vratislav. 1812.

2) Quam Christus ipse primum innotescere iussit ideam summam *regni divini*, saecula omnia *omnesque gentes*, terram et coelum complectentis, eandem Pauli epistolae perspicuitate eximia illustraverunt.

3) Causam Dei (religionem patriam) adiuvare sibi videbatur, quum Christianos persequeretur. Qui furor coecus, postquam voluntatem divinam rectius cognoverat, totusque inbutus fuerat amore vere Christiano, *enthusiasmo* cessit, quo Christum praedicaret, admiratione dignissimo.

4) Cfr. v. c. *Acta* App. 20, 17. ff. 21, 12. ff. 17, 18. ff. 19, 18. ff. c. 22. 24, 24. ff. Ep. ad *Gal.* 2, 11. ff. 2, 20. II. ad *Corinthh.* 5, 14. ad *Romm.* 8, 35. ff.

5) v. c. *Actt.* 17, 22. ff. 16, 3. 21, 26. ff. 23, 6. ff. 25, 9. ff. Ep. ad *Romm.* 14, 1—8. I. ad *Corinthh.* 9, 19. ff. et al.

6) Cfr. *Acta* 20, 33. ff. I. ad *Corinthh.* 9, 4. ff. 19. ff. 1, 10. ff. 3, 4. 5: 4, 1. 2. ad *Gal.* 6, 14.

7) Vd. II. ad *Corinthh.* 5, 12. ff. 12, 11. ff. I. ad *Corr.* 15, 8. ff. Quae subinde de auctoritate sua apostolica, et felici laborum suorum successu praedicavit (ad *Gal.* 2, 9. I. ad *Corinthh.* 15, 11. II. ad *Corr.* 11, 5. 28. ff. al.), propterea dixit, ne Christiani inbecilliores *adversariis* aures praeberent obsequiosas, qui de auctoritate Pauli eiusque doctrinae vere evangelicae quovis pacto detraherent.

8) Praeterea Paulus alias quasdam consignavit epistolas (ut suo loco videbimus) temporum iniuria non servatas.

9) Testimonium antiquissimum, quo universe constat, plures epistolas a Paulo esse profectas, II. Petri epistola 3, 16. exhibet. Earum, quae canone nostro comprehenduntur, authentiam universe adfirmant: *Origenes* contra Celsum 1, 3. T. I. ed. Benedict. p. 458. *idem* apud *Euseb.* hist. eccl. 6, 25. *Tertull.* adv. Marcionem l. 5. c. 21. *Euseb.* hist. eccl. 3, 25. coll. 3, 3. De epistola ad Hebraeos dissentiunt. *Ebionaei*, quanquam propter dogmata sua in argumento epistolarum Pauli offenderunt (§. 6. nota 2.) minime tamen authentiam earum inpugnaverunt. *Irenaeus* adv. haer. 1, 26. *Epiphan.* haer. 30, c. 25. *Theodoretus* fabull. haerett. 2, 1. *Euseb.* hist. eccl. 3, 27. Idem valet de *Encratitis* et *Severianis Euseb.* h. e. 4, 29. *Manichaeos* usum fecisse epistolarum Pauli, suae quidem interpretationi arbitrariae accommodatum, ipsius *Fausti* scripta docent (*Lardner* Glaubwürdigkeit der evangel. Geschichte, übers. von *Heilmann*, 2. Th. 3. B. Berlin und Leipzig, 1750. p. 665. ff.) Cfr. etiam *Augustinus* de utilitate credendi c. 3. §. 7. de genesi contra Manich. l. 1. c. 2. §. 3. *Marcionis* Gnostici (vd. §. 8. nota 1.) eiusque asseclarum Αποστολος (§. 3.) *decem* certe Pauli epistolas hoc ordine complexus est: ep. ad Galatas, I. et II. ad Corinthios, ad Romanos, I. et II. ad Thessalonicenses, ad Ephesios, Colossenses, Philemonem, Philippenses. *Epiphan.* haer. 42. c. 9. Quod patres ecclesiae veteris Marcioni vitio vertunt, eum permultis locis textum epistola-

rum Pauli mutilasse et interpolasse (*Irenaeus* contra haer. 3, 12. *Origenes* epist. ad Alexandrinos, in Opp. Orig. ed. de la Rue T. I. p. 6. *Tertull.* adv. Marcionem l. 5. c. 3. 4. 8. 10. 13. 14. 16. 19. *Hieron.* comment. ep. ad *Gal.* 3, 6. ss. *Epiphan.* haer. 42.) recentiorum plures negaverunt, de singulari textus Paulini recensione Marcioni probata cogitantes, quae *ante Marcionem* extiterit, v. c. *Richard Simon* krit. Geschichte des Textes des N. T. 1. Th. 15. Kap. *Mill* prolegg. in N. T. §. 289—301. 306—327. *Griesbach* opusco. acadd. ed. *Gabler* Vol. II. p. 100. ss. *Loeffler* comment. §. 8. nota 4. laud. *Corrodi* in libro ib. laud. p. 204. ss. Vol. II. *Schelling* de Marcione epistolarum Pauli emendatore, Tub. 1795. *Eichhorn* Einl. 3. B. 2. Hälfte. p. 529. ss. Sententiae antiquiori calculum addere maluit *Hahn* in l. §. 8. nota 2. ex. laud. p. 50. ss. Nolumus quidem Marcionem fraudis accusare (vd. §. 8. nota 7.) neque omnino negamus, plures earum lectionum textus Paulini, Marcioni probatarum, quae a textu vulgari dissentiant, haud destitutas esse aliorum testium auctoritate. Attamen exempla quoque obveniunt criseos audacioris, quam Gnosticus ille ita exercuit, ut suo systemati indulgeret. — Ceterum auctor harum epistolarum in salutandi formulis sollennibus Παύλου ἀπόστολου se ipse professus est.

10) a) *Quaecunque nobis de Pauli vita, indole, docendi dicendique ratione ex aliis documentis, Actis potissimum Apostolorum, innotuerunt, prorsus conveniunt et materiae et formae harum epistolarum.* Vd. *Paley* horae Paulinae nota 1. laudd. Huius argumentationis vim et gravitatem neque infringit, quod in Actis App. nonnulla desiderantur, in epistolis illis de Paulo breviter commemorata (vd. §. 45.), neque, quod in Actis *subinde* obveniunt quae ab his illisve locis epistolarum Paul. quodammodo discrepent (quum facile fieri potuerit, ut Lucas non omnia prorsus definite exponeret.) b) *Fieri utique non potuisset, ut tot epistolae, si huic apostolo perperam fuissent suppositae, ab ecclesia antiquiori haberentur pro Paulinis.* Constat, et ipsum Apostolum (cuius ratio docendi et scribendi multa haberet sibi propria, imitatu difficillima) per magnam annorum seriem multos Christianorum coetus saepius adiisse, quo facto his accuratius innotesceret, et plures Pauli amicos atque discipulos, auctoritate Apostoli, ecclesias ab eo vel conditas,

vel stabilitas visitasse, in iisque diutius esse versatos. Solebat insuper Paulus epistolis suis scribae cuidam dictatis (cfr. *Heumann* de scribis Apostoli P. Gotting. 1739.) salutationes, quae sub finem leguntur, manu addere *propria* (II. ad *Thessalonn.* 3, 17. sq. I. ad *Corr.* 16, 21.) quo facilius lectores ex ipso litterarum ductu cognoscerent, epistolam esse Paulinam, siquidem Apostolo probe innotuerat, non defuisse, qui epistolam ab alio scriptam ipsi supponerent, vd. II. ad *Thessall.* 2, 2. 3. *Interdum* totam epistolam manu propria exaravit, ad *Gal.* 6, 11. ad *Philem.* v. 19. De argumentis authentiae epistolarum Paul. cfr. *Krommii* commentatio: *Zimmermann* Monatsschrift für Predigerwissenschaften, 1. B. 5. und 6. St. Darmstadt, 1821. — Quas nonnulli seriorum scriptorum auctoribus, quorum nomina prae se ferrent, vindicari voluerunt, epistolas *Senecae* ad Paulum, *Pauli* ad Senecam datas (vd. *Fabricii* codex apocr. N. T. pars II. p. 880. ss. pars III. p. 710. ss. ubi latine leguntur, add. *Elsing* de pseudepigraphis Pauli, Lips. 1707.) suppostititias esse ipsa docet elocutio. Vd. *Paley* horae Paul. übers. von *Hencke* p. 401. ss. Ignoraverunt eas antiquiores ecclesiae doctores ante *Hieronymum* (catal. scriptt. eccl. c. 12.) et *Augustinum* (ep. 54. ad Macedonium), qui uterque suam de his epistolis persuasionem non professus est. De commercio Pauli cum Seneca (harum quidem epistolarum authentiam minime comprobante) quae probabiliter disputentur, suppeditavit *Gelpke* tract. de familiaritate, quae Paulo Apostolo cum Seneca philosopho intercessisse traditur verosimillima, Lips. 1812. 4. Vd. Censor huius tract. Leipziger Litteraturz. N. 225. a. 1812. De evangeliis quibusdam, Actis, epistolis, ἀποκαλύψεσι apocryphis originem Paulinam mentientibus cfr. *Fabricii* cod. apocr. N. T. pars III. p. 923. ss. p. 943. ss. *Haenlein* Handb. der Einl. Vol. III. ed. II. p. 345. ss. *Eichhorn* Einl. 3. B. 2. Hälfte p. 540. ss. *Paley* l. l. p. 370. ss. — Ab alienis manibus profectae sunt, quae vulgo in editionibus ad calcem epistolarum singularum leguntur, *subscriptiones*, locum, ubi exaratae, Christianos, quibus destinatae, homines, per quos allatae fuerint lectoribus, indicantes. Desiderantur quippe in antiquissimis codicibus; in iis, qui habent, diversimode leguntur; immo interdum falsa continent. *Colligendis* iis operam dedit *Euthalius*, Alexandriae diaconus Saec. V. Vd. *Paley* horae Paulinae p. 326. ss. *Herzog* de subscriptionibus epistolarum Pauli, Lips. 1703.

Nec ipse Paulus *inscriptiones* addidit. Attamen vestigia earum satis mature apparent Saec. II. Vd. *Eichhorn* Einl. 3. B. 2. Hälfte, p. 546.

11) Pauci fuerunt, qui contenderent, epistolas Pauli *aramaice* scriptas *ab aliis*, auctoritate Apostoli, graece esse translatas. *Bolten:* die neutestamentlichen Briefe übers. mit Anmerckungen, 1. Th. Altona, 1800. praef. p. XXI. ss. *Bertholdt* Einl. 5. Th. 2. Hälfte p. 2782. Idem: kritisches Journal der neuesten theol. Litter. 6. B. Sulzbach, 1817. p. 126. ss. Quae interdum apparet elocutionis Paulinae diversitas, facilius ex ipsa materiae, lectorum, conditionis externae, qua Apostolus variis temporibus usus est, diversitate explicatur. Quae pluribus locis obveniunt durius minusve perspicue enuntiata, sive prorsus ad linguam hebraicam s. aramaicam conformata, plane conveniunt scriptori ingenii animique fervidioris, de ratione scribendi minus sollicito, quam de rebus tractandis, linguae quidem graecae haud inperito (cuius rei testimonium laudasse sufficiat sermonem coram Atheniensibus peroratum *Actt.* 17, 22. ss.), sed a pueris inde idiomati hebr. s. aram. adsueto. Paronomasiae similesque verborum lusus in epistolis Paul. frequenter obvii usum sermonis *graeci* ab ipso auctore factum luculentissime probant. Vd. *Böttcher* differt. nota 1. laud. p. 127. ss.

12) Quanquam Paulus frequenter in una eademque sententia diversimode spectanda diutius commoratur, haud facile tamen prorsus eandem cogitationem eodem modo repetit.

13) Nonnullae Pauli epistolae (maxime ep. ad *Romanos*), praesertim singulae quaedam epistolarum sectiones, quod oeconomiam rerum tractatarum attinet, *commentationi* apparent similes; in plerisque ordo liberior obtinet.

14) Cfr. v. c. ad *Gal.* 4, 21. ss. I. ad *Corinthh.* 10, 4. 6. 11. ad *Romm.* 10, 6. ss. 9, 25. sq.

15) *Antitheses* frequenter habet (quales sunt ad *Romm.* 5, 12. ss. 2, 21. ss. II. ad *Corinthh.* 4, 8. ss. 6, 9. ss. 11, 22. ss.) et *gradationes* (v. c. ad *Ephess.* 4, 1—6. I. ad *Corinthh.* 3, 22. ss., ad *Romm.* 8, 28.), *notiones et enuntiationes multas ad unam eandemque rem primariam spectantes, arcte connectere solet modo sententiis breviter cum acumine dictis, modo periodis iisque longioribus comprehensas* (I. ad *Corinthh.* 13, 4. ss. II. ad *Corr.* 6, 4. ss. ad

Coloss. 1, 9—22.), *interrogando* instat legentium animis, et *exclamationes* diligit (ad *Romm.* 8, 31. ss. 11, 33. ss. I. ad *Corr.* 1, 20.), *metaphoris* et *allegoriis* admodum lectis, vividis, interdum audacioribus, uti solet (ad *Romm.* 11, 17. ss. I. ad *Corr.* 12, 14. ss. al.) nec alienus est ab *ironia* sapienter adhibita (I. ad *Corr.* 1, 21. 4, 8. ss.)

16) Eloquentiam Paulinam ipse *Dionysius Longinus* praedicavit, cfr. fragmentum huius rhetoris in libro de sublimitate (ed. *Morus*, Lips. 1769. p. 264.) de cuius fragm. authentia v. *Hug* Einl. T. II. p. 297. ss. ed. II.

17) Cfr. v. c. ad *Gal.* 2, 8. *Coloss.* 4, 8. *Romm.* 1, 2—6. 2, 12—16. 5, 12. *Ephess.* 3, 2. ss. Interdum animus Pauli fervidior *unius vocabuli* usu ad hanc illamve digressionem uberiorem deducitur, I. ad *Corr.* 9, 24. II. ad *Corr.* 2, 14. 3, 1. *Ephess.* 4, 8. 5, 12. sq. itemque duas diversi generis imagines eodem sermone tropico commiscet, II. ad *Corr.* 2, 14. 3, 2. sq. 5, 2. De inversionibus Pauli, interdum durioribus, vd. *Winer* Grammatik des Neutestam. Sprachidiom, ed. II. Leipzig, 1825. p. 192. sq. De anacoluthis Paulinis et parenthesibus *Winer* Grammatik u. s. w. *Zweites* Bändchen, Leipz. 1828. p. 164. ss. p. 166. ss.

18) Praeter hebraismos multos, interdum duriores, obveniunt quoque *latinismi*, ex commercio Pauli cum Romanis oriundi, et, qui *Cilicismi* dicuntur praeeunte *Hieronymo* ad Algasiam quaest. X. Opp. T. IV. p. 204. ed. Martianay.

19) Cfr. quae Paulus ipse professus est I. ad *Corr.* 2, 1—5. *Potuisse* omnino Apostolum pro sua linguae graecae cognitione (cuius documento vocum formularumque graecarum, quae apud Paulum leguntur, copia et ambitus, multarumque locutionum delectus singularis inservit), ubi necessarium duceret, *operam dare*, ut oratio sua ab hebraismis esset liberior, sermones docent Paulini *Actt.* 17, 23. ss. 24, 10. ss. 25, 10. ss. 26, 2. ss. Vd. *Michaelis* Einl. Vol. I. §. 23. *Böttcher* comment. supra laud. p. 67. ss. De iis, quae in elocutione Paulina vel auribus graecis, vel crisi rhetoricae minus probantur, teneamus insuper, Apostolum plerumque epistolas suas scribis *dictasse* (nota 10.) Dictanti memoriter facilius accidit, quam scribenti, ut vel excidat constructione verborum inchoata, vel magnam enuntiationum seriem periodo minus perspicue adornata complectatur. Vd. *Quinctil.* de instit.

orat. l. 10. c. 8. ſ. 3. p. 263. T. II. ed. Wolf. (Lipſ. 1816. 1821. 8.) — Ceterum, quod voces formulasque ſingulas attinet, haud pauca obveniunt, quae elocutionem Paulinam ab aliorum N. F. ſcriptorum dicendi genere diſtinguant. a) *quae ſolus habeat Paulus*, praeſertim *doctrinae* eius coniunctiſſima, v. c. ἁγιωσύνη, ἀγαθωσύνη, δικαίωσις, καταλλάσσειν et καταλλαγὴ, μεσίτης, υἱοθεσία, ἄνθρωπος παλαιὸς et ἀνθρ. καινὸς ſ. κτίσις καινὴ, b) *quae Paulus vel prae ceteris N. F. ſcriptoribus frequentet, vel ſenſu adhibeat ſingulari*, v. c. δικαιοῦσθαι (Deo probatum eſſe ſ. declarari), δικαίωμα, δικαιοσύνη, χάρισμα, oppoſitio πίστεως et νόμου, ſ. ἔργων τοῦ νόμου, itemque σαρκὸς et πνεύματος, πλοῦτος ſenſu tropico (de virtutibus divinis, praeſertim de ſumma Dei gratia), ἐνδύεσθαι et ἐκδύεσθαι ſenſu morali, κεφαλὴ de domino, κλῆσις, οἰκοδομὴ de incrementis animi Chriſtianorum totiusque eccleſiae, μυστήριον de decretis divinis ad homines per Chriſtum ſalvos reddendos ſpectantibus, olim reconditis. Lubenter Paulus, unius eiusdemque rei, de qua aliquid praedicatur, ratione habita, *plures* adhibet *praepoſitiones* diverſi generis, v. c. δικαιοσύνη θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χρ. εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας, etc. vd. *Winer* Gramm. 2. Bändchen p. 142. Amat ihas transeundi formulas: οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, θέλω ὑμᾶς εἰδέναι, γινώσκειν δὲ ὑμᾶς βούλομαι, γνωρίζομεν δὲ ὑμῖν, τί δὲ ἐροῦμεν; ἀλλ' ἐρεῖ τις, ἐρεῖς οὖν μοι, ἢ ἀγνοεῖτε; μὴ γένοιτο, τί οὖν; τί γάρ; Plura de iis, quae apud Paulum praecipue animadvertuntur, paſſim habet *Gersdorf:* Beiträge zur Sprachcharakteriſtik der Schriftſteller des N. T. 1. Th. Leipzig, 1816. praeſertim inde a p. 272. itemque Dav. *Schulz:* der Brief an die Hebräer, Einleit., Ueberſ. und Anmerkungen, Breslau, 1818. p. 157. ff.

20) Ipſe Paulus praecipiendo curabat, ut epiſtola ad coetum quendam Chriſtianum data cum aliis coetibus communicaretur. Cfr. ep. ad *Coloſſ.* 4, 16. Sic facile fieri poterat, ut eaedem epiſtolae apud plures coetus Chriſtſt. deſcriberentur et colligerentur. Eiusmodi collectionis veſtigia locus continet II. *Petri* ep. 3, 15. ſq. ubi et πᾶσαι αἱ ἐπιστολαὶ Παύλου (i. e. quaecunque huic auctori innotuerant) commemorantur, et γραφαὶ λοιπαί.

21) Vd. *Eichhorn* Einl. 3. B. 2. Hälfte p. 584. ff. *Ordo vulgaris* hic fuit, ut *primo loco* ponerentur epiſtolae, quas Paulus ad coetus Chriſtianos dediſſet, ſecundum auctori-

tatem et dignitatem diversam, quae in antiquitate Christiana his coetibus tribueretur, quas *deinde* exciperent epistolae *singulis hominibus* scriptae (pastorales et ep. ad Philemonem), *ultimum* locum teneret ep. ad *Hebraeos*, dubiae quippe originis. Aliter eas disposuit *Marcionis* αποστολος, vd. nota 9. De ordine earum *chronologico* magnopere dissentiunt interpretes. Vd. *Rumpaei* comment. crit. ad N. T. libros in genere, Lips. 1757. §. 82. *Bloch* chronotaxis scriptorum divi Pauli, Flensburg. 1782. 8. *Michaelis* Einl. Vol. II. §. 171. ff. De singulis suo loco videbimus.

Libri exegetici, interpretationi epistolarum Pauli inservientes.

1) Ex *scriptis antiquiorum ecclesiae doctorum.*

a) *Graecorum: Chrysostomi* homiliae in epistolas P. in eius Operibus ed. Montfaucon, Paris. 1718—1738. Volum. IX. X. XI. Separatim prodiit eius interpretatio in omnes Pauli epp. ex ed. *Donati*, Veron. 1529. fol. IV. Volumm. *Euthalii* (Saec. V.) comment. in Acta App. quatuordecim epp. Pauli et septem epp. cathol. graece et lat. per Zacagninum, Romae, 1698. *Theodoreti* Opera omnia ex recens. *Sirmondi* denuo edidit etc. A. *Noesselt*, T. III. Halae, 1771. 8. *Theophylacti* Opera omnia Tomus II. Venet. 1758. fol. *Oecumenii* ἐξηγήσεις παλαιαι, Paris. 1630. II. Voll. fol. b) *Latinorum: Hieronymi* comment. in ep. ad Gal. Ephh. Titum Philem. in eius *Opp.* (Francof. 1684. XII. Voll.) *Augustini* expositio quarundam propositionum ex ep. ad Romanos, eiusdem epistolae inchoata expositio, exp. ep. ad Galatas (in eius Opp. ed. Antverp. 1700.) *Ambrosiastri* (*Hilarii* diaconi) comment. in epp. P. in *Ambrosii* Opp. ed. Benedict. 1686. 1690. II. Voll. fol. *Pelagii* comment. in epp. P. in Hieronymi Opp. Ven. *Bedae* expositio epistt. Pauli et comment. in Acta, epp. cathol. et apocal. Paris. 1649. II. Voll. fol. *Thomae Aquinatis* in omnes D. Pauli Ap. epp. comment. Opp. T. XVIII. Paris. 1660.

2) *Ex commentariis saeculo emendationis sacrorum editis:* Epistolae d. Pauli Apost. ex commentario praeclarissimi viri Iacobi *Fabri Stapulensis*, Paris. 1512. fol. *Buceri* me-

taphrases et enarrationes epp. Pauli T. I. Argentor. 1536. H. *Bullinger* comment. in omnes App. epp. Tiguri, 1544. Io. *Calvini* commentarii in epistolas Pauli Ap. atque etiam ep. ad Ebraeos, nec non in epp. cathol. Genev. 1551. fol. (in Opp. Calvini Vol. VII. Amstelod. 1567. fol.) Io. *Piscator* analysis logica epistolarum Pauli, ed. II. Sigen. Nassov. 1596. 8. 3) Ex *serioribus* (omissis quidem h. l. pluribus interpretum totius N. F. scriptis, quae supra *ad finem* capitis I. partis I. sectionis II. n. 2. a. b. α. laudata sunt): *Iustiniani* explanationes in omnes epp. Pauli, Lugd. 1612. Conr. *Vorst* commentar. in omnes epp. apostt. Amstelod. et Haderv. 1631. 4. Io. *Balduin* comment. in omnes Pauli epp. Francof. 1664. 4. ed. VII. 1710. fol. Io. *Quistorp* comment. in epp. P. Rostoch. 1652. 4. *Chemnitii* comm. in omnes Pauli epp. Ienae, 1667. I. *Crocius* comment. in epp. P. minores, 2. Voll. Marburgi, 1663. Ge. *Calixtus* expositio litteralis in 10. priores Pauli epp. cura L. *Reinhardi*, Ienae, 1731. 4. *Sebast. Schmid* commentarii in epp. Pauli ad Romm. Gal. et Coloss. una cum paraphr. epistolae I. ad Corr. utriusque ad Thessalonn. I. ad Timotheum, ep. ad Philem. Hamburgi, 1704. 4. Io. *Lange* apostolisches Licht und Recht etc. Hal. 1729. Christoph. *Wolf* curae philol. et crit. T. III. in quatuor priores Pauli epistolas, Basil. 1741. 4. T. IV. in decem posteriores P. epp. ib. eod. a. A. *Heumann* Erklärung des N. T. T. VII—XII. Hannover 1755. ff. 8. *Locke* paraphrastische Erklärung und Anmerckk. über Pauli Briefe an die Galater, Corinther, Römer, Epheser, aus dem Englischen übers. mit Anmerk. von *Hoffmann*, Franckfurt, 1768. 69. 2. Volumm. 4. E. *Bengel* erklärende Umschreibung der 14 Briefe des Paulus, Tübingen, 1787. 8. Ge. *Rosenmüller* scholia in N. T. T. III. (Acta App. et ep. ad Romm.) Norimb. 1793. ed. IV. T. IV. (epp. ad Corr. Gal. Ephess. Philipp. Coloss. Thessall.), 1793. T. V. (epp. ad Timoth. Titum, Philem. Hebrr. ceteraeque N. F. epp. et Apocal.) 1794. 8. Die Neutestamentlichen Briefe übers. mit Anmerckk. von *Bolten*, 1. Th. (die grössern Briefe des Paulus) Altona, 1800. 2. Th. (die kleineren Briefe P.) Alt. 1801. 3. Th. (Brief an die Hebr. kathol. Briefe, und Jo. Offenbarung) Alt. 1805. 8. Die vierzehn Briefe des Ap. Paulus übersetzt, erklärt, und in einer historisch-kritischen Einleitung erläutert von D. August. *Scholz* (oder: die heil. Schrift des N. T. übersetzt, erklärt u. s. w. 3. Band) Frankfurt am Mayn,

1830. 8. Ex his praesertim *Fabri*, *Calvini*, *Balduini*, *Schmidii*, *Wolfii*, *Heumanni*, *Rosenmülleri* opera commendanda. Haud pauci de *singulis* Pauli epp. illustrandis bene meriti sunt, suo loco commemorandi.

Epistolae ad Thessalonicenses.

§. 50.

Quum Paulus secundo itinere [1]) apostolico (intra annum post C. N. 48. et 54.) ad gentes suscepto Thessalonicen (Actt. 17, 1.) delatus fuisset, illustrem Macedoniae urbem [2]), comitibus Sila ac Timotheo [3]), permultos urbis incolas, proselytos potissimum et gentiles [4]), ad sacra convertit Christiana. Iudaeis vero graviter ipsum infestantibus, Thessalonice mox digressus [5]), Beroeam adiit, inde eadem de causa Athenas sese contulit, Timotheo quidem et Sila Beroeae relictis [6]). Athenis deinde, nuntio de statu rerum ecclesiae recens conditae ipsi allato per socios illos Beroea Athenas profectos, Timotheum mox remisit Thessalonicen, ecclesiam pressam consolaturum et confirmaturum [7]). Ipse vero Corinthum abiit. In qua urbe quum haud ita multum temporis transegisset [8]), eodem venerunt Silas ac Timotheus, ut amplius referrent ad Apostolum de rebus Thessalonicae et Beroeae gestis. Re cognita Paulus, quo minus ipse desiderio Thessalonicenses adeundi satisfaceret, tum temporis inpeditus, priorem ad hunc coetum dedit epistolam, vel anno post C. N. 52. exeunte, vel a. 53. ineunte [9]), ut partim insignem eamque piam animi laetitiam profiteretur de constantia, qua Thessalonicenses, vexationibus graviter adflicti, et in persuasione et in amore vero Christiano hucusque perseverassent, (C. I. II. III.) [10]), partim admoneret et corrigeret eos, qui etiamnum ad vitia varii generis ex paga-

nismo residua procliviores essent (C. IV, 1—12.), partim consolaretur Christianos, de sorte futura eorum Christi cultorum, qui ante reditum Servatoris sollennem mortui essent, anxie haesitantes [11]), eosque de *παρουσία* Christi, eiusque efficacia, omnibus, qui honeste fecerint, saluberrima recte doceret iudicare (C. IV, 13—18. C. V, 1—11.) praeceptis variis sub finem additis (C. V, 12—28.) De authentia epistolae nunquam dubitatum est [12]).

1) Vd. §. 48. nota 15.

2) Quae olim *Thermae* dicebatur, (vd. *Strabo* l. 7. p. 509. *Herodot.* l. 7. c. 121. *Thucyd.* de bello Peloponn. l. 1. c. 61.), posthac Θεσσαλονίκη appellata est, auctoritate Philippi, Macedonum regis (*Stephanus Byzant.* de urbibus et populis p. 394. ed. Lugd. Batav. 1694.) sive, ut Strabo l. l. perhibet, Cassandri, seriori tempore Macedonia potiti. De situ huius urbis (apud nostrates Salonichi dictae), ad partem Macedoniae secundam, ex divisione huius provinciae Romana, pertinentis, sinui Thermaeo proxime adiacentis (admodum opportune ad mercaturam faciendam) cfr. *Herodot.* l. l. *Strabo* l. 7. p. 497. sq. *Livius* hist. Rom. l. 44. c. 10. c. 28. ex. l. 45. c. 29. Haud exiguus fuit numerus Iudaeorum, qui inter Ethnicos Thessalonicenses degerent, synagoga in hac urbe gaudentes. *Actt. App.* 17, 1. 4. 17.

3) Non Silam (Sylvanum) tantum, sed etiam Timotheum cum Paulo Thessalonicen venisse, etsi Lucas *Actt.* 17, 4. unius Silae mentionem fecerit (quippe qui tum temporis partes primarias gessisset in adiuvando Apostolo, Thessalonicensibus evangelium nuntiante), docet omnino comparatio locorum *Actt.* 15, 40. 16, 1. 3. 19. 40. coll. 17, 1. 14. add. ep. ad *Philipp.* 2, 19—22. Vd. quae contra Koppium recte monuit Io. *Burgerhoudt:* specimen academicum de coetus Christianorum Thessalonicensis ortu fatisque, et prioris Pauli iis scriptae epistolae consilio atque argumento, Lugd. Batav. 1825. 8. p. 13. ff.

4) Ipse Lucas *Actt.* 17, 4. testatur, non tantum *proselytos*, sed etiam *ethnicos* permultos lubenter aures praebuisse Silae et Paulo, Iesum Messiam praedicantibus, si lectio-

nem probaveris in paucis sed antiquissimis codd. et vers. vulg. expressam, pluribus de caussis (vd. *Burgerhoudt* comment. nota 8. laud. p. 93. sq.) scripturae vulgatae praeferendam: τῶν τε σεβομένων καὶ ἑλλήνων πολὺ πλῆθος. Quam promtos et alacres Ethnici sese gesserint ad veritatem divinam agnoscendam, diserte *Paulus* professus est I. ad Thessall. 1, 9.

5) *Acta App.* 17, 5 — 10. Videtur Paulus diutius certe, quam duas tresve hebdomades, Thessalonicae commoratus esse. Vd. I. ad *Thess.* 2, 9. II. Thess. 3, 7. 8.

6) *Acta App.* 17, 11 — 15.

7) I. ad *Thessall.* 3, 1 — 5. cfr. *Actt.* 17, 16. Silas, qui haud dubie, mandato Pauli (*Actt.* 17, 15.) obsequutus, pariter ac Timotheus ad Paulum Athenis versantem se contulerat (quanquam I. ad *Thess.* 3, 2. solius Timothei mentio facta est), videtur deinde, auctoritate Apostoli, Christianos Beroeenses similiter a Iudaeis vexatos adiisse. Vd. *Burgerhoudt* l. l. p. 116. 117.

8) *Actt. App.* 18, 1 — 5. I. ad *Thessall.* 3, 6.

9) Satis probabiliter Paulus, Athenis digressus, *anno* 52. Corinthum venisse existimatur. Vd. §. 48. nota 15. Praeeunte Luca *Actt.* 18, 5, Apostolus haud ita multum temporis Corinthi transegerat, quum Silas ac Timotheus (quos Paulus Athenis ad Thessalonicenses et Beroeenses remiserat, vd. n. 7.) ad ipsum redirent; quo facto mox priorem dedit ad Thessalonn. epistolam, vd. I. ep. 3, 6. Quam parum recte *Michaelis* Einleit. Vol. II. ed. IV. p. 1206. ss. ex locis I. ad *Thess.* 1, 7. 8. 2, 17. sq. coniecerit, epistolam seriori tempore exaratam esse, verissime docuerunt *Eichhorn* Einleit. 3. B. 1. Hälfte, p. 57. sq. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3475. ss. Errore manifesto (ex verbis I. *Thess.* 3, 1. perperam intellectis oriundo) lapsi sunt auctores subscriptionis, quae vulgo sub utraque epistola legitur, Paulum has litteras *Athenis* exarasse perhibentis.

10) Simul desiderium profitetur intimum Thessalonicenses iterum adeundi, animum de vera omnium salute sollicitum, spem laetam in iis positam, Deo confidentem.

11) Existimabant quippe haud pauci, sortem Christianorum *ante reditum Christi mortuorum* deteriorem fore condi-

tione ceterorum, qui in terra superstites essent futuri usque ad παρουσιαν Servatoris. Quae dubitatatio utrum in coetu Thessall. primum exstiterit, an aliunde ad hos Christianos transierit, nescimus.

12) Quaecunque his litteris continentur, et ingenio Pauli aliunde cognito, et testimoniis *Actorum* App. ad fata Pauli eiusque res gestas spectantibus prorsus conveniunt. Quanquam vestigia huius epistolae, quae plures apud *Clementem Rom.* ep. I. ad Corinthh. c. 38. *Ignatium* ad Polyc. c. 1. *Polycarpum* ad Philipp. c. 2. c. 4. deprehendisse sibi videntur, non satis certa dixerim; testimonia tamen originis eius Paulinae luculentissima exhibuerunt *Irenaeus* contra haerr. l. 5. c. 6. § 1. *Clemens Alexandr.* paedag. l. 1. p. 89. A. ed. Sylb. *Tertull.* de resurrect. carnis c. 24. *Origenes* contra Celsum l. 2. p. 437. l. 3. p. 458. T. I. ed. Benedict. comment. in Matth. p. 489. in Origenis exegeticis ed. Huetius.

§. 51.

Dum Paulus etiamnum Corinthi versabatur [z]), nuntio iterum accepto de statu Christianorum Thessalonicensium, epistolam exaravit posteriorem, priori quodammodo supplendae, amplius illustrandae, accuratius definiendae inservientem. Laudat primum, gratiis piis Deo agendis, constantiam Thessalonicensium eorumque animos adflictos consolatur commemorando Dei et Christi iudicio iustissimo olim adparituro (C. I.) Transit deinde ad corrigendam eorum persuasionem, qui exspectationi indulserint arbitrariae reditus Iesu Christi proxime iam instantis [a]), docetque, Servatorem non prius esse venturum, quam defectio magna a religione vera exstiterit, et adversarius Messiae potentissimus palam prodierit, reditu Christi tandem superandus (C. II, v. 1—12.) Redit ad gratias Deo agendas, et vota eloquitur pia (v. 13—17. C. III, v. 1—5.) Denique praecepta iniungit saluberrima, iis

maxime, qui procliviores fuerint ad vitam diſſolutam et otioſam (C. III, v. 6—18.) Authentiam epiſtolae antiquitas Chriſtiana [3]) ſemper agnovit, nec dubitationes internae, quas pauci recentiorum moverunt interpretum [4]), ita comparatae ſunt, ut vel totam epiſtolam Paulo a fraudatore, qui priorem ſuſpectam reddere voluerit, ſuppoſitam, vel eam certe ſectionem, quae C. II, v. 1—12. continetur, ſeriori manu additam exiſtimari oporteat. Neque enim, quae C. II. v. 1. 2. 3. obveniunt, epiſtolae priori (c. IV, v. 13. ſſ. C. V. in.) contradicunt [5]), nec illa Anti Chriſti deſcriptio habet, quod ab inſtitutione ac docendi ratione Paulina abhorreat [6]). Facile item doceri poteſt, quare Apoſtolus, quod C. III. v. 17. lectoribus propoſitum fuerit, ſignum authentiae epiſtolarum, nec in epiſtola priori [7]), neque omnino in omnibus [8]) commemoraverit. Ceterum et univerſa totius elocutionis, et vocum ſingularum indoles prorſus eſt Paulina, patetque nexus egregius, quo ſectio illa C. II. v. 1—12. et antecedentibus et ſequentibus cohaereat [9]).

1) *Timotheus*, qui praeeunte Luca *Actt.* 18, 18. ſſ. quum Paulus Corintho diſceſſiſſet, aliquamdiu non fuit in comitibus Pauli, atque *Sylvanus*, quo tempore Apoſtolus epiſtolam *poſteriorem* ad Theſſall. exaravit (vd. C. I, v. 1.) etiamnum apud Apoſt. commorati ſunt. Nolim vero ex loco ep. II. c. 3. v. 2. certo colligere, hanc epiſtolam *ſub finem* demum illius temporis, quod Paulus Corinthi tranſegit, ſcriptam eſſe, poſtquam accidiſſent, quae Lucas *Actt.* 18, 12. enarravit. Quaeritur enim, an locus epiſt. laud. de hoc potiſſimum evento recte intelligatur.

2) Plures quippe illorum Chriſtianorum vel timore metuque perpetuo, ſolebant perturbari, παρουσια Chriſti mutationibus rerum terreſtrium graviſſimis iuncta *quotidie* exſpectanda, vel cupidius hunc diem, aerumnas Chriſtianorum omnes finiturum deſiderabant, morae inpatientes,

propensique ad ipsam huius promissi veritatem, dum παρουσια de die in diem differretur, in dubium vocandam, vel etiam vitae indulgebant otiosae, quotidie existimantes finem appariturum rerum huius saeculi omnium.

3) Non prorsus certa sunt, quae apud *Polycarpum* ep. ad Philipp. c. 11. ex. et *Iustinum Mart.* dial. cum Tryph. ed. Colon. p. 336. ad verba epistolae II. ad Thess. respicere videantur. *Irenaeus* vero contra haerr. I. 3. c. 7. §. 2. *Clemens Alex.* stromm. l. 5. p. 554. ed. Sylb. *Tertull.* de resurr. carnis c. 24. originis eius Paulinae testes exstant gravissimi.

4) Vd. Chr. *Schmidt* Bibliothek für Kritik, Exegese und Kirchengeschichte, Vol. II. p. 380. ss. *Idem* in l. Einl. in das N. T. ed. II. Vol. II. p. 256. *De Wette* Einl. in das N. T. p. 229.

5) Quanquam Paulus optabat, ut Christus *mox* appareret, animumque in cogitatione huius reditus Christi *forsitan prope instantis* (ipso Paulo adhuc in vita terrestri superstite eventuri) lubenter defigebat, eo certe tempore, quo litteras ad Thessall. et Corinthios dedit, vd. I. *Thess.* 4, 15. 17. I. *Corr.* 7, 29. ss. 15, 52. nunquam tamen vel annum, diem, horam huius eventi curiosius indagavit, vd. I. *Thess.* 5, 1. ss. (quum Christus ipse, quo minus hoc fieret, effatis suis prohibuisset, *Matth.* 24, 36. 42. 44. 48. 50. 25, 5. 13. 19. *Marc.* 13, 33. 35. *Luc.* 12, 36. ss.) vel *certo* exspectavit, se *in terra* superstitem fore ad παρουσιαν usque Servatoris, vd. I. ad *Corr.* 6, 14. II. *Corr.* 4, 14. 5, 1. ad *Philipp.* 1, 21. ss. 3, 10. 11. Illi vero Thessalonicenses, quae Paulus in ep. I. de reditu Messiae haud ita longe remoto, forsitan sibi quoque (qui tum temporis nondum esset aetate provectior) in terra adhuc versanti adparituro monuerat, perperam interpretati fuerant (vanis insuper aliorum sermonibus, et epistola quadam Paulo supposita decepti) de παρουσια Servatoris *proxime iam instante*. His opponit, quae C. II. in. leguntur.

6) Adversarios Messiae, potestati eius aliquando subiiciendos, universe idem Paulus commemorat I. ad *Corinthh.* 15, 25. ss. itemque tempora nuntiat, quae propius instent, calamitosa, I. *Corr.* 7, 26. Nec omnino ab ingenio Pauli, placita formulasque Christologiae Iudaicae in usum suum saepius adhibentis, aliena existimari potest illa Anti-Chri-

sti notio, cuius mentionem *Ioannes* quoque iniecit ep. I, c. 2, v. 18. 22. c. 4, v. 3. ep. II. v. 7. Ceterum, *praeter hanc epistolam*, defuit Apostolo eadem huius de Ἀντιχριστῷ doctrinae adhibendae opportunitas, quam error Thessalonicensium ei suppeditaverat.

7) Quo tempore *prima vice* ad Thessalonicenses litteras dedit, nondum evenerat (quod paulo post accidisse ex II. Thess. 2, 2. intelligimus), ut epistola, quae nomen Pauli mentita fuisset, in coetu Christiano circumferretur.

8) In ep. quidem I. ad *Corr.* 16, 21. et *Coloss.* 4, 18. Apostolus paucis verbis: ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου lectores ad *idem signum* attentos reddidit. Attamen, quod in ceteris Pauli scriptis, praeter has epistolas et II. ad Thessalonicenses, formula illa non occurrit, minime demonstrat, Apostolum in ceteris omnibus epistolis, *per scribam* quidem consignatis (subinde enim totam epist. manu sua consignavit, *ad Gal.* 6, 11.) nullam partem earum, quae sub finem leguntur, salutationum manu sua exaravisse, etsi hoc non ubique diserte indicaverit. Nec locus II. *Thess.* 3, 17. necessario ita intelligendus, ut Apostolus veluti officium sibi iniungat, in posterum *cuivis epistolae*, sive Thessalonicensibus, sive aliis coetibus, singulisve hominibus scriberetur, formulam: ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ etc. adiiciendi.

9) Quae Epist. II. c. 2. v. 1. habet, manifesto respiciunt ad Ep. I. c. 4. v. 17. Itemque verba Ep. II. c. 2, v. 13. commati 12. aperte opponuntur. De authentia et integritate epistolae cfr. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3482. ff. Chr. *Heydenreich* über 2 Thess. 2, 1—12. im neuen krit. Journal der theolog. Litter. von *Winer* und *Engelhardt*, 8. B. 2. St. 1828. p. 130. ff. *Usteri* Entwickelung des Paulin. Lehrbegriffs, Zürich, 1824. p. 158. ff. *Guericke* Beyträge zur historisch-krit. Einl. p. 92. ff. Censor isagoges V. De Wettii: Hallische allgem. Litter. Zeit. August 1828. N. 188. *Ewald* in diario: Berliner Jahrbücher a. 1827, N. 167. 199. G. *Reiche* commentatio: authentiae posterioris ad Thessall. epistolae vindiciae, Gotting. 1829. 4. Praeter multos eorum Pauli interpretum, quos supra ad §. 49. sub finem notae 21. laudavimus, harum epistolarum explicationi inserviunt: Ge. *Calixti* expositio litteralis in ep. P. ad Thessalonn. priorem et poster. caput I. et aliquot versus cap. II. Helmstad. 1665. 4. *Musculi*

commentar. in epp. Pauli ad Philipp. Coloss. Thessall. et I. ad Timoth. 1565. I. *Tarnov* comment. in epp. ad Ephh. Philipp. Col. Thessall. Lips. 1636. *Benson* paraphrast. Erklärung und Anmerckungen über einige Bücher des N. T. 1. B. aus dem Englischen übers. von *Bamberger*, Leipzig, 1761. 4. *Turretin* commentarius in epp. P. ad Thessalonn. Basil. 1739. 8. *Baumgarten* Auslegung der Briefe P. an die Gal. Ephh. Philipp. Col. Philem. und Thessalonn. mit Beyträgen von *Semmler*, Halle, 1767. 4. Novum Testam. graece perpetua adnot. illustratum a Io. Beni. *Koppe* Vol. VI. ed. III. curavit Chr. *Tychsen*, Gotting. 1823. 8. Der Brief P. an die Galater und der 2. Brief an die Thessall. übers. mit Anmerkk. v. Greg. *Mayer*, Wien, 1788. 8. W. *Krause*: die Briefe an die Phil. und Thessalonn. übersetzt mit Anmerckungen, Frankfurt a. M., 1790. 8. *Burgerhoudt* comment. §. 50. nota 8. laud.

Epistola ad Galatas.

§. 52.

Qui in Galatia [1]), Asiae minoris provincia versabatur, coetus Christianus, ex ipsius Pauli institutione oriundus (ep. ad Gal. 4, 13. 19.), cultores Christi utriusque generis, ex Iudaeis et Ethnicis, complectebatur. Prodierant inter Galatas doctores Iudaismi studiosiores, totius legis Mosaicae observationem exactam Christianis omnibus strenue iniungentes, qui, Paulo absente, sermones suos libertati evangelicae repugnantes in animos multorum insinuarent, iisque persuaderent, artificiis variis calumniisque usi [2]), Paulum non esse verum Apostolum. Exstiterant inde lites ac dissidia, haud paucis quippe Galatarum Iudaismo illi cedentibus, aliis libertatem a lege Mosaica acriter defendentibus. Qui rerum status quum Paulo innotuisset, has litteras ad Galatas dedit, et auctoritatem suam apostolicam, et institutionem contra adversarios illos defen-

surus, pacemque mutuam restituturus. Ac primum quidem C. I. II. de auctoritate loquitur apostolica, sibi, quamvis olim ecclesiam Christianam persequutus fuisset, haud deneganda, per ipsum quippe Christum converso et vocato, revelatione divina uberius edocto, ab omnibus ceteris Iesu legatis agnito. Deinde C. III. IV. V, 1—13. amplius demonstrat, quod prima epistolae parte paucis tetigerat, verissimam esse doctrinam, qua ipse Galatas inbuisset, de lege Mosaica per Christum sublata. Id probaturus Galatas perpendere iubet, summa, quae iam possideant, beneficia Spiritus divini fide Christo praebenda iis contigisse, ad exemplum Abraami fidem Deo habentis provocat, ex pluribus V. T. locis ostendit, hominem non posse lege observanda, sed πίστει Deo reddi probatum (egregie differens de ratione, qua lex Mosaica sese habeat ad doctrinam Christi, promissa antiquiora eventu plenissimo comprobantem), eodemque consilio interpretationem narrationis V. T. de Sara et Hagare subiungit allegoricam. Denique repetita admonitione, qua Galatae libertatem suam evangelicam constanter tueri iubentur, sedulo eos cohortatur, ut hanc libertatem probe distinguant a quovis vitae genere dissoluto, concordiae studeant et amori mutuo, quovis pacto homines sese gerant, nulla amplius circumcisione et disciplina Iudaica indigentes, C. V, 13—VI, 1—18.

1) Nomen accepit Galatia, s. Gallo-graecia, a. 26. ante C. N. in formam provinciae Romanae redacta, ab incolis priscis, ad gentes bellicosas Gallorum Celtarumque pertinentibus, qui III. ante Chr. saec. ex Thracia in Asiam minorem profecti inde ab a. 240. ante C. N. eum potissimum Asiae minoris tractum fertilem tenuerant, qui Bithyniae, Phrygiae, Cappadociae, Ponto, Paphlagoniae interiacebat, mixti deinde incolis graecis per connubia. Tempore Christi Iudaei permulti, mercaturae causa, in hac pro-

vincia versabantur. De situ terrae fatisque Galatarum cfr. *Polyb.* 2, 13. ff. *Dio Caff.* l. 53. p. 514. *Strabo* l. 4. p. 139. l. 12. p. 390. 394. ed. Casaub. *Diod. Sic.* fragmm. 20, 16. *Pausanias* Attic. c. 3. c. 4. §. 5. *Iosephus* antiquu. Iudd. l. 12. c. 3. §. 4. l. 16. c. 6. §. 2. *Caesar* de bello gall. 1, 1. *Livius* hist. Rom. 37, 8. 38, 12. ff. 16. 18—27. 37. 40. *Iustin.* historr. 24. 4. ff. 25, 1. 2. 26, 2. *Plin.* histor. natur. 5, 32. 42. G. *Hoffmann* differt. de Galatia antiqua, Lipf. 1726. 4. *Eiusd.* introductio theologico-critica in lectionem epistolarum Pauli ad Gal. et Coloff. Lipf. 1750. 4. Ge. *Wernsdorf* de republica Galatarum, Norimb. 1743. 4. *Schulze* de Galatis, Francof. 1756. 1757. 4. *Hermes* rerum Galaticarum specimen, Vratislav. 1822. *Hug* Einl. Vol. II. p. 314. ff. ed. II. P. *Mynster* Einleit. in den Brief an die Galater: kleine theolog. Schriften, Kopenhagen, 1825. 8. p. 51. ff.

2) Quomodo sese gesserint, et quid effecerint hi doctores vani, permulta docent ipsius epistolae effata.

§. 53.

Apostolum inter Galatas docuisse, priusquam hae litterae scriberentur, effatum C. IV, v. 13. ff. luculentissime testatur. Exposuit vero Lucas, breviter quidem, de itinere duplici, quo Paulus Galatas adierit, Actt. App. XVI, 6. XVIII, 23. siquidem coniectura eorum, qui tria eiusmodi itinera distinguunt [1]), vestigia primi loco Actt. XIV, 6. inesse existimantes, argumentis defenditur [2]) parum idoneis. Conversio Galatarum haud dubie eo tempore facta est, cuius historiam Lucas Actt. XVI, 6. ff. enarravit [3]). Attamen, quo minus epistolam ad Galatas paulo post conversionem eorum datam fuisse statuamus, locus inpedit C. IV, v. 13. quo praeeunte Apostolus, quum litteras illas exararet, non semel, sed bis docuerat inter Galatas [4]). Altera vice hunc coetum visitavit (Actt. XVIII, 23.), postquam Corinthi (quo venerat a. 52. post C. N.) [5]) per integrum

annum et ſex menſes commoratus, atque, luſtrata Syria et regione Epheſina, Caeſaream et Antiochiam reverſus, inter Antiochenos aliquamdiu fuerat verſatus (Actt. XVIII, 11. 19. 22.) Quo efficitur, hanc epiſtolam conſignari non potuiſſe ante annum 54. Satis probabiliter Paulus anno 55. quum iterum inter Epheſios [6]) verſaretur (Actt. C. XIX.) litteras ad Galatas dediſſe exiſtimatur. Authentia eius nunquam in dubium eſt vocata [7]).

1) Cfr. N. T. graece perpet. adnot. illuſtr. a *Koppe* Vol. VI. ed. III. cur. *Tychſen*, Gott. 1823. p. 8. *Haenlein* Handbuch der Einl. Vol. III. p. 407. ed. II. *Keil* commentatio inſerta: Analekten für das Studium der exeget. und ſyſtem. Theol. v. Keil u. Tzſchirner, 3. B. 2. St. 1816. A. *Borger* interpretatio epiſt. ad Gal. Lugduni Batav. 1807. prolegg. p. 16. *Fiſcher* comment. exeg. de tempore, quo epiſtola Pauli ad Gal. ſcripta fuerit, Longoſaliſſae, 1808, 4. Guil. *Niemeyer* de tempore, quo epiſtola ad Gal. conſcripta ſit, accuratius definiendo, Gotting. 1827. 4. P. *Mynſter* in l. ad §. 52. nota 1. laud. p. 65. Duo tantum diſtinguunt itinera Pauli Galatica, quorum prius *Actt.* 16, 6. enarretur: *Michaelis* Einl. Vol. II. p. 1193. ff. *Schmidt* Einl. Vol. I. §. 104. *Hug* Einl. Vol. II. p. 319. ed. II. *Eichhorn* Einl. 3. B. 1. Hälfte, p. 85. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 2770. ff.

2) Situs locorum, quae *Actt.* 14, 6. commemorantur, prohibet, quo minus Lucam de *regione circa Lyſtram et Derben poſita* ita locutum eſſe putemus, ut *Galatiam cogitando* complecteretur. Et, quamvis nomen *Galatia* illo tempore ſubinde ſenſu latiori uſurpatum fuerit (vd. *Mynſter* l. l. p. 58. ff.), demonſtrari tamen non poteſt, nomen *Lycaonia* apud *Lucam* tam late patuiſſe, ut Galatiam quoque innueret, praeſertim quum Lucas alibi *Actt.* 16, 6. 18, 23. χώραν potius γαλατικην commemoret, eamque a Phrygia diſtinguat. Nec ipſa Pauli ad Galatas epiſtola eiusmodi continet effata, quae ponant, Apoſtolum in illo itinere per Lycaoniam facto (*Actt.* 14, 6.) Galatas adiiſſe et convertiſſe. Nam de Barnaba quidem (qui omnino non fuit in comitibus Pauli eo tempore, cuius hiſtoriam Lucas *Actt.* 16, 6. perſequitur) nar-

rare Apostolus poterat ep. *ad Gal.* 2, 13. etsi Galatis Barnabas nunquam *de facie* innotuisset. Quae c. 4. v. 13. 14. dicuntur, minime cogunt interpretem, de iis cogitare eventis, quorum narratio *Actt.* 14, 19. exhibetur. Nil inpedit, quo minus aerumnas intelligamus, quas Paulus in illo itinere, de quo *Actt.* 16, 4. ff. sermo est, perpessus fuerit, in volumine Actt. non indicatas.

3) Quum Paulus iterum Galatas adiisset (*Actt.* 18, 23.) *confirmavit* tantum eorum persuasionem, qui sacra Christiana *prius* fuerant amplexi. Sententiae nobis probatae minime adversantur verba Lucae *Actt.* 16, 6. κωλυθέντες ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος λαλῆσαι τὸν λόγον, quippe quae nonnisi ad Apostolos in Ἀσίᾳ (sensu angustiori dicta, i. e. *Ionia*) versantes pertinent. Immo, quum verba priora v. 6. διελθόντες δὲ etc. haud dubie ad narrationem anteced. v. 4. 5. respiciant, ex tota orationis serie patet, Paulum tum temporis in Galatia et Phrygia profecto docuisse, et confirmantem coetus Christianos, et novos colligentem (ἐπερίσσευον τῷ ἀριθμῷ v. 5.)

4) Dedisse Paulum litteras ad Galatas, quum *altera vice* hunc coetum visitasset, defendunt praeter alios *Eichhorn, Hug, Bertholdt* locis nota 1. laudd. *Winer:* Pauli ad Gal. epistola graece, perpetua adnot. illustravit, Lips. 1828. 8. ed. II. prolegg. §. 2. *De Wette* Lehrbuch der Einl. in das N. T. p. 231. His non repugnat locus ep. ad *Gal.* 1, 6. ubi Paulus miratur, quod Christiani illi ab incorrupta evangelii doctrina, οὕτω ταχέως, doctoribus Iudaismi studiosis aures praebentes, defecerint. Minime certum est, Apostolum hoc ita enuntiasse, ut ad *conversionem* Galatarum respiceret; quum ταχέως de eo quoque usurpetur, qui aliquid faciat *sine mora* (*Luc.* 16, 6.) sive *festinanter* (*Io.* 11, 31.) et *praepostere* (I. ad *Timoth.* 5, 22.) Qui epistolam *ante conventum Hierosolymitanum* (*Actt.* c. 15.) scriptam esse contendunt (coniecturam illam supra commemoratam de conversione Galatarum eo tempore facta, cuius historia *Actt.* 14, 6. ff. enarratur, amplexi), huius sententiae argumentum idoneum ex eo petere nequeunt, quod Paulus in tota epistola decreti apostolici Hierosolymis sanciti (de circumcisione aliisque statutis legis Mosaicae non iniungendis hominibus Ethnico-Christianis, *Actt.* 15, 23. ff.) mentionem iniecerit nullam. Cogitari quippe possunt causae huius silentii admodum probabiles, etsi Apostolus (secundum

nostram sententiam) diutius *post* conventum illum litteras dederit ad Galatas. Quum experiundo cognovisset, eos Galatas, quos hac epistola maxime corrigendos putaret, auctoritate illius decreti minime inpeditos esse, quo minus doctoribus Iudaismi studiosis aures praeberent; malebat praeter suam Apostoli doctorisque Galatarum auctoritatem alia proferre argumenta, quae animos illorum hominum gravius pungerent. Neque ex narrationibus *Actt.* 16, 3. 21, 20—26. sequitur, Apostolum *post* conventum illum Hierosol. aliquamdiu de Iudaeo-Christianis legis Mos. studiosis sententiam fovisse *mitiorem* ea, quam in ep. ad Gal. profiteretur. Idem quippe Apostolus, qui Iudaeo-Christianos Iudaismum suum *pertinaciter et superbe* defendentes graviter inpugnabat, suo tempore et loco, pro humanitate sua et prudentia, concedere aliquid poterat *inbecillitati* eorum, qui in neglecta lege Mosaica offenderent, I. ad *Corinthh.* 9, 20. ss. Quod locum attinet ep. ad *Gal.* 2, 11. ss. nihil definiit Paulus de tempore, quo *Petrus Antiochiam* venerit. Quodsi haec controversia Pauli et Petri Antiochena *ante* conventum Hierosolym. accidisse cum nonnullis existimetur, nihil tamen omnino Paulum *seriori aetate* hanc epistolam exarantem (post secundum iter Galaticum) inpedire poterat, quo minus illius controversiae, quae olim fuisset, mentionem iniiceret. Neque vero repugnare dixerim indoli Petri, si *post* conventum apostolicum, etsi ipse in conventu sententiam liberiorem professus fuisset (*Actt.* 15, 7. ss.), metu quorundam Iudaeo-Christianorum iterum aliquamdiu religioni sibi duxisse statuatur, cum Christianis comedere non circumcisis (ad *Gal.* 2, 12.) Sive hoc ante, sive post conventum accidisse dixeris, aliquam inconstantiam (temporariam quidem) prodidit, qui alio tempore (*Actt.* c. 10. 11.) perspicue iam cognoverat, doctrinam evangelicam hominibus non circumcisis pariter atque circumcisis esse tradendam, itemque cum Paulo et Barnaba illud, de quo ep. ad *Gal.* 2, 9. sermo est, foedus inierat. Denique iis, qui epistolam ante conventum Hieros. exaratam esse contendunt, non favet locus vexatissimus ep. ad *Gal.* 2, 1. Fuerunt omnino, qui, argumentis haud contemnendis permoti, hunc locum de itinere Pauli *Hierosolymitano* post conversionem eius *secundo* (*Actt.* 11, 29. 30.) anno 44. aut 45. in. facto (vd. §. 48. nota 13.) interpretarentur. Vd. *Keil* opuscula acadd., ed *Goldhorn*, Lips. 1821. p. 160. ss. p. 351. ss. *Eichhorn* Einl. 3. B. 1.

Hälfte, p. 81. Süßkind neuer Versuch über chronolog. Standpunkte für die Apostelgeschichte, comment. inserta: Bengel Archiv für die Theologie 1. B. 1. St. Tüb. 1815. p. 157. ss. Gabler neues theol. Journal 13. B. 2. St. 1799. p. 209. ss. Küchler de anno, quo Paulus Ap. ad sacra Christ. conversus est, Lips. 1828. p. 27. ss. Flatt Vorlesungen über die Briefe Pauli an die Galater und Eph. herausgegeben v. Kling, Tüb. 1828. p. 33. ss. Haud parum iis patrocinari videtur, quod Apost. c. 1. ad Gal. v. 18. de itinere Hierosol. primo post conversionem facto breviter exposuerat. Attamen consilium, quo Paulus in hac epistola plura exposuit de his itineribus suis (probaturus Christianis, se partim eo tempore, quod conversionem suam proxime insequeretur, veram cognitionem et persuasionem Christianam non ab aliis accepisse hominibus, sed ex institutione revelationis divinae, partim ceteris Apostolis non cedere auctoritate, et ab his ipsis Iesu legatis agnitum esse Apostolum verum) permittebat certe Paulo, ut, primo quidem itinere C. I. commemorato, C. II. in. ad tertium transiret, omisso secundo, in quo nihil accidisset, cuius usum facere posset ad ea, quae probaturus esset, demonstranda. Nec desunt, quae magnopere suadeant, ut locum ad Gal. 2, 1. de tertio itinere Hierosol. quod Paulus anno post C. N. 47. aut 48. (vd. §. 48. nota 15.) susceperit, ut conventui interesset apostolico (Actt. c. 15.) interpretemur. a) Quae Apost. l. l. ad Gal. de duobus perhibet itineris sui comitibus, Barnaba et Tito, loco Actt. (ubi de secundo itinere Hieros. sermo est) 11, 30. unum Barnabam Pauli comitem commemoranti minus accurate conveniunt, quam loco Actt. 15, 2. b) Quod Paulus cum sociis Actt. c. 13. in. in varias Ethnicorum terras profectus esse ibique docuisse narratur, non inpedit, quo minus ea, quae ad Gal. 2, 9. de foedere sollemni Paulum Barnabamque inter, et Petrum, Iacobum, Ioannem sancito (ut illi quidem gentilibus, hi vero Iudaeis potissimum doctrinam de Christo traderent) leguntur, seriori tempore accidisse putemus, quum Apostolus tertio itinere Hieross. adiisset. Minime enim ab illo foedere pendebat consilium Pauli, Ethnicos convertendi (cuius propositi specimina iam ediderat, priusquam secunda vice Hieross. adiit, Actt. 11, 26. ss. 9, 30. ad Gal. 1, 17.) Illa, quae teste ep. ad Gal. 2, 7. in animis ceterorum Apostolorum excitata fuerat, persuasio de provincia Ethnicos ad Christum convertendi Paulo

potissimum divinitus demandata, *eiusmodi documenta* ponebat, ubique cognita, huius vocationis divinae et facultatis Paulo concessae, qualia hic Apostolus in itineribus illis *Actt.* c. 13. 14. enarratis ante tertium iter Hierosol. palam ediderat. c) Tota illa, quae *ad Gal.* 2, 2. ss. exhibetur, narratio rerum Pauli ceterorumque Iesu legatorum tum temporis Hierosolymis gestarum prorsus consentit iis, quae *Actt.* c. 15. de *tertio* dicuntur itinere Hierosolymitano. Vd. ad *Gal.* 2, 2. 7. ss. coll. *Actt.* 15, 4. 12. ss. ad *Gal.* 2, 3. coll. *Actt.* 15, 10. 19. ss. 22. ss. ad *Gal.* 2, 4. coll. *Actt.* 15, 1. 5. ad *Gal.* 2, 11. coll. *Actt.* 15, 30. His de caussis locum vexatum de *tertio* itinere Hierosol. verissime intellexerunt (unde sequitur, epistolam ad Gal. scribi *non* potuisse *ante* conventum Hierosol.): *Irenaeus* adv. haerett. l. 3. c. 13. §. 3. Io. *Pearson* annales Paul. p. 18. ed. Hal. *Semmler* prolegg. paraphraseos ep. ad Gal. Hal. 1779. 8. p. 66. ss. idemque in diss. de tempore, quo scripta fuerit ep. ad Gal. Hal. 1768. *Koppe* in comment. ep. ad Gal. supra laud. *Vogel* in comment. inserta: *Gabler* Journal für auserlesene theol. Litter. 1. B. 2. St. 1804. *Haselaar* de nonnullis Actorum App. et epistolarum Paul. locis ad historiam Pauli pertinentibus 1806. Chr. *Schmidt* Chronol. der Apostelgeschichte, inserta: Analekten etc. von *Keil* und *Tzschirner*, 3. B. 1. St. 1816. *Borger* in comment. supra §. 58. nota 1. laud. prolegg. *Hug* Einl. Vol. II. p. 274. ss. ed. II. *Winer* in excursu II. editionis suae supra laud. Cfr. insuper programma *meum:* isagoge historico-critica in ep. P. ad Galatas, Ienae, 1829. 4. Ceterum, quae loco *ad Gal.* 2, 1. vulgo exstat lectio διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν, sive de secundo, sive de tertio itinere Hierosol. cogitaveris, sive initium horum 14 annorum a conversione Pauli, sive ab itinere primo Hierosol. ducere volueris, rationibus repugnat chronologicis. Cfr. programma meum laud. Probanda lectio *multis* interpretibus probata: διὰ τεσσάρων ἐτῶν, ita ut hi quatuor anni ab anno primi itineris Hierosol. (a. 43.) computentur. Vd. §. 48. nota 15. (Antiquum mendum δεκατεσσάρων ex similitudine vocabb. δια et δεκα, ex compendiis scripturae, ex loco simillimo II. ad *Corinthh.* 12, 2. exstiterat.)

5) Vd. §. 48. nota 15.

6) Quum Paulus Ephesi diutius versaretur, hoc loco atque tempore nuntium certum de turbis in coetu Galatarum

exortis accipere, totamque rem accuratius investigare facillime poterat. Subscriptio in plerisque codd. obvia, quae epistolam Romae exaratam esse perhibet, ex loco ep. 6, 17. minus recte intellecto derivata est. Diversas de loco, ubi epistola scripta fuerit, sententias (aliorum opinionibus minus probatis de tempore, quo P. scripserit, coniunctas) recensuit *Berthaldt* Einleit. Vol. 6. p. 2771.

7) Quanquam dubium est, an *Clemens Rom.* ep. ad *Corinthh.* c. 49. *Ignatius* epist. ad Philadelph. §. 1. ad Magnes. §. 8. *Iustinus Martyr* or. ad Graecos p. 40. D. ed. Colon. verba usurpaverint ex ep. Gal. desumta; luculentissima tamen authentiae huius ep. testimonia exstant apud *Irenaeum* contra haerr. l. 3. c. 6. §. 5. c. 7. §. 2. *Clementem Alexandr.* stromm. l. 3. p. 468. ed. Sylb. *Tertull.* de praescriptt. c. 6. et alios. Indolem Paulo propriam tota refert epistola. Quaecunque pluribus locis de fatis Pauli rebusque gestis obveniunt, universe spectata prorsus conveniunt historiae huius Apostoli apud Lucam in Actis App. enarratae. [Nonnulla quidem Lucas omisit, minusve accurate exposuit. De difficultate chronologica loci ad *Gal.* 2, 1. nota 4. ex. diximus.] — *Explicationi* huius epistolae, *praeter alios intt.* ad §. 49. sub finem notae 21. commemoratos, inserviunt: *Lutheri* in ep. ad Gal. commentarius, Lips. 1519. 4. Viteb. 1523. *Eiusdem* comment. uberior (ex praelectionibus Lutheri collectus), Viteb. 1535. 8. recognitus Viteb. 1538. 4. 1543. 4. Io. *Bugenhagen* adnotatt. in ep. ad Galatas, Ephesios etc. Basil. 1525. Hieron. *Kromayer* comment. in ep. ad Galat. Lips. 1670. 4. Ge. *Calixti* expositio litteralis in ep. ad Galatas, Helmstad. 1664. 4. *Baumgarten* Auslegung der Briefe P. an die Galater, Epheser, u. s. w. mit Beyträgen von *Semmler*, Halle, 1767. 4. *Zachariae* paraphrastische Erklärung der Briefe P. an die Galater, Epheser, u. s. w. Göttingen, 1770. 8. Dav. *Michaelis* Paraphr. und Anmerckk. über die Briefe P. an die Galater, Epheser u. s. w. ed. II. Bremen und Göttingen, 1769. 4. *Stroth* umschreibende Uebersetzung und Erklärung einiger schwerer Stücke des Briefs Pauli an die Gal. inserta: *Eichhorn* Repertor. für biblische und morgenländ. Litter. Vol. IV. Leipz. 1779. 8. Der Brief an die Gal. übers. mit Anmerkk. von W. *Krause*, Frankfurt am Mayn, 1788. 8. H. *Schilling* Versuch einer Uebersetzung des Briefs an die Gal. mit Anmerckk. Leipz.

1792. 8. Der Brief des Ap. P. an die Gal. verdeutscht mit Anmerckk. inserta: *Hencke* neues Magazin für Religionsphilosophie u. s. w. 2. B. 1. St. Helmstädt, 1798. 8. Ben. *Carpzov* neue Uebers. des Briefs P. an die Gal. Helmstädt, 1794. 8. *Mori* acroases in epp. P. ad Galatas et Ephesios (ed. *Eichstädt*) Lips. 1795. 8. Pauli Brief an die Gal. übers. mit Anmerckk. v. *Hensler*, Leipzig, 1805. 8. Scripta denique exegetica *Mayeri* (§. 51. nota 9. ex.) *Koppii* et *Borgeri* (§. 53. nota 1.) *Semmleri*, *Wineri*, *Flattii* (§. 53. nota 4.) laudata. In his praesertim Lutheri, Baumgartenii, Zachariae, Semmleri, Mori, Koppii, Borgeri, Wineri, Flattii opera eminent.

Epistolae ad Corinthios.

§. 54.

Postquam Paulus Corinthum, urbem Achaiae notissimam, artibus, litteris, mercatura, divitiis florentem, quanquam morum depravatione gravissima laborantem [1]), anno 52. adierat [2]), doctrinam de Christo primum in synagoga Iudaeorum, deinde in aedibus Iusti proselyti tanta praedicavit efficacia, ut, praeter exiguum Iudaeorum numerum, permulti et proselyti et pagani ad Christum converterentur (Actt. 18, 1—11.) Increvit posthac numerus Iudaeo - Christianorum, ex quo tempore Apollo [3]) Alexandrinus (Actt. 18, 24. ss.) Corinthi docuerat. Cognoverat autem Paulus, quum iterum sese ad Ephesios contulisset [4]), inter Corinthios neque eam esse concordiam, nec morum integritatem et severitatem, quae coetum deceat Christianum. Admonuit eos hac de re epistola [5]), quae non amplius exstat, misitque Corinthum [6]) Timotheum et Erastum, ipsius Apostoli adventum apud Corinthios praeparaturos. Quum deinde partim ex litteris [7]) Corinthiorum ad ipsum datis perspexisset, non satis recte intellecta esse, quae epistola nuperrime scripta praece-

pisset, de quaestionibus variis Corinthios dubios haerere atque suspensos, multosque vel ipsius Pauli vel Apollinis adventum magnopere desiderare, partim etiam aliunde nuntium accepisset [8]) de litibus partiumque studiis perversissimis, ecclesiam Corinthiacam distrahentibus, de pluribus in hoc coetu perperam institutis, de doctoribus falsis in eo maxime elaborantibus, ut de auctoritate Pauli eiusque praedicationis evangelii quovis pacto detraherent; scripsit Corinthiis eam, quae in canone nostro locum priorem obtinet, epistolam, ut illos obtrectatorum inpetus frangeret, controversias, errores, et vitia, quae in coetum Corinthiacum irrepsissent, tolleret, quaestionibus propositis responderet, collectionem denique beneficiorum in usum Christianorum, qui Hierosolymis versarentur, egenorum instituendam praepararet. Prioribus quatuor capitibus, ab iis exorsus, quae in laudem Corinthiorum multorum dici recte poterant, ingenue profitetur, quam parum sibi probetur, quod in coetu illo exstiterat, sectarum studium, quum omnes unanimi consensu unum debeant profiteri Dominum Christum; suae evangelii de Christo cruci adfixo praedicationis veritatem et simplicitatem contra eos (maxime Ethnico-Christianos) vindicat, qui sapientiam subtiliorem desideraverint; iterum transit ad controversias illas graviter reprehendendas, docetque, singulos Christianorum doctores pro ea animi sinceritate, qua unum eundemque Christum praedicaverint, recte aestumari; denique suam defendit agendi rationem dignitatemque apostolicam, promittitque Christianis, se propediem, si Deus voluerit, eos visitaturum. Exprobrat deinde Corinthiis C. V. quod hominem flagitiosum, rem cum noverca habentem, hucusque in coetu toleraverint, eumque iubet non amplius Christianum haberi, iis,

quae hac de re nuper ſcripſerat, perſpicue interpretandis. Reprehendit item conſuetudinem multorum Corinthiorum, ſi litem cum aliquo habuerint, rem ad iudices deferendi ethnicos, commendatque et concordiam et morum caſtitatem, C. VI. Tranſit deinde ad ſolvendas quaeſtiones Corinthiorum de dignitate coniugii Chriſtiano recte aeſtumanda, atque de eo potiſſimum foedere coniugali, cuius altera pars Chriſtum profiteatur, altera ſacris Iudaicis Ethnicisve addicta ſit, vel diſſolvendo, vel continuando? C. VII. Uberius porro C. VIII. IX. X. oſtendit, quousque homini Chriſtiano, ſalva et religione et benevolentia, ſedulo cavente, ne fratribus inbecillioribus offenſa praebeatur, carnem comedere liceat victimarum idolis oblatarum, inſertis pluribus, quae ad ſuam ipſius agendi rationem Corinthiis exempli loco proponendam et defendendam pertinent. Inprobat viros, qui in conventibus ſacris caput obvelaverint, mulieres vero hunc ritum iubet ſervare, graviterque vituperat, quae in *ἀγαπαις* Corinthiorum perperam fieri ſoleant, C. XI. De dotibus diverſiſſimis Spiritus divini, quibus ſinguli Chriſtianorum prae ceteris gaudeant, recte aeſtumandis, iisdemque nec invidioſe appetendis, nec ſuperbe iactitandis, immo ad veram totius eccleſiae ſalutem promovendam ſapienter adhibendis C. XII. XIII. XIV. differit, inſerto loco praeſtantiſſimo de amore, partes tenente primarias inter virtutes Chriſtianas. Refellit C. XV. dubitationes de reſurrectione mortuorum inter Corinthios excitatas, eosque de ſenſu huius doctrinae recte intelligendo diligentiſſime edocet. Adduntur denique C. XVI. exhortationes varii generis, praeſertim de eleemoſynis colligendis, et ſalutationes *).

1) Quae olim *Ephyra* dicebatur (*Apollod.* biblioth. l. 1. c. 9. *Strabo* l. 8. p. 582 ed. Caſaub. *Virgil.* Georgg. l. 2.

v. 464.) nomen serius nacta est ab instauratore suo Corintho (*Suidas* sub h. v.), Hoc tempore audit *Coranto*. Sita illa intra mare Aegaeum et Ionium, portuque duplici instructa, Cenchraeo et Lechaeo, admodum opportuna fuit mercatoribus et Italis et Asianis. Vd. praeter alios *Strabo* l. 1. *Pausan. Corinthh.* l. 2. c. 4. 5. *Polyb.* 2, 43. 5, 17. 25. *Pompon. Mela* l. 2. c. 3. Praeter mercaturam, et artium studia, praesertim *pulcrarum*, quanquam nec Philosophi defuerunt (vd. *Strabo* l. 8. p. 586. *Plin.* histór. natur. 34, 4. 35, 5. *Cic. Ver.* II, 19. *Herodot.* 2, 167.) celebris quoque fuit ludis Isthmicis quinquennalibus. Opulentia urbis luxuriem habuit comitem, summamque morum lasciviam. *Eustath.* ad *Homeri* Il. β. p. 220. *Athen.* l. 13. p. 573. *Strabo* l. 8. p. 582. *Aelian.* V. H. 3, 14. Postquam Corinthus per magnum temporis spatium respublica fuerat libera, a. 150. ante C. N. victore L. Mummio in potestatem Romanam est redacta, funditusque eversa. *Florus* 2, 16. Instaurata deinde elapso saeculo, beneficio Iulii Caesaris, ita ut mox pristinum mercaturae, divitiarum, artiumque splendorem recuperaret, litterarumque studiis, praesertim *sophistarum rhetorumque scholis*, eximie floreret. *Aristidis* Opp. T. I. p. 23. Rediit quoque pristina morum depravatio. De his omnibus cfr. *Wilkens* specimen antiquitatum Corinthh. Bremae, 1747. *Imman. Walch* antiquitates Corinthh. Ienae, 1761. 4. *Wagner* specimen rerum Corinthh. Darmstad. 1824.

2) Vd. §. 48. nota 15.

3) Sed praeter Apollinem alii quoque doctores, absente Paulo, Corinthum venerant, Iudaismo Christiano addicti, qui Petro et Iacobo maiorem, quam Paulo, auctoritatem tribuerent. I ad *Corinthh.* 1, 12. 9, 2. II. *Corinthh.* 3, 1. 5, 12. 11, 4. 18. 22. 12, 11.

4) Cfr. *Actt.* c. 19.

5) Ad hanc epistolam provocasse . postolum *I. Corinthh.* 5, 9. 11. plerique huius loci intt. recte concedunt. Neque enim, quae locum laud. in epistola nostra priori antecedunt; nec verba ipsa: ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ (cfr. II. *Corr.* 7, 8.) permittunt, ut Apostolum h. l. de ipsa nostra ep. priori ad Corr. data loquutum fuisse putemus. Sed haec epistola mature est amissa, prorsus distinguenda ab illis epistt. *apocryphis*, Corinthiorum ad Paulum, Pauli ad Corinthios, armenica quidem lingua in codice

Smyrnensi exaratis, quae primum innotuerunt auctore Phil. *Masson:* histoire critique de la republique des lettres, Vol. X. Amstelod. et Trai. 1714. itemque Day. *Wilkins*, cum versione latina illas edente, 1715. deinde, magis integrae, armenice, arabice, latine prodierunt, lacunis ex codice suppletis, per Guil. *Whistonium* (illas contra *La Crozium* apostolicas iudicantem, vd. *Fabricii* codex apocr. N. T. Vol. III. p. 667. ff.) in l. collections of authentic records etc. Lond. 1727. 8. Vol. II. itemque per *Whistoni* filios, cum versione graeca, in l. *Mosis* Chorenensis tres libri historiarum armenicarum, Lond. 1736. Spurias habuerunt cum alii Theologorum Germaniae, tum A. *Carpzov:* epistolae duae apocr. altera Corr. ad Paulum, altera P. ad Corinthios, quae dicitur periisse, ex codice armen. editae, graece et lat. versae, additis Whistoniorum notis, animadversionibus auctae a *Carpzov*, Lips. 1776. 8. Nuperrime quidem interpres eruditus, diligenter collatis octo codicibus harum epistt. armeniis, defensionem authentiae earum suscepit (quanquam ipse hanc epistolam P. recentius deprehensam ab illa, quam Paulus I. *Corr.* 5, 9. 11. intellexerit, prorsus distinguendam existimat, seriori quippe tempore, quum Paulus nostram ep. posteriorem scripsisset, ab Apostolo exaratam): F. *Rinck* das Sendschreiben der Corinthier an den Apostel P. und das dritte Sendschreiben Pauli an die Corr. in armenischer Uebersetzung enthalten, neu verdeutscht und mit einer Einleitung über die Aechtheit begleitet, Heidelberg, 1824. 8. Sed pauca illa, quae exstant, scriptorum quorundam armeniorum testimonia (quorum antiquissimus fuit *Gregorius Illuminator* in sermone ad Neophytos habito Saec. IV. ineunte) parum valent ad originem harum epp. apostolicam comprobandam, patribus ecclesiae antiquioris graecae, latinae, syriacae easdem prorsus ignorantibus. Pluresque eorum, quibus continentur, codicum Saeculo demum XVII. exarati sunt, aliorum aetas est incerta. In utraque epistola haud pauca obveniunt, quae neque coetui Corinthiaco, qualem ceterae Pauli epistolae delineaverint, neque ipsius Apostoli ingenio, eiusque doctrinae et argumentationis indoli conveniant. Ceterum illa P. epistola armenica partim sententias tractat ab iis plane diversas, quae Apostolus, quum prima vice Corinthios litteris adiret, loco *I. ep. Corr.* 5, 9. 11. praeunte, praeceperat, partim respondet litteris ab ecclesia Corinth. ad Apostolum datis (eam, quae I. *Corr.* 5, 9. 11. intelli-

gitur, Pauli epistolam nulla praecesserat Corinthiorum ad Ap. data.) Vd. *Ullmann* über den durch F. Rinck bekannt gemachten dritten Brief an die Corinthier, und das kurze Sendschreiben der Corinthier, Heidelberg, 1823. 8. itemque *Bengel* Archiv für die Theologie etc. 7. B. 2. St. 1825. p. 287. ff.

6) Cfr. I. *Corinthh.* 4, 17. 16, 10. unde patet, Timotheum *paulo ante* scriptionem prioris nostrae ad Corr. epistolae in viam se dedisse.

7) Cfr. I. *Corr.* 16, 17. sq. coll. 7, 1. 8, 1. 12, 1. 16, 1. 4. 12.

8) Quae quidem sectarum studia Apostolo indicata palam notantur I. *Corinthh.* 1, 10. ff. 3, 3. ff. 11, 18. ff. II. *Corr.* 12, 20. Non figurate intelligi posse, quae Paulus I. *Corr.* 1, 12. dixerit: ἕκαστος ὑμῶν λέγει· ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου etc. praeter alios bene docuit *Eichhorn* Einl. 3. B. 1. Hälfte p. 108. ff. Dissidium exstiterat inter 1) *Christianos liberiores*, ex numero Ethnico-Christianorum, persuasionem de lege Mosaica per Christum sublata strenue defendentes, quorum a) alii *Paulum* potissimum doctorem suum et ducem profitebantur, b) alii *Apollinem* (ab ipse quidem Paulo dilectum et aestumatum I. *Corr.* 3, 5. 6. 4, 6. 16, 12.) propter eloquentiam ad artis regulas magis compositam (*Actt.* 18, 24.) praeferre eiusque sectatores se nuncupare solebant, 2) et *Iudaeo-Christianos severiores*, legi Mosaicae etiamnum addictos, *Petri* sectatores sese gerentes, quippe qui aliquamdiu opinionibus horum Iudaeo-Christst. multum cessisset. [Dubia quidem est auctoritas testimonii, quo *Dionysius Corinth.* Petrum Apostolum inter Corinthios evangelium praedicasse perhibet. *Euseb.* hist. eccl. 2, 25. Neque omnino ex verbis Dionysii sequitur, hoc accidisse, *priusquam* Paulus litteras daret ad Corinthios. Cui sententiae praeterea obstat, quod Paulus, si *Petrum* nosset inter Corr. docuisse, vix ea dicturus fuisset, quae I. *Corr.* 4, 15. II. *Corr.* 11, 4. 5. 13. 22. leguntur, quippe quae, sic universe pronuntiata, facile possent invidiose in Petrum dicta iudicari. Verum illa *Petrinorum* factio ex iis facile originem trahere potuit, qui vel aliis locis Petrum docentem audierant, vel cum discipulis Petri Corinthum profectis familiariter fuerant versati. II. *Corr.* 3, 1.] Qui praeterea commemorantur I. *Corr.* 1, 12. λέγοντες, ἐγὼ εἰμὶ χριστοῦ, quales fuerint, diversimode coniiciunt interpretes. Lubentissime

concederemus *Storrio* (opuscc. acadd. Vol. II. p. 246. ff.) *Bertholdt*o (krit. Journal der neuesten theol. Litter. 7. B. 4. St. 1818. p. 337. ff.), aliis, eiusmodi Christianos intelligi, qui, quum *Iacobum* Apostolum, *consanguineum Christi* (ad *Gal.* 1, 19.) prae ceteris ducem suum et doctorem praedicarent, se ipsos *Christo Domino propius coniunctos* nuncuparent (cui sententiae loca I. *Corr.* 9, 5. 15, 7. patrocinari videntur); nisi et causa deesset idonea, quare eiusmodi sectatores Iacobi noluerint potius formulam usurpare: ἐγὼ εἰμὶ Ιακώβου, s. τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ κυρίου, et prorsus desideraremus ipsius Pauli effata, quae vanitatem *eiusmodi praerogativae* aperte declararent. Immo locus I. *Corr.* 3, 22. 23. suadet, ut illud λέγοντες, ἐγὼ εἰμὶ Χριστοῦ eos innuere putemus, qui recte in eo acquiescant, ut *simpliciter se Christo addictos profiteantur*. Minime existimandus est Paulus hos pariter inprobasse, atque illos, qui vel ipsum Paulum, vel Apollinem, vel Petrum ducem suum atque doctorem prae ceteris iactitaverint. Mentionem eorum propterea fecit una cum illis, quod, cuiusnam generis essent dissidia inter Corinthios excitata, *perspicue explicare* non poterat, nisi ita, ut diceret, alios hunc, alios illum praeferre doctorem, aliis (recte quidem I. *Corr.* 3, 23) se Christi sectatores simpliciter appellantibus. Cfr. *Pottii* observata: N. T. graece perpet. adnot. illustr. edit. *Koppianae* Volum. V. part. I. (I. *Corr.* c. I—X.) continuavit *Pott*, Gotting. 1826. 8. prolegg. p. 31. ff. — De statu interno ecclesiae Corinthiacae praeter eos, qui prolegomena vel isagogen in I. *ad Corr.* tractaverunt, cfr. A. *Neander* kleine Gelegenheitsschriften praktisch-christlichen, vornehmlich exegetischen und historischen Inhalts, 3. Auflage, Berlin, 1829. 8. p. 68. ff.

9) Data est epistola ad *universum coetum Corinthiacum*, et Iudaeo- et Pagano-Christianos complectentem. Neque enim (quae *Michaelis* fuit sententia Einleit. Vol. II. §. 177.) ex II. *Corr.* 1, 1. sequitur, eam quoque salutationem, quae epistolam I. C. I. exordiatur, *ad omnes* pertinere *coetus Achaicos* (immo πάντες οἱ ἐπικαλουμένοι etc. v. 2. Christiani sunt *omnium locorum*, quibus Apost. ea de causa una cum Corinthiis salutem precatur, ut statim ab initio suam de intima Christianorum omnium coniunctione persuasionem illis factionum studiis Corinthh. opponat); neque totius epistolae argumentum et oeconomia permittit, ut

Apoſtolus ad, *aliquam tantum partem* Corinthiorum has litteras dediſſe exiſtimetur. Vd. *Eichhorn* Einl. 3. B. 1. Hälfte, p. 140 ff.

§. 55.

Plura epiſtolae effata [1]) ſatis perſpicue teſtantur, exaratam eſſe fere ſub finem vergente biennio illo [2]), quod Paulus, quum altera vice Epheſios adiiſſet, in hac urbe tranſegerit (tempore verno anni 56.) Origo epiſtolae Paulina nullis omnino dubitationibus eſt obnoxia [3]).

1) Cfr. I. *Corr.* 16, v. 8. ἐπιμενῶ δὲ ἐν Ἐφέσῳ etc. v. 19. ἀσπάζονται ὑμᾶς Ἀκύλας καὶ πρίσκιλλα, coll. *Actt.* 18, 18. 19. 26. I. *Corr.* 4, 17. (ἔπεμψα ὑμῖν Τιμόθεον) 16, 10. (ἐὰν ἔλθῃ Τιμόθεος) coll. *Actt.* 19, 22. Haec docent, falſam eſſe ſubſcriptionem epiſtolae vulgarem: ἐγράφη ἀπὸ Φιλίππων.

2) Poſtquam Paulus apud Corinthios, quos anno 52. adiit (§. 48. nota 15.), per integrum annum et ſex menſes verſatus fuerat, Syria luſtrata, *prima vice*, per breve quidem temporis ſpatium, *Epheſios* viſitavit primo quadrimeſtri anni 54. *Actt.* 18, 18—21. Digreſſus inde, ut feſtum Paſchatos Hieroſolymis celebraret (v. 21.), paulo poſt eodem anno *altera vice* Epheſum venit. *Actt.* 18, 22—19, 1. Quam Pauli inter Epheſios commorationem poſteriorem per *biennium atque tres menſes* duraviſſe, teſtari vulgo Lucas exiſtimatur *Actt.* 19, 8. 10. Sed nihil inpedit, quo minus verba Lucae v. 10. τοῦτο δὲ ἐγένετο ἐπὶ ἔτη δύο ad narrationem v. 9. exhibitam de Apoſtolo in ſchola Tyranni docente *pariter* atque ad v, 8. ubi P. tres menſes in ſynagoga evangelium praedicaſſe legitur, pertinere exiſtimemus (ut illi tres menſes hoc biennii ſpatio, forſitan non ad amuſſim exigendo, comprehendantur.) Quod Paulus ipſe, Mileti presbyteris Epheſiis valedicens (*Actt.* 20, 31.), *triennium* commemorat, quo Chriſtianos Epheſios ſedulo cohortatus fuerit, minime eſt de ſpatio trium annorum *completo* intelligendum, ſed numerum exhibet rotundum (propterea uſurpatum, quod Paulus et primis menſibus a. 54. per aliquot hebdoma-

des Ephesi fuerat, in eamque urbem reversus permagnam huius anni partem ibi transegerat, et integrum annum 55. itemque sex fere menses a. 56. Ephesiis edocendis inpenderat), similem illi, quo Christus dicitur *tertio die* s. *post triduum* surrexisse, *Matth.* 27, 63. *Luc.* 24, 7. I. *Corr.* 15, 4. al. Quo minus ipsius Lucae narrationem (*Actt.* C. 19.) de *triennio* completo interpretemur, quo Apostolus non tantum Ephesi, sed etiam, postremis quidem novem mensibus ante discessum, in finitimis Ioniae regionibus evangelium praedicaverit (vd. A. *Curtius* comment. de tempore, quo prior Pauli ad Timoth. epistola exarata sit, Berolini, 1828. 8. p. 24. ff.) plura inpediunt. Parum probabiliter enim *Actt.* 19, 22. ἐπέσχε χρόνον εἰς τὴν Ἀσίαν sub χρόνῳ (non accuratius definito) spatium *novem* intelligitur *mensium* (illis tribus mensibus v. 8. duobusque annis v. 10. computando addendum.) Commorationem Pauli inter Ephesios ad finem iam vergentem, quo tempore (v. 21.) in Macedoniam ulterius proficisci constituerat, haud obscure formula innuit v. 21. in. ὡς δὲ ἐπληρώθη ταῦτα. Ad illud, quod phrasis ἐπέσχε χρόνον v. 22. involuit, temporis spatium, haud dubie non ita magnum (unius, ad summum duorum mensium) refertur deinde v. 23. (κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον) seditio contra Paulum Ephesi excitata, v. 24—40. enarrata, *qua composita* Paulus *statim* discessisse dicitur c. 20. v. 1. Ceterum, si Lucas v. 22. ex. de itineribus Pauli *per Ioniam* factis cogitasset, paucis certe v. 23. monuisset, ea, quae nunc sequuntur, Ephesi gesta esse. Verissime igitur Apostolum, quum anno 54. aestate ineunte altera vice Ephesios adiisset, in hac urbe commoratum esse dicimus fere ad festum usque pentecostes a. 56. I. *Corr.* 16, 8. Epistola vero nostra prior ad Corr. data pluribus locis (1, 12. 3, 4. ff. 22. coll. 16, 12.) ponit, *Apollinem* inter Corinthios ita docuisse, ut sermo eius et institutio multis probaretur. Adiit ille Corinthios, *postquam* Paulus *prima* vice Ephesi fuerat. *Actt.* 18, 24. Maximam partem temporis diuturni, quod Paulus (Ephesum reversus) in hac urbe transigere constituisset, elapsam fuisse, quum haec epistola litteris consignaretur, verba arguunt I. *Corr.* 16, 8. licetque, praeeunte loco laud. (iis collato, quae I. *Corr.* 5, 7. obveniunt) satis probabiliter scriptionem huius epistolae ad tempus *paschale* anni 56. referre. [Cfr. *Oeder* de tempore et loco scriptarum Pauli ad Philipp. et Corinthh. epistolarum, in l. coniectuarum de difficiliori-

bus scripturae s. locis centuria, Lips. 1753.) Addicit insuper huic sententiae et locus. I. *Corr.* 15, 32. coll. *Actt.* 19, 23. ss. et, quod epistola II. *ad Corr.* (paulo post priorem nostram exarata), testante loco II. *Corr.* 12, 1. coll. 11, 32. *anno* 14. *post conversionem Pauli* (§. 48. nota 8. ex.) scripta est.

3) Dubitatur quidem, an *Iustinus Martyr* in dial. cum Tryphone p. 253. 258. 338. ed. Colon. effata huius epistolae ante oculos habuerit. Exstant vero testimonia eius satis perspicua apud *Clementem Rom.* ep. I. ad *Corr.* c. 46. c. 47. c. 49. *Ignatium* ep. ad *Ephess.* c. 2. c. 18. *Polycarpum* ad Philipp. c. 11. *Iustinum Mart.* ep. ad Diognetum p. 502. ed. Colon. *Irenaeum* contra haerr. l. 3. c. 13. §. 1. l. 4. c. 27. §. 4. *Athenagoram* de resurrect. p. 61. sq. ed. Colon. *Clementem Alex.* paedag. l. 1. p. 96. ed. Sylb. *Tertull.* de praescriptt. c. 33. c. 36. de pudicitia c. 13. c. 14. *Cyprianum* l. 1. c. 4. alios. De pondere summo argumentorum authentiae internorum eadem valent, quae de prioribus epp. (ad Thess. et Gal.) diximus.

§. 56.

Apostolus, Epheso digressus, in [1]) Macedonia per Titum (qui nuper, auctoritate Pauli, Corinthios adierat) reducem certior factus eorum, quae litterae illae priores inter Corinthios effecerant, ad eosdem [2]) dedit epistolam, quae locum posteriorem in canone nostro obtinet, ut laude erigeret eos, qui praeceptis consiliisque Apostoli lubenter obtemperassent, admonendo cohortandoque emendaret, quae emendatione strenua maxime indigerent, auctoritatem suam fidemque iterum defenderet contra adversarios, qui, accepta priori epistola, superbius intumuissent, illamque beneficiorum collectionem nuper praeparatam (§. 52.) adiuvaret atque properaret. Prioribus VII. capitibus Apostolus, laudibus Dei celebratis, qui sibi, magnopere adflicto, solatium contingere iussérit, quo ipse possit

alios consolari, illius potissimum vexationis gravissimae apud Ephesios nuper toleratae mentionem iniicit, quam quod feliciter superaverit, et potentissimo Dei auxilio et precibus Corinthiorum tribuendum esse animo grato profitetur, transiens inde ad sui ipsius defensionem, quippe qui illa Corinthiorum deprecatione ubique dignum sese gesserit, doctorem evangelii veracem, et dicendo et agendo sibi constantem, amore summo et desiderio Corinthiorum flagrantem (inseruntur causae, quare hucusque nondum satisfecerit proposito Corinthum iterum veniendi, praecipiturque Christianis illis, ut homini flagitioso, auctoritate Apostoli excommunicato, vd. §. 54. ubi resipuerit, veniam concedant), C. I. II.; quo facto pergit ad auctoritatem muneris sui apostolici et institutionis evangelicae divinam amplius vindicandam, quo argumento tractando ad demonstrandam ducitur religionis Christianae praestantiam summam; ad suam ipsius exspectationem laetissimam vitae post mortem beatae declarandam, ad cohortationes varii generis, quibus Corinthii excitantur, ut et ipsi, ad exemplum Apostoli, integritati vitae studeant, C. III — C. VII. Uberius deinde exponitur, quare Corinthios maxime deceat, sedulo hoc agere, ut beneficia larga in usum pauperum, qui Hierosolymis versentur, Tito quidem hoc negotium adiuvante, colligantur, et, qua ratione id commodissime fieri possit, C. VIII. IX. Denique iterum se convertit ad refutandas adversariorum calumnias, suamque auctoritatem contra doctores falsos commonstrandam, iterumque promittit, se propediem Corinthum esse venturum, et, quo iure veracitatem et constantiam sibi vindicaverit, re ipsa et facto ostensurum. C. X — XIII. Scripta est epistola interiectis post priorem mensibus paucis [s]), in ipso iti-

nere Macedonico [4]), per Titum [5]) eiusque comites Corinthum deportanda.

1) Apud Macedones fuisse Apostolum, quum hanc epistolam exararet, elucescit ex ep. II. c. 2. v. 13. c. 7. v. 5. c. 9. v. 2. Vd. *Actt.* 20, 1. Timotheum iterum secum habebat, c. 1. v. 1.

2) Vd. ep. II, 2, 12. sq. 7, 5. 6. 13. 14. 8, 6. 16. 23. Innotuerat Apostolo, obsequutos quidem esse Corinthios iis, quae nuper scripsisset de homine quodam flagitioso puniendo, et de colligendis in usum pauperum beneficiis, *ep. II.* 2, 6—11. 7, 8—13. 9, 2. multosque ipsius adventum desiderare, suumque amorem Pauli sincerum esse testatos, *ep. II.* 1, 11. Audierat vero etiam de factionum studiis etiamnum vigentibus, de abusu libertatis evangelicae, quem haud pauci faciant Ethnico-Christiani, de calumniis adversariorum ingravescentibus. Ep. *II.* 2, 15. ss. 3, 1. 6, 14—18. 10, 9. ss. 12, 20. sq.

3) Locus quippe ep. *II.* 1, 8—10. ad ea respicit, quae Ephesi acciderant, *Actt.* 19, 24. ss.

4) Si cum *Bertholdtio* Einl. Vol. VI. p. 3374. ex loco *Actt.* 20, 6. colligimus, Apostolum, Epheso in Macedoniam digressum, *iuxta urbem Philippi terrae appulisse*; praeeuntibus locis II. *Corr.* 7, 5. 8, 1. ss. non potest haec epistola (quod subscriptio vulgaris contendit) apud *Philippenses* consignata existimari.

5) Cfr. ep. *II.* 8, 16. 18. 9, 3—5.

§. 57.

Quanquam interpretes concedunt, probe exploratam esse originem epistolae Paulinam [1]), fuerunt tamen recentiori aevo, qui plures Pauli epistolas temporibus diversis consignatas hac una, qualem vulgo continuam legimus, comprehendi coniicerent [2]). Qua coniectura, ingeniose quidem defensa, minime indigemus. Ex utraque epistola ad Corinthios tanta apparet animi voluntatisque eorum, qui tum temporis

ad hunc coetum pertinuerunt, diversitas, ut facile pateat, quomodo factum sit, ut Paulus in iisdem litteris alios laudaret, et blando sermone admoneret, alios graviter vituperaret, severe corrigeret, minando perterrefaceret [3]). Caput nonum de eodem [4]) eleemosynarum colligendarum negotio, quod capite octavo commendatum fuerat, strenue properando ita exponit, ut nec otiose repetat, quae Capite VIII. legimus, neque nexu [5]) facili cum capite antecedente destituatur. Denique effata quaedam huius epistolae singula, interpretatione recta adhibita, utique ita possunt inter se componi [6]), ut neminem iubeant de diversis cogitare epistolis hoc uno volumine comprehensis [7]).

1) Consentit etiam haec epistola historiae Pauli in *Actis App.* expositae. Eandem ponit rerum Corinthiacarum conditionem, quam prior depingit. Easdem tractat sententias, quas Paulo praesertim familiares fuisse aliae docent epistolae. Et, quanquam hebraismi, ellipses tropique duriores, sententiae inperfecto adhuc sermone abruptae, deinde resumto filo inchoatae, periodi ampliores parenthesibus coniunctae, frequentius, quam in epistola I. aliisque Paulinis pluribus obveniunt (vd. *Eichhorn* Einl. 3. B. 1. Hälfte p. 175. sq.), rerumque tractatarum ordo solutior apparet, quam in epistola priori, *genus* tamen *dicendi Paulinum* etiam huic inesse epistolae nemo ausit infitias ire. Perpendamus, Apostolum has litteras festinantius in ipso scripsisse itinere, haud exigua e rerum externarum, et graviorum animi adfectuum vicissitudine distractum commotumque. (Vd. *Royaards* disp. de altera P. ad Corr. epistola, et observanda in illa apostoli indole et oratione, Traiecti ad Rhenum, 1818. 8. p. 28. seqq.) Ceterum inter ea huius epistolae effata, in quibus plures interpretes propter aliquam sermonis obscuritatem duritiemve offendunt, eiusmodi quoque loca obveniunt, quorum difficultates vel, interpretatione recta adhibita, vel, lectione aut interpunctione veriori probata, evanescant. Vd. *Royaards* l. l. p. 99. ff. *Bengel* Archiv für die Theologie, 7. B. 2. St. 1825. p. 255. ff. Originem epistolae Paulinam ex antiquioribus ecclesiae doctoribus diserte

testati sunt: *Irenaeus* contra haerr. l. 3. c. 7. §. 1. l. 4. c. 28. §. 3. *Athenagoras* de resurr. p. 61. ed. Colon. *Clemens Alex.* stromm. l. 3. p. 456. l. 4. p. 514. ed. Sylb. *Tertull.* de praescriptt. c. 36. de pudicitia c. 13. 14. al.

2) Vd. *Semmler* de duplici adpendice epistolae ad Romanos, Halae, 1767. 4. *Eiusd.* paraphrasis posterioris epist. ad Corinthios, Hal. 1776. 8. Semmlerus distinguit a) epistolam per Titum Corinthum deportandam, quae VIII. capita priora epistolae II. *Corr.* itemque caput XVI. epistolae ad Romm. versusque tres ultimos cap. XIII. epistolae II. *Corr.* complectatur, b) epistolam paulo serius scriptam, adversariis Pauli oppositam (postquam Apost. iterum per Titum nuntium acceperat de rebus Corinthi gestis), quae a v. inde 1. capitis X. usque ad v. 10. Cap. XIII. pertineat, c) schedulam brevem, huic epistolae additam, coetus Achaicos omnes de collectione beneficiorum properanda admonentem, quae, quum simillima appareret iis, quae c. 8. leguntur, ubi haec Pauli scripta colligebantur, illi epistolae (a) inserta est, ita ut caput efficeret nonum. Similem sententiam ingeniose defendit *Mich. Weber* progrr. de numero epistolarum ad Corinthios rectius constituendo, Viteb. 1798. 99. 4.

3) Doceri non potest, iis epistolae sectionibus, quae ab initio inde capitis X. ad finem usque legantur, *nil inesse nisi reprehensionem acerbam.* Immo cfr. c. 11. v. 1. ss. c. 12. v. 14. ss. c. 13, v. 7. ss. Neque priori epistolae parti deesse videmus, quae dolorem et sollicitudinem Apostoli exprimant (cap. II.) eiusque adversarios tangant, c. 4. v. 2. 5. c. 5. v. 12. ss. Per totam fere epistolam haud exigua apparet adfectuum vicissitudo, nec omnia, quae his litteris continentur, ad *universum* coetum Corinth. pertinent. Consulto Paulus *prioribus* novem capitibus *maximam partem* genus dicendi *mitius* usurpavit, quo facilius ferrent lectores, quae deinde, pro auctoritate muneris apostolici, immo pro suo ipsius erga Corinthios amore, gravius et vehementius esset dicturus.

4) Sermonem esse de *eadem* beneficiorum collectione, elucescit ex c. 8, v. 23. coll. c. 9. v. 3. 5.

5) Nexus hic est: hos igitur collegas (c. 8, v. 22. seqq.) vobis vestroque amori maxime commendatos velim. Nam de ipsa quidem eleemosynarum collectione (redit ad rem c. 8, v. 1—21. tractatam) non omittenda vos admonere,

supervacaneum videtur (c. 9. v. 1.) Praeteritio urbanaeam, quae sequitur, praeparat admonitionem de negotio illo *magis properando*. Nec verba c. 9. v. 1. dici possunt veluti rem novam annuntiare, antea nondum expositam. Aliter se haberet, si scriptum esset περὶ δὲ (I. *Corr.* 7, 1. 8, 1. 12, 1. 16, 1.)

6) II. *Corr.* 12, 18. omnino non agit de quadam eleemosynarum collectione, iam peracta, sed iis opponitur, qui perperam dixerint, Apostolum per Titum (quum prima vice eum ad Corinthios misisset, vd. §. 56.) Christianos pecunia emunxisse, donis muneribusque pro praedicatione evangelii captandis. Locus vero II. *Corr.* 8, 22. sq. *posteriorem* Titi (hanc epist. II. Corinthiis allaturi) adventum innuit. Denique, quae II. *Corinthh.* 12, 14. 13, 1. leguntur, de *consilio* Pauli Corinthios iterum adeundi *ter* capto intelligenda sunt. Primum quidem per regiones Macedonicas Corinthum proficisci constituerat, ep. *I.* Corinthh. 4, 18. 16, 5. Mutavit deinde consilium, maluitque via brevissima Corinthum prius proficisci, quam Macedoniam lustraret, II. *Corinthh.* 1, 15. sq. Cui proposito quum tempore constituto satisfacere non potuisset, iam tertia vice, quo tempore hae litterae mittebantur, decrevit, quam posset, celerrime (peractis quidem iis, quae etiamnum in Macedonia peragenda essent) Corinthum venire. Ceterum, praeter clausulam sollennem totius epistolae (13, 11. ff.), nihil apparet, in ceteris sectionibus, quod vel finem epistolae cuiusdam, vel novae initium indicet.

7) *Unam* epistolam his litteris contineri verissime defendunt: *Gabler* dissert. crit. de capitibus ultimis IX—XIII. posterioris epistolae Pauli ad Corinthios ab eadem haud separandis, Gotting. 1782. 8. L. *Ziegler* Einleitung in die Briefe an die Corr. im 2. B. s. theologischen Abhandlungen, 2. Bände, Göttingen, 1791. 1804. 8. G. *Emmerling:* epistola Pauli ad Corr. posterior graece perpetuo comment. illustravit, Lips. 1823. 8. prolegg. p. XXX. sqq. *Royaards* disp. supra nota 1. laud. p. 48. sqq. *Eichhorn* Einl. 3. B. 1. Hälfte p. 179. ff. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3383. ff. — Illustrandis et ipsis ad Corinthios epistolis, et capitibus singulis ad isagogen pertinentibus, praeter eos Pauli interpretes, qui §. 49. sub finem notae 21. commemorati sunt, hi inserviunt: *Phil. Melanchthon* brevis et utilis commentarius in 1. P. ep. ad Corr. et in aliquot

capita ep. II. Viteb. 1561. 8. *Calixti* expoſitio litteralis in ep. priorem et poſter. ad Corr. Helmſtadii 1665. 4. *Van Til* commentar. in quatuor P. epiſtolas (1 Corr. Ephh. Philipp. Coloſſ.) Amſtelod. 1726. 4. L. von *Mosheim* Erklärung des 1. Briefs P. an die Gemeinde zu Corinth, Altona und Flensburg. 1741. 4. neue Ausgabe v. *Windsheim* 1762. 4. Ed. II. poſteriorem quoque ep. ad Corr. continet. Die zwei Briefe an die Corr. von D. *Moldenhawer*, Hamburg, 1771. 8. J. *Baumgarten* Auslegung der beyden Briefe Pauli an die Corr. mit einer Paraphraſe und Anmerkungen von *Nöſſelt*, und Vorrede von *Semmler*, Halle, 1761. 4. *Semmler* paraphraſis in ep. I. ad Corr. cum notis etc. Halis, 1770. 8. paraphraſis II. ep. ad Corr. Hal. 1776. 8. L. *Sahl* paraphraſis in I. ep. P. ad Corr. cum ſelectis obſervationibus, Hauniae et Lipſ. 1779. 4. Pauli erſter und zweyter Brief an die Corinthh. herausg. und erklärt von F. *Schulz*, 2. B. Halle, 1784. 85. 8. T. *Zachariae* paraphraſtiſche Erklärung der beiden Briefe an die Corr. von neuem herausgeg. mit Anmerckk. von C. *Volborth*, Göttingen und Leipzig, 1786. 8. Die beiden Briefe P. an die chriſtl. Gemeinde zu Corinth, überſ. mit Anmerkk. von G. *Göpfert*, Leipzig, 1788. 8. Pauli ad Corr. epiſtolae graece perpet. adnot. illuſtratae a W. *Krauſe*, Vol. I. (epiſtolam I. complectens) Francof. ad M. 1792. 8. Erklärung der beyden Briefe an die Corr. nach den Vorleſungen von *Morus*, Leipzig, 1794. 8. *Storr* notitiae hiſtoricae epiſtolarum Pauli ad Corinthios interpretationi ſervientes, Tubing. 1788. 4. inſertae eius opuſculis academm. Vol. II. Tub. 1797. 8. Epiſtola P. ad Corr. II. graece perpetua adnot. illuſtrata a. *Leun*, Lemgoviae, 1804. 8. Chriſt. *Heydenreich* commentar. in I. Pauli ad Corr. ep. Vol. I. Marburgi, 1825. Vol. II. 1828. F. *Krauſe* animadverſſ. in ep. Pauli II. ad Corr. quinque commentt. Regiomonti, 1815—1818. 4. inſertae eius opuſculis theolog. Regiom. 1818. 8. A. *Fritzſche* diſſert. I. et II. de nonnullis poſterioris Pauli ad Corr. epiſtolae locis, Lipſ. 1823. 24. 8. quocum cfr. *Schulthefs* über einige Stellen des 2. Brief an die Corr. im neuem krit. Journal der theol. Litter. von *Winer* und *Engelhardt*, 1. B. 3. St. 2. B. 4. St. 1824. Mich. *Wirth* Altes und Neues über den zweiten Brief an die Corinthier, Ulm, 1825. 8. V. *Flatt* Vorleſungen über die beyden Briefe P. an die Corr. nach ſ. Tode herausgeg. von F. *Hoffmann*, Tübing. 1827. 8. Editiones

Pottii (ep. I.) et *Emmerlingii* (ep. II.) supra §. 54. nota 8. §. 57. nota 7. laudd. Praecipue eminent (praeter hos Pottii et Emmerl. commentt.) opera Baumgartenii, Storrii, Semmleri, Kraufii, Heydenreichii, Fritzchii, Flattii.

Epistola ad Romanos.

§. 58.

Quo tempore primum exstiterit coetus Christianorum Romanus [1]), non licet quidem accuratius definire. Quum Iudaeorum, qui Romae [2]) vitam degerent, haud pauci et Hierosolymas saepius adirent, et in alias regiones, in quibus Christi essent cultores, proficiscerentur [3]), per eiusmodi Iudaeos Romam reversos doctrina de Christo ceteris facile innotescere poterat (sive hoc annis post abitum Christi de terra prioribus, sive serius fieret), ita ut sacra Christiana non tantum Iudaeis pluribus, sed etiam (forsan [4]) praecipue) Paganis probarentur [5]). Exstiterant vero lites ac dissidia, Iudaeo - Christianis quidem haud raro legem Mosaicam cerimonialem, aliasque praerogativas superbe iactitantibus, sibique veluti ius singulare vindicantibus, ad salutem regni divini perveniendi, hominesque ethnicos (praesertim ab eo inde tempore, quo Claudius Caesar Iudaeos Roma exulare iusserat) [6]) odio summo habentibus, Ethnico-Christianis vero haud paucis suam artem et sapientiam, suumque libertatis evangelicae usum fastuose contra illos efferentibus [7]). Nec defuerunt Christianis, inter Romanos, qui tum temporis maxima laborarent morum depravatione, vitam degentibus diversissimae peccandi illecebrae. Indigebantque multi propter Iudaeos Romanos, perfectionem summam religionis Mosaicae praedicantes, et evangelium acriter inpugnantes, admonitione apostolica, quae persuasionem Christianam stabili-

ret [8]). Haec omnia Paulo, de Romana quoque ecclesia, nisi coram fieri posset, scribendo tamen edocenda, emendanda et confirmanda bene mereri cupienti [9]), opportunitatem praebuerunt his litteris Romanos adeundi, quibus sententiam gravissimam pertractaret, neminem posse observanda lege, seu positiva, seu naturali, salutem aeternam promereri, quippe quae per liberam Dei gratiam omnibus contingat evangelio fidem veram habentibus. Et parte quidem priori theoretica C. I — XI. ea, quam diximus, sententia totius epistolae primaria hac ratione illustratur: Praemissa et salutatione sollemni et laudatione veri religionis studii, quod ecclesia Romana hucusque praestiterit, ingenue profitetur Apostolus, iam pridem hoc fuisse in animi votis, ut ipse posset Romae evangelium omnium gentium hominibus salutiferum praedicare, transitque ad inprobitatem et Gentilium et Iudaeorum depingendam, quo pateat, quum omnes hucusque plus minusve peccaverint, neminem posse per facta sua inpunitatem, nedum praemia et laudes, a Deo sanctissimo inpetrare. (C. I. — C. III, v. 20.) Docet, ex gratia divina pendere salutem veram omnibus paratam, qui Christo pro ipsis mortuo fidem habuerint, ostenditque, hanc evangelii doctrinam cum libris antiqui foederis probe consentire. (C. III, v. 21 — C. IV, v. 25.) Amplius deinde illustratur, quam vim habeat illa Dei gratia, homines per mortem et resurrectionem Christi iustificantis (sibi reconciliantis), ad veram animi tranquillitatem omnibus parandam, ipsumque virtutis studium perficiendum (C. V. VI.) Attamen, ne quis perperam interpretetur, quod Paulus dixerat, neminem lege observanda salutem promereri, accuratius etiam declaratur, qui nexus legem et positivam et naturalem inter atque vitiositatem humanam intercedat, C. VII. Celebrata porro

C. VIII. felicitate fumma eorum, quibus, a lege Mofaica liberatis, fpiritus divinus per Chriftum contigerit, fequitur C. IX. X. XI. difputatio hiftorico-dogmatica, qua docetur, miferiam Iudaeorum, qui fidem evangelio denegaverint, non irrita reddere confilia Numinis Supremi, neque promiffis repugnare divinis; quum non omnes ab Ifraële originem trahentes Ifraëlitae fint veri nominis; quum Deus in beneficiis diftribuendis libertate fumma utatur; quum illi quidem Iudaei fua culpa iacturam fecerint falutis, nec vero gens univerfa Deo fit reprobata; quum pertinacia Iudaeorum in falutem cefferit gentilibus, tempusque fit futurum, quo Iudaei omnes, paganorum fidem aemulantes, ad Chriftum convertantur. Pofteriori epiftolae parte practica C. XII—XV, v. 14. quo nexu cum fide vera evangelio habita virtutis ftudium cohaereat, oftenditur praeceptis ethicis pertractandis, praefertim amorem mutuum, concordiam, obfequium civile commenmendantibus, epilogo addito C. XV, v. 15. feqq. et C. XVI. [10]).

1) Quod plures fcriptorum vett. perhibuerunt (*Iren.* adv. haerr. l. 3. c. 1. *Eufeb.* in Chronico ad a. 2. Claudii) *Petrum* Apoftolum *Claudio Caefare regnante* a. poft C. N. 44. Romae docuiffe et fundamenta ieciffe coetus Chriftiani, parum probatur, fi Lucam audiamus *Actt. App.* 12, 3. teftantem, Petrum *paulo ante mortem* Herodis Agrippae (*Actt.* 12, 23.), anno 4. vel, ut alii computant, 2. inperii Claudii vita defuncti, *Hierofolymis* per illum Herodem in vincula fuiffe coniectum, fed fingulari auxilio Dei liberatum. Neque in Actis App. nec in epiftolis Pauli ulla obveniunt veftigia huius originis coetus Romani a *Petro* repetendae.

2) De ingenti numero Iudaeorum, illo tempore Romae verfantium cfr. *Iofephus* antiquitt. Iudd. l. 17. c. 12. §. 1. l. 18. c. 3. ex. *Philo* legat. ad Caium p. 1014. ed. Francof. a. 1691. *Dio Caffius* l. 36. p. 37. *Sueton.* vita Tiberii c. 36.

3) Cfr. v. c. *Actt.* 2, 10. Constat, Iudaeos per aliquod temporis spatium Claudii Caesaris edicto Roma fuisse depulsos. *Sueton.* vita Claudii c. 25. *Actt.* 18, 2.

4) Iam pridem non defuerunt inter Romanos, qui ad Monotheismum procliviores essent. Immo plures ad sacra transierant Iudaica. Vd. *Iuvenalis* sat. 14, v. 96. ss. *Josephus* antiquitt. Iudd. l. 18. c. 3. §. 5. *August.* de civitate Dei l. 6. c. 11. *Tacitus* hist. l. 5. c. 5.

5) Ecclesiam Romanam utriusque generis Christianos, ex Iudaeis et Paganis, esse complexam effata docent multa huius epistolae 2, 17. 4, 1. 7, 1. 11, 13. Vd. *Orlog* comment. de Romanis, quibus Paulus epistolam misit, Havniae, 1782. 4.

6) Sive Iudaeo-Christiani tantum, sive etiam Ethnico-Christiani una cum Iudaeis illo Claudii Caesaris edicto (nota 3.) iussi fuerint Roma exulare, haud dubie ex illa persequutione gravius efferbuit odium Iudaeorum adversus imperium ethnicum (Romanum), quod facile posset vim exserere perniciosam ad lites mutuas Iudaeo-Christianorum atque Ethnico-Christst. magis concitandas.

7) Ex ipsis praeceptis in hac epistola propositis (praesertim c. 12. 13. 14. 15.) plura recte colliguntur, quae conditioni internae coetus Romani cognoscendae inserviant. Vd. Mich. *Rumpler* de iis, quae circa interpretationem epistolae ad Romanos observanda sunt, Salzb. 1794. 8. Fr. *Francke* notae historicae conditioni cognoscendae primorum Christianorum, imprimis Romanorum, quum Paulus ad eos scriberet, servientes, Viteb. 1791. 4.

8) Verissime hoc observavit *Eichhorn* Einl. 3. B. 1. Hälfte p. 216. sq. Nolim tamen negare, Apostolum pluribus locis ad eiusmodi quoque *Iudaeo-Christianos* respexisse, qui suam evangelii professionem seiungi nollent ab exacta legis Mosaicae cerimonialis observatione.

9) Cfr. ep. ad *Romm.* 1, 13. ss. 15, 15. ss.

10) De consilio primario et argumento totius ep. cfr. comment. inserta libro: exegetische Bruchstükke, Leipzig, Rostock, Schwerin, 1812. 8. *Bretschneider* über den Ideengang und die Dogmatik des Briefs an die Römer, in der Oppositionsschrift für Christenthum und Gottesgelahrtheit, v. *Bretschneider* u. *Schröter*, 7. B. 4. H. Jena, 1824. Fried. *Höpfner* comment. de consecutione sententiarum in Pauli ad Romanos ep. Lips. 1823. 8.

§. 59.

Effata huius epiſtolae plura, iis collata, quae in Actis Apoſtolorum obveniunt, prae ceteris commendant ſententiam eorum, qui Paulum litteras ad Romanos dediſſe exiſtimant, quum ſecunda vice Corinthi verſaretur, anno 56. exeunte aut 57. ineunte [1]). Quanquam authentia epiſtolae, argumentis et internis et externis, ſatis explorata eſt [2]); capiti tamen poſtremo plura ineſſe videmus, quae vix permittant, ut etiam haec Chriſtianis Romanis ſcripta eſſe conſeamus [3]).

1) Quum Paulus, Epheſo digreſſus anno 56. (vd. §. 48. nota 16. §. 55. nota 2.) teſtante Luca *Actt.* 20, 1. 2. 3. ex Macedonia ulterius *in Graeciam* profectus fuerit, ibique tres menſes commoratus, haud dubie etiam in hoc itinere peregit, quod pridem ei in propoſitis fuerat (I. *Corinthh.* 16, 2. 3. 5—7. II. *Corr.* 12, 14. 20. ſq. 13, 1.), ut *Corinthios iterum* adiret. Graecia vero relicta Hieroſolymas ſeſe contulit, eleemoſynas in coetibus Macedonicis et Achaicis collectas deportaturus, quanquam probe noverat, libertatem ſuam vitamque in diſcrimine haud exiguo verſaturam eſſe inter Iudaeos Hieroſolymitanos. *Actt.* 20, 4. ſſ. 16. 22. ſq. (coll. 24, 17.) His prorſus conveniunt, quae in ep. ad *Romm.* 15, 25. ſſ. 30. ſſ. leguntur. Decreverat Paulus, priusquam Epheſo in Macedoniam diſceſſit, ſi fieri poſſet, Hieroſolymis luſtratis, Romam adire. *Actt.* 19, 21. Cfr. ad *Romm.* 1, 10. 13—16. Ceterum, quae C. XVI. v. 1. v. 23. leguntur, docent quidem, Apoſtolum, quo tempore haec ſcriberentur, Corinthi (ſecunda vice) eſſe verſatum. An vero hoc totum caput XVI. epiſtolae ad *Romanos* recte addatur, argumentis dubitatur infra commemorandis. — Mirum videri poteſt, quod proceres Iudaeorum Romanorum, quum Paulus ipſe in hanc urbem veniſſet, ita cum eo loquuti fuerint, tanquam hucusque de Pauli epiſtola ad Romanos nihil compertum habuiſſent, *Actt.* 28, 21. Nolim vero ex h. l. colligere cum *Toblero* (theolog. Aufſätze, 1796. p. 41. ſſ.) litteras ad Romanos ſeriori tempore exaratas eſſe, poſt captivita-

tem Apostoli Romanam. Fieri utique potuerat, ut illos Iudaeorum proceres, urbem tantae amplitudinis, quanta Romae fuit, inhabitantes, de religione Christiana rebusque Iudaeo-Christianorum, qui maximam partem homines essent inferiorum ordinum, hucusque parum sollicitos (*Actt.* 28, 22.) epistola Pauli Romanis scripta lateret. Cfr. F. *Flatt* commentatio: nonnulla ad quaestionem de tempore, quo Pauli ad Romm. ep. scripta sit, pertinentia, Tubing. 1798. inserta *Flattii* opusculis acadd. coll. *Süſskind*, Tub. 1826. 8. p. 267. ff. Aliter de tempore et loco, quo ep. exarata fuerit, iudicaverunt E. *Kühze* diss. de tempore quo scripta f. ep. ad Romm. (sub moderamine *Semmleri* defensa) Halis, 1767. 4. *Paulus* progr. de originibus epistolae P. ad Romm. Ienae, 1801. 4. Vd. quae opposuit *Bertholdt* Einleit. Vol. 6. p. 3286. sq.

2) Effata huius ep. laudaverunt *Polycarpus* ep. ad Philipp. c. 6. *Clemens Rom.* ep. I. ad Corinthh. c. 35. Sequuntur testimonia *Theophili* ad Autolycum l. 1. c. 20. p. 64. sq. l. 3. c. 14. p. 322. (ed. Wolf. Hamburgi, 1724. 8.) Epistolae antiquae ecclesiae Viennensis et Lugdunensis apud *Euseb.* hist. eccles. l. 5. c. 1. *Irenaei* contra haerr. l. 3. c. 16. §. 3. *Clementis Alex.* stromm. l. 3. p. 457. paedag. l. 1. p. 117. ed. Sylb. *Tertull.* adversus Praxeam c. 13. de corona c. 6. *Cypriani* ep. 69. aliorum. Cfr. *Paley* horae Paul. mit Anm. v. *Hencke* p. 408. ff.

3) De capitibus XV. XVI. ab epistola toti coetui scripta separandis, eorumque origine, diversa coniecerunt, praeter alios, *Semmler* paraphr. ep. ad Romm. Hal. 1769. 8. (cfr. eiusd. comment. de duplici adpendice ep. ad Romm. Hal. 1767.) *Paulus* in progr. n. 1. laud. *Eichhorn* Einl. 3. B. 1. Hälfte, p. 232. ff. Quod caput XV. attinet, a) quae v. 1—13. obveniunt, propius cohaerent iisdem agendi praeceptis, quae Paulus C. XIV. proposuerat, b) iis, quae deinde sequuntur, nihil inesse videmus, quod ab indole et consilio epistolae *toti coetui* scriptae abhorreat (cfr. eadem epist. 1, 10. ff. ad *Coloss.* 4, 7. ff.) immo praecipua perspicuitate ex v. 15. v. 23. (coll. 1, 13.) v. 28. (*Actt.* 19, 21.) intelligimus, *eosdem lectores* Paulo Cap. XV. ante oculos obversatos esse, quibus cetera omnia (Cap. I—XIV.) scripta sint. Omissionem capitis XV. et XVI. in canone *Marcionis* (vd. *Origenis* comment. in ep. ad Romm. ad 16, 25. ex versione *Rufini*) a Marcione primum factam esse, absque omni codicum auctoritate, non

certum quidem dixerim. Sed capite poſtremo (XVI.) quanquam verba v. 17. ſq. probe conveniunt pluribus huius ep. effatis (C. IX. X. XI. XIV.), quae docent, in coetu quoque Romano lites fuiſſe ac diſſidia, alia tamen occurrunt, quae dubitationem iuſtam moveant. Etenim, quum Paulus, priusquam litteras ad Romanos daret, nunquam vel Romae vel in vicinia fuiſſet (1, 10. 13.), mirum profecto videtur, quod C. XVI. v. 5—15. *permultos homines ſingulos ſalutari* iubeat, eorumque plures ita commemoret, ut pateat, *hos accuratius innotuiſſe Paulo*, ipſique coniunctos fuiſſe *familiaritate* interiori, v. 5. 6. 7. 8. 9. 11. 13. Eiusmodi neceſſitudinis, Paulum inter Chriſtianosque Romanos intercedentis, veſtigia omnino nulla obveniunt in ceteris totius ep. partibus. Deinde nec Lucas ſub finem Actorum, nec Paulus ipſe in iis epiſtolis, quas Romae captivus (ſecundum ſententiam fere omnibus probatam) exaravit, ubi homines ſingulos *Romae ſecum viventes* commemorat, ullius eorum mentionem facit, quos nomine Pauli ſalutare ii iubentur, quibus caput XVI. ep. ad Romm. ſcriptum eſt. Denique ex v. 3. ſſ. cap. XVI. ſequeretur, *Aquilam et Priſcillam* (olim Claudii Caeſaris edicto Roma depulſos, Corinthum delatos, poſthac cum Paulo Epheſum profectos, *Actt.* 18, 2. ſſ. 19. 26. I. *Corinthh.* 16, 19.), quo tempore Paulus litteras ad Romanos daret, iterum Romae habitaſſe, eorumque aedes inſerviiſſe conventibus ſacris coetus Chriſtiani. Quo minus vero ſic ſtatuamus, locus impedit *II. Timoth.* 4, 19. niſi vel huius ep. ad Tim. originem Paulinam prorſus negaveris, vel (parum probabiliter) exiſtimaveris, Aquilam et Priſcillam, etſi, priusquam epiſtola Pauli ad Romanos ſcriberetur, Epheſo digreſſi, Romae *denuo* ſedem fixiſſent, poſthac tamen *iterum* Roma diſceſſiſſe, ſedemque fixam, quum Paulus (Romae captivus) epiſtolam poſteriorem ad Timotheum daret, in Aſia minori habuiſſe. Cfr. quae veriſſime obſervavit Dav. *Schulz:* theologiſche Studien und Kritiken herausgeg. v. *Ullmann* und *Umbreit*, 2. B. 3. H. Hamburg, 1829. p. 609. ſſ. Coniecturae V. Schulzii, Chriſtianis *Epheſiis* aliisve in vicinia verſantibus ſcripta eſſe, quae Cap. XVI. contineantur, favet omnino locus laud. v. 3. ſſ. coll. II. Timoth. 4, 19. Nolim vero cum eodem coniicere, Paulum, haec ſcribentem, Romae fuiſſe in vinculis. Illi quippe Chriſtiani ſinguli, *quorum nomine* Paulus Cap. XVI. v. 21. ſſ. lectoribus huius epiſtolii ſalutem dicit, ex-

cepio, Timotheo, in libris N. F. nunquam inter eos commemorantur, qui vel antea domicilium habuerint Romae, vel cum Apostolo in vincula dato in hanc urbem venerint. De *Erasto* potissimum (v. 23.) locus II. Timoth. 4, 20. docet, eum *Corinthi* fuisse, quum Paulus in captivitate versaretur Romana. *Corinthi* etiam scriptum esse caput XVI. quum Paulus *altera vice* inter Corinthios commoraretur (non Romanis quidem, sed aliis Christianis) a) ex v. 1. ff. ubi *Phoebe*, diaconissa coetus Christ. Cenchreensis commendatur, b) ex v. 23. ubi Apost. lectores partim Erasti, partim *Gaii*, tum temporis hospitis sui (quem Corinthium fuisse locus I. *Corinthh.* 1, 14. sq. declarat) nomine salutat, recte coniicimus. Illis autem dubitationibus de Cap. XVI. excitatis coniuncta est alia quaestio critica de doxologia illa, quae *vulgo* C. XVI. v. 25. 26. 27. exhibetur, in aliis vero codicibus, versionibus, patrumque scriptis post C. XIV. v. 23. inseritur, in quibusdam codd. utroque loco deest (vd. *Hieron.* comment. in ep. ad *Ephh.* 3, 5.), in paucis utrique capiti additur. Cfr. N. T. textum ad fidem codicum etc. recensuit *Griesbach* Vol. II. ed. II. Hal. Sax. et Lond. 1806. 8. p. 212. itemque: N. T. textum gr. Griesbachii et Knappii denuo recognovit etc. Sever. *Vater*, Halis Sax. 1824. 8. p. 493. sq. Cuius discrepantiae insignis origo diversimode explicata est. Vd. *Koppe* excursus II. additus N. T. graece perpetua adnot. illustr. a *Koppe*, Vol. IV. (ep. ad Romm.) ed. II. cur. *Ammon*, Gott. 1806. 8. p. 400. ff. *Griesbach* curae in historiam textus graeci epistolarum P. spec. I. (*Griesb.* opuscula acadd. ed. *Gabler*. T. II. p. 63. ff.) *Boehme*: epistola P. ad Romm. ex rec. Griesb. cum comment. perpetuo, Lips. 1806. 8. p. 23. ff. *Schmidt* historisch-krit. Einl. etc. 1. B. §. 97. *Bertholdt* Einl. Vol. 6. p. 3303. ff. F. *Flatt* Vorlesungen über den Brief an die Römer herausg. von F. *Hoffmann*, Tübingen, 1825. p. 468. ff. Quo minus hanc doxologiam spuriam censeamus, indoles eius *prorsus Paulina* inpedit. Quanquam vero sententia eorum, qui illam post C. XIV. v. 23. inserunt, auctoritate externa testium criticorum haud exigua commendatur; negari tamen non potest, si Cap. XIV. v. 23. commati 1. Cap. XV. accuratius conferatur, orationis seriem haud parum turbari doxologia inserenda. Nisi forte dixerimus, Apostolum exeunte Cap. XIV. omnino hoc egisse, ut, doxologia usus, scribendi finem faceret, posthac vero, quum ii, qui epistolam lectoribus Romanis

allaturi essent, serius, quam constitutum fuisset, proficiscerentur, adpendicem Cap. XV. inseruisse. Sed parum probabiliter. Apostolus in hac adpendice serius scripta (*exarata iam doxologia*, quae sententiam C. XIV. pertractatam *absolutam* esse ostenderet) idem praeceptorum genus, de quo Cap. XIV. sermo fuerat, retractasse existimatur. Praestat, doxologiae locum, quem vulgo obtinet, vindicare C. XVI. v. 25. 26. 27. Quantum equidem video, totum caput XVI. compositum est *ex fragmentis diversis* alius cuiusdam epistolae brevioris (maximam partem amissae) quam Paulus Corinthi ad coetum quendam Christ. in Asia minori versantem dederat, ita ut, qui *schedulas singulas* haec fragmenta exhibentes *sensim sensimque deprehendisset*, continua serie unum adiiceret alteri. Primum quidem locum obtinuit sectio Cap. XVI. v. 1—16. Addebatur fragmentum secundum v. 17—20. quae sectio haud dubie ad aliam potius epistolae partem pertinebat, siquidem omnino abhorret a consuetudine Apostoli, quod eiusmodi admonitiones universe enuntiatae votaque laeta *excipiunt* salutationes singulorum, quales v. 1—16. legimus. (verba v. 20. ἡ χάρις etc. adiecisse videtur, qui collectionem adornavit, Paulum h. l. epistolam verbis sollennibus finiisse ratus.) Sequebatur fragmentum tertium serius deprehensum, reliquas salutationes, clausulamque veram epistolae continens v. 21—24. (Facile patet, verba v. 21. ἀσπάζονται ὑμᾶς Τιμόθεος etc. parum recte divulsa esse ab illis v. 16. ἀσπάζονται ὑμᾶς etc.) Obtigit denique auctori collectionis fragmentum quartum, doxologia v. 25. 26. 27. haud dubie ad aliam quandam epistolae sectionem pertinens, quam doxol. ipse, ne quid periret ex iis, quae Paulina deprehendisset, clausulae (v. 24.) addidit. Maluerunt alii, qui epistolam ad Romanos describebant, eiusdem fragmenti quarti compotes facti, post v. 23. Cap. XIV. inserere. Qui exemplarium dissensus ceteras lectt. varr. peperit. Quum Pauli ad Romanos epistola C. XV. v. 33. vere finita nullas eiusmodi salutationes singulorum contineret, quales in aliis pluribus Pauli epp. obveniunt; facile fieri potuit, ut qui fragmenta alius cuiusdam epistolae (eodem fere tempore, quo epistola ad Romanos, Corinthi consignatae) ea, quam diximus, ratione composuisset, hanc totam adpendicem permultos singulos salutantem epistolae ad Romanos sub finem addendam esse parum recte existimaret, lacunam, quam animadvertere sibi visus fuisset, suppleturus. — Ce-

terum singularis est de integritate textus huius epistolae sententia *Gratzii:* über Interpolationen in dem Briefe Pauli an die Römer, Ellwangen, 1814. aliquem Pauli discipulum, quum Apostolus, Romam delatus, epistolam ante aliquot annos Christianis Romae versantibus scriptam coram uberius interpretaretur, ex his sermonibus Pauli plura calamo excepta in margine huius ep. notavisse, quae posthac librarius quidam textui Paulino ita insereret, ut illa verborum Pauli interpretatio, ex ipsius quidem ore profecta, non ubique suo loco poneretur. Verum eiusmodi loca huius epistolae, in quibus nexum accuratiorem vel grammaticum vel logicum desideraveris, omnino ita comparata sunt, ut causa huius rei ex ipsa animi ingeniique Pauli indole, scribendi ratione, dictandi consuetudine facilius explicetur (§. 49. nota 17. 18. 19.) De coniectura illa cfr. *Paulus:* Heidelberger Jahrbücher der Litter. 7. Jahrgang 10. Heft, 1814. *Ammon* und *Bertholdt* krit. Journal der neuesten theol. Litter. 4. B. 3. St. 1816. *Bengel* Archiv für die Theol. 2. B. 3. St. 1818. *Leipziger* Litteraturz. Nr. 178. a. 1815.

Explicandae huic epistolae, illustrandisque capitibus singulis, quae ad isagogen pertinent, *praeter libros* §. 49. sub finem notae 21. commemoratos hi inserviunt: *Origenis* comment. in ep. ad Romm. (ex vers. Rufini) in eius Opp. ed. de la Rue T. IV. *Hugonis a St. Victore* (Saec. XII.) schedulae in epist. ad Romanos in eius Opp. Venet. 1588. *Phil. Melanchthon* annotatt. in ep. Pauli ad Romm. Argentorati, 1523. *Eiusd.* commentarii in ep. ad Romm. Argentor. 1540. (Phil. *Melanchthon* Anmerkk. zum Briefe an die Römer nebst einer Vorrede D. Luthers, herausgeg. v. W. *Meinel*, Erlangen, 1828.) *Musculi* in ep. ad Rom. commentarii, Basil. 1555. 8. *Buceri* metaphrases et enarrationes epistolarum P. T. I. Argentor. 1536. Ge. *Calixti* expositio litter. in ep. ad Romm. Helmstad. 1665. 4. *Limborch* comment. in acta App. epist. ad Romm. et Hebrr. Roterod. 1711. 4. Inter hos praecipue Hugonis, Melanchthonis, Buceri scripta eminent. Ex serioribus: Iac. *Baumgarten* Auslegung des Briefs an die Römer, Halle, 1747. 4. Bened. *Carpzov* stricturae in ep. P. ad Romm. ed. II. 1758. Fr. *Schmid* adnotationes in ep. P. ad Romm. Lips. 1777. Andr. *Cramer* Brief Pauli an die Römer übersetzt und ausgelegt, Leipz. 1784. Chr. *Oertel* Versuch einer philos. Bibelerklärung u. s. w. 1793. 8. Brief des Apostel P. an die Christen zu Rom,

übersetzt mit Anmerkk. von *Francke*, Gotha, 1793. 8. *Mori* praelectiones in ep. ad Romm. ed. *Holzapfel*, Lipf. 1794. 8. Comment. perpetuus in Pauli ep. ad Romm. selectis superiorum interpretum suisque adnotatt. ed. *F. Weingart*, Goth. 1816. 8. Epistola ad Romm. interprete *Böckel*, Gryphiae, 1821. 8. Auslegung des Briefs Pauli an die R. von G. *Tholuck*, ed. II. Berlin, 1828. 8. Praesertim commendanda sunt scripta *Carpzovii*, *Schmidii*, *Mori*, *Tholuckii*, una cum commentariis *Semmleri*, *Koppii*, *Boehmii*, *Flattii* nota 3. laudd. Praeterea ad isagogen cfr. I. *Rambach* introductio historico-theologica in ep. ad Romm. Hal. 1727. 8. *Fuhrmann* de concinnitate in ep. Pauli ad Romm. Lipf. 1776.

Epistolae ad Ephesios, Colossenses, Philemonem.

§. 60.

Quo maior fuit Paulo cum Christianis Ephesi [1]) versantibus familiaritas [2]), eo minus potest mirum cuiquam videri, quod in canone nostro epistola deprehenditur *Ephesiis* vulgo inscripta. Attamen haud pauci interpretes in eo offenderunt, quod huic epistolae illius familiaritatis interioris vestigia inhaereant nulla. Unde factum, ut nonnulli, praeeunte Marcione [3]), has litteras coetui Laodicensi scriptas fuisse contenderent [4]), locum quidem epistolae ad Colossenses c. IV, v. 16. de hac epistola vulgo Ephesiis inscripta [5]) explicantes. Quae coniectura, praeterquam quod auctor ipse C. I. v. 1. Ephesios salutavit, difficultate duplici premitur, quum neque pateat, quare Paulus ep. ad Coloff. IV, 15. his Christianis mandaverit, ut fratres Laodicenses nomine Apostoli salutarent, si ipse eodem tempore his Laodicensibus epistolam misisset [6]), neque negari possit, antiquitatem Christianam epistolam nostram ad coetum retulisse Ephesium [7]). Pluribus vero coetibus Chri-

stianis hanc epistolam destinatam fuisse, maluerunt haud pauci ex argumento eius et indole tota colligere, coetum quoque Ephesium ad ecclesias illas pertinuisse vel negantes [8]) vel adfirmantes [9]). Quanquam huic sententiae stabiliendae locum laud. Coloss. IV, 16. inservire parum [10]) recte censuerunt, neque docere possunt, vel spuria esse [11]), quae vulgo ep. ad Ephesios C. I. v. 1. leguntur: ἐν Ἐφέσῳ, vel eiusmodi effata his litteris contineri, quae monstrent, Apostolum eas consignantem de Christianis Ephesiis omnino non cogitasse [12]); ingenue tamen profitemur, argumentum indolemque epistolae sententias propositas universe tractantis [13]), et fere quaevis necessitudinis Pauli Ephesiorumque interioris indicia omittentis, haud parum suadere, ut hanc epistolam Ephesiis quidem primum a Paulo missam, et inscriptam, sed etiam aliis coetibus Ephesio vicinis, eodem institutionis et admonitionis genere indigentibus, destinatam fuisse iudicemus (etsi non fuerit, quae proprie appellatur, encyclica) [14]).

1) De *Epheso*, Ioniae urbe primaria, florente tum temporis mercatura, divitiis, artiumque splendore, cfr. *Strabo* l. 14. p. 441. *Plinius* histor. natur. 26, 14. *Actt.* 19, 34. ss. *Gude* comment. de ecclesiae Ephesinae statu, inprimis aevo apostolico, Lips. 1732. 8.

2) Cfr. *Actt.* c. 18, v. 21. ss. c. 19. c. 20, v. 18. ss. I. ad *Timoth.* 1, 3. sq. II. *Timoth.* 1, 18.

3) *Titulum*, i. e. inscriptionem vulgo additam, (πρὸς Ἐφεσίους), non *textum* ipsius epistolae (c. 1. v. 1. τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ) *interpolare* gestiisse dicitur Marcion apud *Tertull.* contra Marc. 5, 17. coll. c. 11. Qua de causa Marcion epistolam Laodicensibus scriptam esse putaverit ignoramus. Ex errore profecta esse, quae *Epiphanius* haer. 42. c. 9. observaverit, plures interprr. recte viderunt. Vd. *Eichhorn* Einleit. 3. B. 1. Hälfte p. 252. sq.

4) Vd. praeter alios N. T. graecum opera et studio *Wettstenii*, T. II. Amstelod. 1752. p. 238. sq. *Quandt* differt. utrum ep. ad Ephesios a Paulo Ephesiis an Laodicenis inscripta sit, Regiom. 1712. 4.

5) Verba loci laudati (ποιήσατε) — καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε, cum per se spectata, tum *antecedentibus* comparata, non possunt nisi hac ratione recte intelligi: curate, ut etiam vos legatis epistolam ex Laodicaea ad vos perferendam, s. vobiscum communicandam. De litteris sermo est, *mature perditis*, quas Paulus *Laodicensibus* scripserat. Quo minus enim Apostolum, *priusquam* epistolam daret ad Colossenses, aliam ad Laodicenos dedisse existimemus, minime inpedit, quod Colossensibus (ep. C. IV. v. 16.) mandavit, ut, quas ipsi accepissent, Pauli litteras cum coetu Laodiceno communicarent. Vd. *Rinck* das Sendschreiben der Corinthier an den Apostel Paulus, und das dritte Sendschreiben Pauli an die Corinthier, Heidelberg, 1823. 8. p. 38. ff. [Quae Saeculo V. ineunte exstitit Pauli ad Laodicenos epistola, iampridem *Hieronymo* catal. scriptt. eccles. sub v. *Paulus*, *Theodoreto* comment. ad Coloss. 4, 16. aliisque spuria visa est. Cfr. *Faust* diss. de ep. P. ad Laodicenos, Argentor. 1671. 4. *Fabricii* codex apocr. N. T. P. II. p. 878. ff.]

6) An forte coniiciemus, Tychicum (cuius ope epistolam vulgo Ephesiis inscriptam, quam illi ad Laodicenos pertinuisse putant, pariter atque ep. ad Colossenses lectoribus traditam esse ex locis *Ephh.* 6, 21. sq. *Coloss.* 4, 7. 8. colligimus) *diversis temporibus* huic negotio satisfecisse? Attamen, secundum vulgarem quidem sententiam de his epistolis Romae scriptis, parum probabiliter Tychicus ille biennio captivitatis Pauli Roma Ephesum profectus esse (2. *Timoth.* 4, 12.), Romam rediisse, inde Laodicaeam sese contulisse, Romam rediisse, iterumque Colossenses adiisse existimatur.

7) Cfr. *Ignatii* ep. ad Ephesios (ex recensione breviori) §. 12. (coll. §. 1. 4. 9. 13. 20.) Ex eadem Ignatii ep. interpolata huc pertinet §. 9. §. 6. *Tertullian.* contra Marc. l. 5. c. 17. *Iren.* adversus haerr. l. 5. c. 2. §. 3. *Clemens Alex.* stromm. l. 4. p. 499. paedag. l. 1. c. 5. p. 88. ed. Sylb. *Origenes* contra Celsum l. 3. T. I. ed. Bened. p. 458. alii.

8) *Koppe:* N. T. graece perpetua adnot. illustr. Volum. VI. ed. alt. cur. *Tychsen*, Gott. 1791. 8. ed. III. 1823. prolegomm. ep. ad Ephh. p. 164. *Haenlein* (qui hanc epistolam coetibus Christianis in Peloponneso versantibus scriptam esse coniecit) comment. de lectoribus, quibus epistola P. quae ad Ephess. missa traditur, vere scripta esse videatur, Erlang. 1797. 4. *Eiusd.* Handbuch der Einl. in das N. T. Vol. III. p. 429. *Ziegler* Beytrag zu einer vollständigen Einleitung in den Brief an die Ephh. in: *Henke* Magazin für Religionsphilosophie u. s. w. 4. B. 2. St. *Eichhorn* Einl. in das N. T. 3. B. 1. Hälfte p. 263. ff. *De Wette* Einl. in das N. T. p. 256. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 2806. ff.

9) *Michaelis* Einl. Vol. II. p. 1292. *Zachariae* paraphrast. Erklärung der Paulin. Briefe an die Galater, Epheser, Philipp., Col. und Thessal. Göttingen, 1788. 8. (Einleitung.) *Iusti* vermischte Abhandlungen über wichtige Gegenstände der theolog. Gelehrsamkeit, 2. Sammlung, 1798. 8. *Schmidt* Einl. Vol. I. p. 249. sq. *Hug* Einl. Vol. II. ed. II. p. 369. sqq. *Flatt* Vorlesungen über die Briefe P. an die Gal. und Ephh. herausg. von *Kling*, Tübingen, 1828. Anhang I. p. 577. ff. *Plurimi* eorum interpretum, quos nota 8. et 9. commemoravimus, epistolam nostram *encyclicis* adnumerarunt.

10) Cfr. praeter alios *Huth* commentatio: epistola ex Laodicaea in encyclica ad Ephesios adservata, Erlang. 1751. 4. Sive epistolam vulgo Ephesiis inscriptam (quam illi encyclicam dicunt), *priusquam* epistola ad *Colossenses* scriberetur, sive eam *una cum his litteris* (epistolam encyclicam secundum illorum sententiam commemorantibus) per eundem portitorem Tychicum lectoribus missam fuisse existimaveris, utroque modo quaestio difficilis oritur: a) unde Apostolus (vel Romae, vel Caesareae in vincula coniectus) *Coloss.* 4, 16. perspectum habere potuerit, epistolam encyclicam, quo tempore altera epistola (serius scripta) ad Colossenses perventura esset, etiamnum *in manibus Laodicensium* versaturam esse? b) quare Tychicus, si utramque epistolam eodem tempore lectoribus attulisse existimetur, non ipse curare potuerit, ut epistola encyclica, Colossensibus quoque destinata (sive ipsa, manibus Pauli exarata, sive descripta) etiam his Christianis traderetur?

11) *Basilius* quidem *Magnus* (Saec. IV.) contra Eunomium, Opp. T. I. p. 254. ed. Garnier. testatur, se in codd. παλαιοῖς *Ephess.* 1, 1. lectionem deprehendisse: τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσι καὶ πιστοῖς ἐν χριστῷ ἰησοῦ. Codex Vaticanus verba: ἐν Ἐφέσῳ *in margine tantum* exhibet. Desiderantur insuper in uno codice, correctionem serioris aevi experto. Vid. N. T. textum gr. Griesbachii et Knappii denuo recognovit etc. Sever. *Vater*, Halis Sax. 1824. p. 581. sq. Nec dubito, *Marcionem* Saec. II. codices usurpasse, aut cognovisse, qui verba ἐν Ἐφέσῳ *non haberent.* Ratio quippe *dogmatica* omnino nulla apparet, quae eum movere potuerit, ut litteras illas *Laodicensibus* scriptas contenderet. [*Hieronymus* vero comment. ad Ephess. 1, 1. quanquam interpretationem verborum: τοῖς οὖσι dogmaticam, similem illi, quam Basilius M. proposuit, commemorat, ita tamen hac de re differit, ut demonstrari nequeat, Hieronymo quoque *codices* innotuisse, qui verba ἐν Ἐφέσῳ omitterent.] Coniiciunt inde plures interpretes, Apostolum post verba: τοῖς οὖσιν consulto spatium reliquisse vacuum, quum portitori mandasset, ut, quoties exemplar huius epistolae encyclicae (statim saepius descriptae) vel huic vel illi coetui traditurus esset, lacunam expleret domicilio ecclesiae adscribendo. Quomodo inde et lectionum (*Ephh.* 1, 1.) in antiquissimis codd. et sententiarum de ipsius epistolae consilio diversitas mature exstiterit, varie explicuerunt. Vd. *Hug* Einl. Vol. II. ed. II. p. 370. sq. *Eichhorn* Einl. 3. B. 1. Hälfte p. 271. sq. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 2798. ff. Attamen, quae canone nostro comprehenduntur, epistolae vere encyclicae (1. *Petri* 1, 1. II. *Petri* 1, 1. *Iacobi* 1, 1.) docent, alienam fuisse a moribus Apostolorum eiusmodi consuetudinem in salutatione spatium vacuum relinquendi. Iam vero, nisi eiusmodi coniecturam probaveris, doceri omnino non potest, quo sensu Paulus, pro sua potissimum loquendi ratione (ad *Romm.* 1, 7. I. *Corinthh.* 1, 2. II. *Corr.* 2, 1. *Philipp.* 1, 1.), scribere potuerit: τοῖς οὖσι (omisso regionis indicio). Nec ulla probabilitate eorum sententia gaudet, qui verba quoque τοῖς οὖσι spuria iudicaverint. Ex loco quippe laud. Basilii parum recte *Zieglerus* in comment. nota 8. laud. p. 263. colligit, Basilium in *nonnullis tantum codd.* verba τοῖς οὖσι invenisse. Itaque nihil restat, nisi ut verba τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ vere Paulina agnoscantur. Quomodo factum sit, ut vbb. ἐν Ἐφέσῳ in pluribus codd. olim de-

fuderarentur, varie explicatur. Licet enim a) vel de errore scribendi cogitare, quo verba illa in uno antiquissimorum codd. textu exciderant (vd. exemplum simile omissionis vbb. ἐν ῥώμῃ ad Romm. 1, 7.) b) vel de omissione consulto facta, sive dubitatio in his illisve regionibus de consilio huius epistolae (an vere Ephesiis, iisque solis destinata fuerit?) excitata librarios quosdam moverit, ut vbb. ἐν Ἐφέσῳ spuria vel suspecta iudicarent, sive aliam coniecturam infra commemorandam (nota 14.) amplectamur. Interpretatio verborum: τοῖς οὖσιν dogmatico-metaphysica Basilio loco supra laud. probata (i. q. qui ὄντως te verà sunt, in Deo) ex omissione verbb. ἐν Ἐφέσῳ, non haec ex illa (ut Rinckius in l. nota 5. laud. p. 34. existimat) profecta esse videtur.

12) Quum Paulus, olim quidem inter Ephesios versatus, *aliquamdiu* tamen, priusquam haec epistola scriberetur, Epheso abfuisset, utique c. 1. v. 15. dicere poterat, se *audivisse* nuntium laetum de constantia et persuasionis eorum et amoris vere Christiani. Cfr. ad *Philem.* v. 5. 1. *Thessall.* 3, 6. Nisi illud ἀκούσας ad *eos tantum* Christianos Ephesios referre malueris, qui *serius* conversi fuerant, quum Paulus iterata vice Epheso discessisset. Porro nil prohibet, quo minus verba c. 3. v. 2. εἴγε ἠκούσατε etc. de Ephesiis intelligantur, per ipsum Paulum olim hac de re edoctis. Quod c. 4. v. 21. dicitur: εἴγε αὐτὸν (χριστὸν) ἠκούσατε etc. minime animum Pauli de *auctore* institutionis Christianae, qua Ephesii olim inbuti fuerant, dubitantem et haesitantem exprimit, immo hoc εἴ γε (*siquidem*, ad *Gal.* 3, 29. *Coloss.* 2, 20. I. *Thessall.* 4, 14.) *cum certa animi persuasione*, his Christianis veram contigisse evangelii doctrinam (vd. c. 2, v. 20. coll. 2, 1. ss. 8—10. 1, 13. 5, 8.) *rationem* reddit eorum, quae antea dicta fuerant, eamque enuntiat tanquam conditionem (indubitatam), sub qua verissime ab iis postuletur, quod v. 20. 22. legitur. Effata c. 1. v. 16. ss. 3, 13. ss. 6, 21. probe conveniunt sententiae eorum, qui Paulum has litteras ad Ephesios dedisse concedunt. Salutationes vero atque mandata, quae ad *singulos* pertineant Christianos, similiter in epp. ad *Galatas* et *Thessalonn.* datis desiderantur.

13) Desunt omnino in epistola ad *Ephh.* eiusmodi loca, quae illius temporis, quo Paulus ipse inter Ephesios versatus fuerat, eosque doctrina evangelii inbuerat, memo-

riam gratam repetant (quam Apostolus, ad eiusmodi coetus prae ceteris sibi familiares litteras daturus, lubenter repetere solebat, ad *Gal.* 4, 13. ss. *Philipp.* 1, 26. ss. I. *Thessall.* 3, 4. ss. II. *Thess.* 3, 7. ss.) Desideramusque effata, quae ad conditionem huius potissimum ecclesiae et externam et internam accurate respiciant.

14) Forsitan ipse Paulus mandaverat Tychico, ut, quum primum haec epistola, *Ephesiis primum* mittenda, Ephesum pervenisset, saepius per librarios describeretur (in usum aliorum coetuum Asiae minoris, quibuscum eaedem litterae mox essent communicandae), ita quidem, ut in his exemplaribus, *ad alias ecclesias* perferendis, pro verbis ἐν Ἐφέσῳ, quae Apostolus ipse archetypo suo adscripsisset (c. 1. v. 1.), alius cuiusdam loci indicium poneretur. Quodsi librarius quidam, vel inscius vel immemor eius ecclesiae, cui exemplar ipsius manibus consignandum destinatum esset, post τοῖς οὖσιν spatium reliquerat vacuum, *serius* explendum, huiusque propositi posthac oblitus fuerat; ex eiusmodi codice facile plures emanare potuerunt, qui lectionem mancam τοῖς οὖσιν (nullo loci indicio addito) exhiberent. *Similiter* iudicavit B. *Flatt*: adnotatt. ad loca quaedam ep. Pauli ad Ephess. in eius opusculis academicis coll. *Süfskind*, Tubing 1826. 8. p. 437. ss. Cfr. *Eiusdem* liber nota 9. laud. Vorlesungen etc. p. 583. ss.

§. 61.

Opportunitatem his litteris consignandis dederunt, quae Apostolo tum temporis cum de aliis coetibus Asiae minoris, tum de Ephesiis innotuerant. Universe quidem habebat, quod de statu horum Christianorum laetaretur, et optima quaeque speraret [1]). Cognoverat tamen, non deesse, qui facile indulgeant doctoribus vanis [2]), et ad vitia varii generis sint procliviores [3]).

1) Vd. c. 1. v. 3. ss. 13. ss. c. 2. v. 4. ss.

2) Ad eiusmodi doctores omnino respicere videtur c. 4. v. 14. sq. c. 5, v. 6. quanquam in epistola ad *Coloss.* data

magis perspicue describuntur. Cfr. I. ad *Timoth.* 1, 3. sq. 4, 3. ff. 6, 20. (*Actt.* 20. 29. ff.)

3) Vd. 4, 24. ff. 5, 3. ff. 17. ff. Nec defuisse inter Ephesios dissidia Iudaeo-Christianorum atque Ethnico-Christt. coniicere licet ex I. *Timoth.* 2, 1. ff. — Argumentum et oeconomia epistolae §. seq. enarrabitur.

§. 62.

Auctorem harum litterarum Apostolum Paulum Christiani omnium temporum verissime agnoverunt, et testimonia [1]) veterum sequuti, et argumenta interna, quae minime permittunt, ut aliquem Pauli imitatorem talia consignasse existimemus [2]). Quam parum recte in eo offendamus, quod huic epistolae familiaritatis Pauli Ephesiorumque interioris vestigia parum perspicua inpressa sint, §. 60. docuimus [3]). Singularis quidem apparet epistolarum ad Ephesios et Colossenses datarum necessitudo, quae facile possit, nisi ipsa accuratius investigetur, suspicionem movere epistolae ad Ephesios ex imitatione quadam epistolae vere Paulinae Colossensibus missae, eiusque explicatione uberiori oriundae. Concedimus, haud pauca esse, sive sententias primarias in his epistolis enuntiatas [4]), sive ordinem rerum tractatarum [5]), sive effata singula [6]) spectaveris, quibus utraque alteri ea ratione conveniat, cuius exempla in ceteris Pauli epistolis inter se collatis desideremus. Attamen neque desunt, quae utraque habeat propria, in altera vel prorsus omissa, vel minus explicata [7]), neque eadem prorsus apparet utriusque oeconomia [8]); licetque locis epistolae ad Ephesios eandem sententiam, quam altera quoque tractavit, maiori verborum copia (haud exili tamen) enuntiantibus [9]) effata opponere epistolae Colossensibus scriptae, quae similiter (locis illius parallelis collata) ma-

iori utantur sermonis ubertate, quanquam non ita comparata, ut illis (in ep. ad Ephh. obviis) accuratius, explicandis, aut definiendis inserviat [10]). Item, quod de nonnullis effatis epistolae ad Colossenses recte praedicatur, maiorem inesse dicendi vim et gravitatem [11]), idem subinde in epistola ad Ephesios deprehenditur [12]). Ut verbo dicamus, imitationis vestigia exstant nulla [13]). Immo, quum Paulus eodem tempore, eadem rerum suarum conditione externa singulari modo adfectus, utramque epistolam Christianis in Asia minori versantibus scriberet, qui (universe spectati) et iisdem fere laudibus digni essent, et eodem fere institutionis et exhortationis genere indigerent; facile hinc intelligi potest, quomodo factum sit, ut Apostolus, altera harum epistolarum exarata, mox ad alteram consignandam sese convertens, etiamnum easdem et sententias et formulas loquendi periodosque memoria teneret, et pectore volveret, ideoque plura eorum, quae in epistola priori scripta fuissent, vel iisdem verbis repeteret, vel simillima ratione tractaret, etsi nequaquam consulto usum fecerit epistolae prius exaratae [14]). Accedebat forsan, quod vel utramque, vel posteriorem, tempore urgente, festinantius scripsit.

1) Praeter effata veterum §. 60. nota 7. laudata cfr. *Polycarpus* ep. ad Philipp. c. 1. c. 12. *Clemens Alexandr.* admonitio ad gentes p. 54. ed. Sylb.

2) Sententiae prorsus Paulinae, huic potissimum Apostolo, *Ethnicorum* Apostolo, tum temporis *captivo*, prorsus accommodatae (vd. c. 2, v. 11—22.), ea ratione tractantur et enuntiantur, quae Paulum potius, quam alium quemvis, auctorem epistolae prodit. Observentur prae ceteris eiusmodi ampliores verborum membrorumque comprehensiones, quales c. 1. v. 3. ss. c. 2, 1—7. c. 3, 1—19. obveniunt. Quod dubitationes attinet nuperrime a V. *De Wettio* (Einl. in das N. T. p. 257. ss.) excitatas, a) neque offendimus in usu formularum; τὰ ἐπουράνια *Ephh.*

1, 3. 20. 2, 6. 3, 10. 6, 12. ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ 3, 19. μυστήριον 5, 32. si modo contulerimus *I. Corr.* 15, 40. 48. 49. *Philipp.* 2, 10. *II. Timoth.* 4, 18. *Coloss.* 1, 19. 2, 9. *I. Corr.* 13, 2. b) neque ab indole et ingenio Pauli alienum existimamus, quod coetus cultorum Christi σῶμα eius atque πλήρωμα appellatur 1, 23. (cfr. *Coloss.* 1, 19. 17. 2, 10.); quod Satanas 2, 2. ἄρχων dicitur τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, coll. 6, 12. πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις (spiritus quippe mali, quorum mentio apud Paulum aliis quoque locis, v. c. I. *Timoth.* 4, 1. facta est, apud Iudaeos seriores in regionibus *aëris* superioribus, quae h. l. in sermone populari ἐπουράνια appellantur, haud raro dicebantur commorari); quod apostoli 3, 5. praedicato ἅγιοι insigniuntur (siquidem de toto apostolorum coetu sermo est, ipsiusque muneris apostolici summa dignitate, quae in his quoque litteris ad *gratiam* Dei refertur 3, 2. coll. *I. Corr.* 3, 9. ss.); quod locus V. T. secundum sensum tractatur sublimiorem 4, 8. itemque 5, 23. ss. coniugium tanquam symbolum coniunctionis interioris Christi eiusque cultorum describitur (cfr. similiter dicta *ad Gal.* 4, 22. ss. I. *Corr.* 11, 3.) Nec desunt alibi apud Paulum, quae huic vel illi epistolae sint peculiaria, v. c. *II. Thessall.* c. 2. Cfr. quae de his similibusve locis ep. ad Ephh. verissime observarunt *Kling* in libro §. 60. nota 9. laud. *Flatt* Vorlesungen etc. p. 592. ss. *Guericke* Beyträge zur historisch-krit. Einl. p. 113. ss.

3) Admodum probabiliter quidem Paulus *alio tempore* ad Ephesios eiusmodi quoque epistolam dedisse existimatur, quae, *his solis* missa, familiaritatem Pauli huiusque ecclesiae interiorem magis perspicue exprimeret. Fragmenta huius epistolae deperditae capiti XVI. epistolae ad Romanos vulgo addito inesse putaverim. Vd. §. 59. nota 3.

4) Descriptio brevis argumenti utriusque epistolae. a) *epistolae ad Ephesios.* C. I. (praemissa salutatione). Gratiae summae Deo agendae sunt pro beneficiis animi praestantissimis, quae omnibus Christo addictis contigerunt, siquidem, Deo volente, in conditionem beatam filiorum Dei transierunt per Christum, quo auctore omnia, et coelestia et terrestria, una societate coniunguntur, v. 2—12. *Vos* quoque hanc Dei gratiam experti estis. Laudibus celebretur Deus propter constantiam persuasionis vestrae et amoris Christiani. Faxit, ut cognitione salutis verae per Christum paratae magis magisque increscatis. v. 13—17.

Inferitur iterum praedicatio pia illius salutis (regni divini), dignitatisque summae ipsius Iesu Christi, capitis, cui ecclesia, corporis instar, est coniunctissima, v. 18—23. C. II. Vos quoque, gratia Dei volente et iuvante, ex statu animi perversissimo in conditionem perfectiorem transiistis, adscripti quippe societati ingenti filiorum Dei, ex Iudaeis et Paganis colligendae. Uberius tractatur, quod Apost. c. 1. v. 13. ff. enuntiaverat. C. III. Itaque, quanquam evangelii causa in vincula datus sum, laetabundus tamen summam agnosco Dei gratiam, quae mihi provinciam honorificam evangelii gentibus potissimum annuntiandi demandaverit. (Inseruntur iterum laudes decreti divini eiusque aeterni, olim reconditi, de salute summa hominibus per Christum paranda.) v. 1—12. Nolite vos offendere in conditione mea adflicta; gloriosum est, Christi causa vincula ferre, v. 13. Precibus piis Deum imploro, ut animos vestros in persuasione verissima et amore Christiano stabiliat v. 14—21. C. IV. Ego, in vincula coniectus, per Dominum vos cohortor, ut vitam agatis conditione, ad quam vocati estis, dignam, modestia, mansuetudine, amore mutuo inbuti, ut unum eundemque Spiritum divinum *in vobis omnibus efficacem* concordia summa servetis (amplificatur hic locus de uno eodemque spiritu divino, efficaciam suam dotibus muneribusque Christianorum diversissimis exserente, quae Deus varie et sapienter distribuat, ut, quicunque Christum profiteantur, sensim sensimque ad cognitionem perfectiorem, et persuasionem firmiorem, nullis doctorum vanorum illecebris cedentem, perveniant, omnesque in amore vero proficiant, sibique invicem per Christum, caput ecclesiae, firmioribus vinculis coniungantur, tanquam membra eiusdem corporis) v. 1—16. Nolite ad errores pristinos redire et vitia ethnicorum. Quicunque enim Christum recte cognoverunt, veluti hominem novum induere debent (novam totius animi indolem per Spiritum div. emendatam.) v. 17—24. Deponite mendacia, iram immodicam, furtum, ignaviam, sermonum pravitatem; benigni estote et misericordes. v. 25—32. C. V. Estote imitatores Dei, et vitam agite cum amore, v. 1. 2. Fugite exempla mala eorum, qui etiamnum veluti in tenebris incedunt; gerite vos filios lucis (rectius edoctos); sapientes estote, spiritu divino pleni, pietatem vestram sermonibus mutuo profitentes et adiuvantes in conventibus sacris, v. 3—20. Vos, mulieres, maritis vestris tale

obſequium praeſtate, quale Domino. Vos, mariti, uxores veſtras amate, quemadmodum Chriſtus coetum ſuum diligit. (Uberius tractatur comparatio coniugii cum ea, quae Chriſtum coetumque Chriſtianum intercedit, coniunctione.) V. 21—33. C. VI. Officia mutua vobis praeſtate, Chriſto quippe addicti, vos, liberi et parentes, vos, ſervi ac domini. V. 1—9. Viribus animi vos omnes increſcite per Dominum. Operam date, ut, praeſidiis uſi, quae divinitus contingunt, cuivis tentationi fortiter reſiſtatis, v. 10—17. Preces pias ad Deum fundite pro omnibus Chriſtianis, mea quoque cauſa, v. 18—20. Rerum mearum certiores vos reddet Tychicus, v. 21. 22. Clauſula ſollennis v. 23. 24. b) argumentum et oeconomia *epiſtolae ad Coloſſenſes*. C. 1. (praemiſſa ſalutatione.) Gratias ſummas Deo ago, certior factus conſtantiae, qua veram evangelii doctrinam olim acceptam profitemini, veſtrique amoris Chriſtiani, nec defino preces fundere ad Deum, ut magis magisque proficere vos iubeat et cognitione voluntatis Domini, et pietate vitaeque honeſtate, qua ſummam Dei gratiam celebretis, quae nos, imperio tenebrarum ereptos, remiſſionis peccatorum participes factos in regnum filii eius tranſtulit. Adnexa eſt praedicatio pia filii Dei; per quem et olim creati ſunt et conſtant omnia, cui tanquam capiti eccleſia tota eſt coniunctiſſima. V. 1—20. Vos quoque, olim Deo inimici, nunc Deo reconciliati eſtis per mortem Servatoris, ſi modo in fide doctrinae habita conſtantes permanſeritis, v. 21—23. Equidem de iis ipſis rebus adverſis laetor, quae mihi, legato Chriſti, decretum gratiae divinae, olim occultum gentibus patefacienti, veſtra quoque cauſa, perferendae ſunt, omnemque operam navabo, ut quemvis hominem, quantum fieri poſſit, tanquam perfectum Chriſti cultorem Deo ſiſtam v. 24—29. C. II. Haud exigua quidem premor animi ſollicitudine veſtri cauſa, aliorumque coetuum, ne forte ſermonibus vanis ad perſuadendum aptis decipiamini. Quanquam hucusque laetabundus obſervo firmitatem fidei veſtrae Chriſto habitae, v. 1—5. Vitam, quaeſo, porro agite Chriſto, quem recte cognoviſtis, accommodatam. Cavete, ne ſeducamini per ſapientiam quandam fraudulentam. Unus eſt, quem firmiter vos tenere oportet, Chriſtus, in quo perfectio ſumma Numinis Divini ita habitat, ut ſpectabilis ſit, cui devincti eſtis beneficiis praeſtantiſſimis. V. 6—15. Nolite praecepta ſequi hominum arbitraria, nec ad initia redire eiusmodi inſtitutionis et

disciplinae, quae hominibus parum cultis conveniat. Exempla proferuntur. V. 16—23. C. III. Gerite vos homines cum Christo veluti resuscitatos, coelestia, non terrestria curantes, v. 1—4. Missam facite scortationem, avaritiam, iracundiam, omninoque libidines pravas cuiusque generis veluti interficite. Novam induite animi indolem, creationi (immutationi saluberrimae), cuius auctor Christus exstitit, homines omnium gentium complectenti accommodatam, v. 5—11. Sectemini virtutes Christianas, prae ceteris amorem et concordiam, pietatem veram sermonibus vestris mutuo profitentes et adiuvantes in conventibus sacris, v. 12—17. Quae vobis invicem debetis, strenue praestate, ratione voluntatis Domini habita; vos, uxores et mariti, vos, parentes et liberi, vos, servi ac domini. V. 18 — C. VI, 1. Preces ad Deum assiduas fundite, mea quoque caussa. Sapienter versamini cum hominibus Non-Christianis. Sermones proferte gratiae plenos, v. 2—6. De rebus meis Tychicus et Onesimus vos edocebunt, v. 7. 8. 9. Sequuntur salutationes eorum, qui tum temporis apud Paulum versabantur, v. 10—14. itemque mandata quaedam Colossensibus iniuncta v. 15—17. Clausula sollennis v. 18. 19. Itaque, quod res primarias attinet, utraque epistola alteri est simillima. Quae quidem convenientia *in eiusmodi quoque sententiis* cernitur, *quibus explicandis hae duae Pauli epistolae prae ceteris insigniuntur.* Cfr. a) *Ephess.* 1, 4—12. 19—23. 2, 14—22. 3, 6. 9—12, 4, 15. sq. *Coloss.* 1, 13—20. 24. ss. 2, 9—15. b) *Ephh.* 2, 1—12. *Coloss.* 1, 21. ss. c) *Ephh.* 4, 22. ss. *Coloss.* 3, 9. 10. d) *Ephh.* 5, 21—33. 6, 1—9. *Coloss.* 3, 18—25. 4, 1. e) *Ephh.* 5, 18. ss. *Coloss.* 3, 16. sq. f) *Ephh.* 4, 29. *Coloss.* 4, 5. 6. g) *Ephh.* 6, 18. ss. *Coloss.* 4, 2. ss. h) *Ephh.* 6, 21. sq. *Coloss.* 4, 7. ss.

5) In utraque epistola auctor primum de beneficiis praestantissimis, generi humano per Christum divinitus suppeditatis loquitur, ratione potissimum habita eorum Christianorum, quibus hae litterae scribuntur; deinde suae ipsius, quae tum temporis fuit, conditionis externae mentionem iniicit, ipsum minime inpedientis, quo minus de provincia sibi demandata laetetur; denique praecepta varii generis ethica iniungit. Vd. nota 4. Nec desunt sectiones, quae *sententias singulas eodem plane modo coniunctas exhibeant*, *Ephh.* 5, 19. 20. *Coloss.* 3, 16. 17. *Ephh.* 5, 22—6, 9. *Coloss.* 3, 18—4, 1.

6) Cfr. *Ephh.* 1, 7. *Coloff.* 1, 14. *Ephh.* 1, 15. fq. *Col.* 1, 3. 4. *Ephh.* 1, 18. *Col.* 1, 27. *Ephh.* 1, 22. *Col.* 1, 18. fq. *Ephh.* 2, 1. 5. fq. *Col.* 2, 13. *Ephh.* 2, 15. *Col.* 2, 14. *Ephh.* 2, 16. *Col.* 1, 20. *Ephh.* 3, 2. *Col.* 1, 25. *Ephh.* 3, 3. 5. *Col.* 1, 26. *Ephh.* 4, 15. fq. *Col.* 2, 19. *Ephh.* 4, 22. ff. *Col.* 3, 8. ff. *Ephh.* 4, 32. *Col.* 3, 13. *Ephh.* 5, 6. *Col.* 3, 6. *Ephh.* 5, 15. *Col.* 4, 5. *Ephh.* 5, 19. fq. *Col.* 3, 16. fq. *Ephh.* 5, 22. *Col.* 3, 18. *Ephh.* 6, 1. *Col.* 3, 20. *Ephh.* 6, 5. ff. *Col.* 3, 22. ff. *Ephh.* 6, 9. *Col.* 4, 1. *Ephh.* 6, 18. fq. *Col.* 4, 2. ff. *Ephh.* 6, 21. *Col.* 4, 7. fq. — Comparandis his epiftolis praecipue inferviunt: *Van Bemmelen* differt. exegetico-critica de epiftolis P. ad Ephh. et Coloff. inter fe collatis, Lugd. Batav. 1803. 8. Tabula *De Wettii* in l. Einl. in das N. T. p. 256. ff.

7) *Prolixior* eft oratio Pauli in epiftola ad *Ephefios*, ubi Numini Summo pro ftatu laudabili eorum Chriftianorum, quibus epiftola fcribitur, gratias agit, adiuncta praedicatione univerfa beneficiorum, quae generi humano per Chriftum contigerunt, 1, 13—23. 2, 1—22. 3, 6. 9—12. itemque, ubi gratiam Dei celebrat, quae ipfi provinciam apoftolicam demandaverit, 3, 1—12. coll. *Coloff.* 1, 24. ff. Eidemque epiftolae *propria* funt, quae 4, 3. ff. 5, 5—14. 5, 23—32. 6, 10—17. obveniunt. Contra, quae ep. ad *Coloff.* 1, 15. ff. 2, 8. 16—23. itemque 2, 1. fq. 1. 6. 7. 8. 4, 10. ff. habet, in altera defiderantur.

8) Series fententiarum *Ephefſ.* C. I. II. parenthefibus nonnullis pariter atque C. III. interrupta, ab ea differt, quam Paulus ad *Coloff.* C. I. II. tenuit. Quae *Ephefſ.* 5, 15. ff. praecipiuntur, iis, quae *h. l.* antecedebant, melius cohaerere videntur, quam loco parall. *Coloff.* 4, 5. 6.

9) *Ephh.* 3, 5. *Col.* 1, 26. *Ephh.* 3, 8. fq. Col. 1, 27. (*minus* perfpicue, quam *Ephh.*) *Ephh.* 4, 16. *Col.* 2, 19. *Ephh.* 4, 22. ff. *Col.* 3, 9. 10. *Ephh.* 5, 15. fq. *Col.* 4, 5. *Ephh.* 6, 9. *Col.* 4, 1. (*magis* perfpicue, quam *Ephh.*) *Ephh.* 6, 18. ff. *Col.* 4, 2. ff.

10) *Coloff.* 1, 9. coll. v. 3. 4. *Ephh.* 1, 15—17. *Col.* 1, 20. *Ephh.* 2, 16. *Col.* 2, 14. *Ephh.* 2, 15. *Col.* 3, 12. fq. *Ephh.* 4, 32. *Col.* 3, 17. *Ephh.* 5, 20. *Col.* 3, 20. *Ephh.* 6, 1.

11) v. c. *Col.* 2, 19. *Ephh.* 4, 16.

12) *Ephh.* 1, 15—17. *Col.* 1, 9. 3, 4. *Ephh.* 1, 22. ff. *Col.* 1, 18. fq. — Ceterum utraque epiftola, univerfe fpectata,

cum altera communem habet haud exiguam sermonis sublimitatem, continuam seriem enuntiationum multarum, quae sibi invicem ope participiorum, pronominum, particularum varie connectuntur, usum parentheseos frequentem (cfr. praesertim *Ephh.* C. I. II. III. *Coloss.* C. I. II.)

13) Si epistola ad Ephesios imitatorem quendam epistolae ad Coloss. datae auctorem habuisse existimetur, parum probabiliter sumamus necesse est, hunc imitatorem a) iis locis epistolae suae omnibus, quae aliquid singulare habeant (ex altera non depromtum) sententias ingenio Pauli accommodatissimas modo prorsus Paulino enuntiare potuisse, b) eundem, etsi hoc ageret, ut amplificaret, quae Paulus in ep. ad Col. dixisset, plura tamen prorsus intacta reliquisse (vd. nota 7.), pluribus locis *brevitati* magis studuisse (nota 10.), interdum *minus perspicue* esse loquutum, c) etsi de *ordine* sententiarum epistolae ad Coloss. *emendando* cogitasse videatur (nota 8.), alibi tamen nec parenthesibus nec repetitione eiusdem rei abstinuisse, d) etsi minime destitutus esset dexteritate (cuius exempla in ep. ad Ephh. obveniunt) *eandem* sententiam (in ep. ad Col. propositam) *aliis verbis* eloquendi, pluribus tamen locis non dubitasse *verbotenus* repetere, quae in ep. ad Coloss. legerentur (exemplis inserviunt plura eorum locorum, quae nota 6. laudd.)

14) Quo minus enim sic statuamus, inpedit, quod doceri omnino non potest, *quaecunque loca* harum epp. *parallela* obveniant, in alterutra vel brevitate maiori, vel sermone sublimiori, vel magis perspicue et distincte, quam in altera, esse proposita (quod facere solet, qui suam ipsius scriptionem consulto retractat.). Vd. nota 7. 8. 9. 10.

§. 63.

Epistolas ad Ephesios et Colossenses eodem fere tempore consignatas esse, ex illa, quam monstravimus, necessitudine harum litterarum interna recte coniicimus [1]). Versabatur Paulus tum temporis in captivitate [2]).

1) *Utram* Apostolus *prius* consignaverit, ipsa quidem elocutionis utriusque ep. indoles non definit (§. 62.

nota 14.) De indicio certiori posthac videbimus §. 66. nota 11.

2) Utrum Romae? an Caesareae? infra docebitur. Vd. §. 66.

§. 64.

Quanquam nulla obveniunt effata librorum novi foederis, quae Paulum coetus Christianorum, qui Colossis [1]) in Phrygia fuit, auctorem diserte praedicent, maxime probabilem tamen hanc sententiam recte iudicamus. Litteris quippe ad Colossenses datis vestigia inhaerent originis huius ecclesiae, vel ad ipsum Apostolum vel ad discipulos et familiares Pauli referendae [2]). Itemque, ecclesiam fuisse mixtam, ex ipsa colligimus epistola [3]).

1) Nomen urbis auctoritate nummorum veterum (vd. *Ekhel* doctrina nummorum P. I. Vol. III. p. 147.) rectius scribitur Κολασσαί, quam, quod Coloss. 1, 2 in aliqua parte codicum et apud patres quosdam legitur, itemque apud plures scriptorum vett. in textu vulgari exhibetur, Κολοσσαί. In celeberrimis fuit *Phrygiae* oppidis (Plinius histor. nat. 5, 32.) etsi primo post Christum natum saeculo magnam amplitudinis pristinae partem amisit. Cfr. *Herodot.* 7, 30. *Strabo* l. 12. p. 864. ed. Almelov. *Xenoph.* anab. Cyri l. 1. c. 6. §. 6. Telluris motu vehementer concussa, imperante Nerone (*Orosius* historr. 7, 7.) posthac instaurata est (quemadmodum Laodicaea, Colossis vicina, ex eodem terrae motu revaluit. *Tacitus* Ann. 14, 26.) Seriores quippe scriptores eiusdem urbis Colassarum mentionem fecerunt. Cfr. *Theophylactus* comment. ad *Col.* 1, 2. *Labbei* sacrosanct. concil. T. IV. p. 406. ed. Paris. 1671.

2) Quicunque ex loco *Coloss.* 2, 1. demonstrant, Apostolum, priusquam has litteras consignaret, *nunquam* Colossis fuisse et docuisse, *arbitrarie* ponunt, verba: καὶ ὅσοι οὐχ' ἑωράκασι etc. ad Colossenses quoque et Laodicenses antea commemoratos referenda esse. Immo Lucas *Actt.* 16, 6. 18, 23. itineris duplicis mentionem fecit, quo Paulus

Phrygiam lustravit. Nihilque inpedit, quo minus Apostolum, eiusmodi urbes, quae celebritate quadam insignes essent, lubenter adeuntem, quum *prima vice* (*Actt.* 16, 6. sq.) apud Phryges commoraretur, in his regionibus, Colossis quoque, fundamenta coetus Christiani posuisse, existimemus. Cfr. de hoc loco recte intelligendo §. 53. nota 3. Familiaritatis interioris, quae Paulum inter pluresque Colossenses intercesserit, vestigia maxime perspicua in his ipsis obveniunt litteris (4, 7. sqq. 12, 15. 17.) itemque in tota *ad Philemonem* epistola (cfr. praesertim v. 1. 2. 13. 19.) *Amorem eximium*, quo Colossenses ipsum amplectantur, testatur Apostolus *Coloss.* 1, 8. 4, 7. Vd. observata Censoris eruditi isagoges De Wettii: Hallische allgem. Litter. Zeitung Nr. 188. a. 1828. et Dav. *Schulzii:* theolog. Studien und Kritiken herausgeg. von *Ullmann* und *Umbreit*, 2. B. 3. H. (Hamb. 1829.) p. 535. ff. Inter discipulos Pauli praesertim *Epaphras* (1, 7. 4, 12.) de Colossensibus, vel convertendis, vel amplius edocendis et confirmandis, bene meritus fuerat.

3) *Ethnico-Christianos* in hoc coetu fuisse, effata docent 1, 24. (coll. *Ephess.* 3, 1. al.) 3, 5. 7. Ad Christianos vero ex *Iudaeis* (quorum haud pauci Phrygiam incoluerunt, vd. *Iosephus* antiquitt. Iudd. l. 12. c. 3. §. 4.) loca respiciunt 2, 11. 13. 16.

§. 65.

Laetabundus quidem cognoverat Apostolus per Epaphram, ecclesiam Colossensem universe spectatam hucusque et persuasionis de veritate doctrinae divinae et amoris Christiani constantiam praestitisse laudabilem, nec desiisse diligere Paulum [1]. Attamen aegre ferebat, quod non deessent, qui aures praeberent doctoribus vanis, Iudaeo-Christianis, cognitionem rerum invisibilium subtiliorem iactitantibus, a simplicitate divina evangelii alienam, modestiam et pietatem prorsus singularem cultu potissimum angelorum adfectantibus, de dignitate Servatoris coelesti parum recte iudicantibus, praecepta de ritibus et re-

rum quarundam externarum abstinentiam severitate summa urgentibus [2]). Necessarium igitur ducebat, ut partim laetitiam piam de Colossensibus, partim sollicitudinem ex amore oriundam profiteretur, illisque doctoribus vanis graviter resisteret, praedicanda dignitate summa atque praestantia persuasionis evangelio de Christo (Servatore totius hominum generis et Domino invisibili) vere accommodatae, virtutisque haud simulatae [3]).

1) Vd. *Coloss.* 1, 4, ff.

2) Cfr. *Coloss.* 2, 4. 8. (φιλοσοφία h. l. decreta Theologiae Iudaeorum illius temporis innuit, eorumque traditiones, παραδόσεις, quatenus speciem prae se ferebant cognitionis rerum divinarum subtilioris. Cfr. *Iosephus* antiquitt. Iudd. l. 18. c. 1. §. 1. 2. de bello Iud. l. 2. c. 8. §. 2. *Philo* legatio ad Caium p. 1014. ed. Francof. 1691. στοιχεῖα τοῦ κόσμου Paulo dicuntur rudimenta, manca et inperfecta, religionis doctrinae ac disciplinae, eiusmodi hominibus accommodata, qui etiamnum obnoxii sunt imperio sensuum. ad *Gal.* 4, 3.) C. 2, v. 18. 19. Describuntur doctores vani, studiosius investigantes, quae nemo unquam mortalium vidit, (quales apud Ephesios prodierunt, 1. ad Timoth. 1, 3. 4.) suoque rerum externarum (pietatis externae) studio temere inflati, quanquam modestiam summam adfectantes, praesertim cultu angelis praestando. Sic enim formulam θρησκεία τῶν ἀγγέλων recte intelligi, et ipse docet usus vocab. θρησκεια, et, quod v. 19. opponitur: καὶ οὐ κρατῶν τὴν κεφαλὴν etc. Ex loco quidem *Iosephi* de bello Iud. l. 2. c. 8. §. 7. non potest certo demonstrari, ad doctrinam atque disciplinam *Essaeorum* hoc pertinuisse, ut genios coelestes *adorarent* (de nominibus tantum angelorum sedulo custoditis sermo est.) Attamen apud *Philonem* de somniis p. 586. ed. Francof. (coll. *Tobiae* c. 12, v. 15) vestigia exstant certissima sententiae Iudaeis Alexandrinis tempore Christi viventibus probatae, angelos *internuntios* esse Dei hominumque proborum; quae sententia facile plures et Iudaeos et Iudaeo-Christianos movere poterat, ut genios illos adorarent, nec satis perpenderent, Christum Dei filium solum esse me-

diatorem aeternum Dei generisque humani, angelis omnibus superiorem. Add. C. 2, v. 11. 16. 17. 20. ff. quae vbb. haud dubie ad homines respiciunt circumcisionem, abstinentiam huius illiusve ciborum potuumve generis, omnino duram corporis tractationem dignitatem summam veramque pietatem existimantes, quales Ephesi fuisse vbb. docent I. Timoth. 4, v. 1. ff. v. 8. Cfr. Ag. *Niemeyer* comment. in locum Paulinum Col. 1, 15—20. Ienae, 1826. 4. Accuratius plures interpretes definire voluerunt, quales fuerint doctores vani in ep. ad Coloss. inpugnati. Quo minus cum *Eichhornio* (Einleit. 3. B. 1. Hälfte p. 287. ff.) *Iudaeos* vitam, quam dicunt, asceticam commendantes, sive cum *Junckero*: historisch-kritischer und philolog. Commentar über den Brief P. an die Col. Mannheim, 1828. 8. Einl. p. 43. ff. eiusmodi potissimum *Iudaeos* Alexandrinos intelligamus, qui operam navassent Philosophiae Neo-Platonicae placitis Theologiae Iudaicae coniungendis, inpedit, quod locus *Coloss.* 2, 19. ὀυ κρατῶν τὴν κεφαλὴν etc. homines potius innuit, qui *ad Christum* conversi fuerant. Neque doceri potest effatis epistolae apud Iunckerum laudatis, Apostolum homines ante oculos habuisse, qui philosophema τοῦ λόγου (§. 38. nota 1.) studiosius tractaverint; neque, etsi hoc fuerit concessum, sequitur, Iudaeos fuisse Alexandrinos, qui ecclesiam Coloss. perturbarent (placita quippe Theologiae Alexandrinae aliarum quoque regionum et Iudaeis, et Christianis, extra Alexandriam, passim innotuerant.) Maluerunt alii de Iudaeo-Christianis cogitare, scholae *Essaeorum* addictis, v. c. *Michaelis* Einl. Volum. II. §. 186. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3450. ff. De theosophia, vita ascetica, ritibusque Essaeorum cfr. *Iosephus* de bello Iud. 2, 8. *Philo* in l. quod omnis probus liber p. 876. ff. ed. Francof. *Euseb.* praepar. evang. 8, 11. ff. Attamen, quae in ep. ad Coloss. 2, 4. 8. 16. ff. 23. de modestia et pietate *simulata*, vanaque superbia horum doctorum dicuntur, eorumque sermonibus ad persuadendum aptis, quibus alios decipere, suisque partibus conciliare voluerint, minime conveniunt laudibus, quae pietati verae, modestiae, vitae tranquillae Essaeorum apud scriptores vett. tribuuntur. Accedit, quod Iudaei huius familiae intra fines Iudaeae et Syriae sese continebant. Cfr. *Philo* in l. supra laud. *Plinius* histor. natur. 5, 16. 17. Qui de *asseclis Philosophiae Platonicae* vel *Pythagoraeicae* cogitant (vd. *Wolf* curae philol. et crit. T. IV. p. 308.) parum recte

docere possunt, quomodo homines huius philosophiae placitis inbuti ad eam cogitandi agendique rationem pervenerint, quam Paulus in his potissimum doctoribus vanis notavit. Desideramus item eiusmodi effata epistolae, quae perspicue monstrent (quod V. *Heinrichs* coniecit: N. T. graece perpetua adnot. illustr. editionis Kopp. Vol. VII. particula II. Gotting. 1803. prolegg. ep. ad Coloss. p. 155. ss.) inter doctores illos fuisse *Ioannis baptistae sectatores*, de dignitate summa Iesu Christi parum recte statuentes (§. 40. nota 6.) Nec *Apollonius* ille, qui, postquam Paulo Ephesi innotuerat, inter Corinthios evangelium praedicavit (*Actt.* 18, 24. ss. 19, 1. ss.), sectae cuiusdam auctor unquam exstitit. Vd. I. ad *Corinthh.* 3, 5. ss. 4, 6. (§. 54. nota 8.) Facilius liceat doctores ecclesiam Coloss. perturbantes *Gnosticos* appellare, si modo usus huius vocabuli limitibus iustis coërceatur, i. e. homines Iudaeo Christianos eiusmodi placita, ex religionis philosophia orientali profecta lubenter approbantes, quae *posthac*, diversimode tractata, varias Gnosticorum familias pepererunt. Iampridem ante Christum Natum apud Graecos Romanosque inclaruerant *Magi* s. *Chaldaei* (de quibus *Iamblichi* liber de mysteriis ed. Gale, Oxon. 1678. cfr.) in originem, nexum interiorem, negotia naturarum caelestium, quae Diis maiorum gentium inferiores haberentur, subtilius inquirentes, itemque praesidia (praesertim ascetica) commendantes, quorum ope homo consortii cuiusdam horum Spirituum particeps fieri possit. Vestigia huius theurgiae in *Actis* obveniunt 8, 9. 13, 6. 19, 19. Vd. *Hug* Einleit. Vol. II. p. 384. ss. ed. II. *Boehmer* isagoge in epistolam a Paulo Ap. ad Coloss. datam, Berolini, 1829. 8. p. 56—124. *Neander* kleine Gelegenheitsschriften u. s. w. Berlin, 1829. p. 40, ss.

3) De argumento et oeconomia totius epistolae §. 62. nota 4. exposuimus.

§. 66.

Pro authentia epistolae argumenta et externa [1]) et interna [2]) certant gravissima. Sententia autem vulgo probata, litteras Pauli ad Ephesios, Colossenses, Philemonem datas eo tempore consignatas esse, quo Paulus in captivitate Romana versaretur, recentius

recte inpugnata est [3]). Neque enim amici illi Christiani, qui Paulo praesto fuere, quum litteras ad Colossenses et Philemonem daret [4]), Romae cum Apostolo versati esse probabiliter existimantur, collatis quidem epistola ad Philippenses [5]), et posteriori ad Timotheum [6]) (addito loco Actt. 27, 2.) [7]); nec verisimile, Onesimum, Philemone domino clam relicto, in terram remotiorem (Italiam) itinere longo maritimo aufugisse, et Romam profectum confestim in familiaritatem Pauli captivi veniisse, eumque mox, dum Paulus adhuc vinculis Romanis teneretur, Apostoli opera ad Christum conversum et emendatum, Colossas ad dominum rediisse [8]), ita ut per breve temporis spatium (ad Philem. v. 15.) a Philemone seiunctus fuisse recte diceretur. Deinde dubium apparet, an Paulo Romam deportato, haud exiguo terrarum mariumque intervallo ab Asia minori remoto, conditio, quae tum fuerit, coetus Colossensis ceterarumque ecclesiarum Asiae minoris, accuratius innotescere facile potuerit. Haec omnia multo aptius conveniunt biennio, quo Paulus Caesareae in Palaestina captivus tenebatur a. 57. usque ad 59. (§. 48. nota 17. 18.) [9]) si modo hae epistolae scriptae existimentur, priusquam Apostolus Caesareae ad Inperatorem Romanum provocaverat [10]). Ceterum litterae ad Ephesios datae, Timothei tanquam praesentis mentionem nullam C. I. v. 1. iniicientes, haud dubie paulo post epistolas Colossensibus et Philomoni scriptas, Timothei nomine Christianos illos salutantes (Coloss. 1, 1. Philem v. 1.) exaratae sunt [11]).

1) *Justinus Martyr* dial. cum Tryph. p. 310. 311. 326. ed. Colon. et *Theophilus* ad Autolycum l. 2. c. 31. p. 172. (ed. Wolf. Hamburgi, 1724.) ad loca huius ep. respexisse videntur. Testimonia originis eius Paulinae luculentis-

sima exstant apud *Iren.* adv. haerr. l. 3. c. 14. §. 1. *Clementem Alex.* stromm. l. 1. p. 277. l. 4. p. 499. sq. l. 5. p. 576. sq. l. 6. p. 645. sq. ed Sylburg. *Origenem* contra Celsum l. 5. c. 8. *Tertullianum* praescript. adv. haerr. c. 7. alios.

2) De his eadem valent, quae de epistola ad Ephesios §. 62. nota 2. observavimus.

3) Vd. Censor eruditus isagoges de Wettii et Eichhornii (Dav. *Schulz*): theologische Studien und Kritiken herausgeg. von *Ullmann* und *Umbreit*, 2. B. 3. H. Hamb. 1829. p. 612. ff. Nolim tamen adfirmare (cfr. *Schulz* l. l. p. 616.) non potuisse Paulum, quum Romae versaretur, de Colossensibus visitandis cogitare (ad *Philem.* v. 22.) In litteris quippe ad *Philippenses* datis c. 2. v. 24. consilium professus est, si fieri potuerit, *Macedoniam* mox adeundi.

4) *Coloss.* 4, 9—14. ad *Philem.* v. 10. ff. v. 23. sq.

5) Epistola quippe ad *Philipp.* tempore captivitatis Romanae scripta *praeter Timotheum* (c. 1. v. 1.) nec initio nec sub finem *ullius* eorum mentionem facit, quorum nomine Paulus Christianos in litteris ad Coloss. et Philem. datis salutavit. Argumentis destituuntur idoneis, qui *Epaphroditum*, *legatum* ecclesiae *Philippensis*, ad Paulum Romae versantem missum (ad *Philipp.* 2, 25. sq. 4, 18.) eundem esse coniiciunt, qui in epp. ad *Col.* 1, 7. 4, 12. ad *Philem.* v. 23. *Epaphras* dicitur, συναιχμάλωτὸς Apostoli (quem *Colossenses doctorem* habuerant.) Abhorrebat omnino a consuetudine Pauli, nominis eiusdem personae formam usurpare duplicem. Cfr. *Schulz* l. l. p. 615.

6) *II. ad Timoth.* praeter amicos Christianos c. 4. v. 21. obvios (plane diversos ab iis, quorum nomine Paulus Colossenses et Philemonem salutavit) *solum Lucam* Romae apud Paulum versantem 4, 11. commemorat, mentione quidem insuper iniecta *Demetrii* (v. 10.) qui Apostolum deseruerat, et *Marci*, cuius adventum Paulus desiderabat (v. 11.)

7) *Actt.* 27, 2. *solius Aristarchi* (*Col.* 4, 10. ad *Philem.* v. 24.) mentio facta est, cum Paulo et Luca navigium ingressi, quod Romam tenderet.

8) Epistola ad *Philem.* v. 10—21.

9) Captivitatem Pauli Caesareensem minime prohibuisse Apostolum, quo minus cum amicis et discipulis colloqueretur, litterasque daret ad exteros, ex *Actt.* 24, 23. patet. Quicunque praeeuntibus epp. ad *Coloss.* et *Philem.* in vicinia Pauli fuere, quo tempore has litteras exaravit, satis probabiliter apud eum fuisse existimantur, quum *Caesareae* captivus teneretur. De *Aristarcho* quidem et *Timotheo* (*Coloss.* 1, 1. 4, 10. *Philem.* v. 1. v. 24.) diserte narravit Lucas *Actt.* 20, 4. eos cum aliis Paulum comitatos esse Hierosolymas proficiscentem (quam urbem quum adiisset, mox Caesaream deportatus est, *Actt.* 23, 31. ff.) Cfr. item de Aristarcho Caesareae apud Paulum versato *Actt.* 27, 2. ff. De *Luca comite* Apostoli primum quidem Hierosolymas, deinde Caesarea Romam abeuntis vd. *Actt.* 20, 5. ff. 27, 1. ff. Idemque *Tychicus*, litterarum ad Ephesios et Coloss. datarum tabellarius (*Ephh.* 6, 21. ff. *Col.* 4, 7. ff.) qui posthac *Romae* Paulo ministeria praestitisse legitur II. ad *Timoth.* 4, 12. eadem ipsi potuit *Caesareae* praestare. *Actt.* 20, 4.

10) Postquam Paulus ad Caesarem provocaverat Romanum (*Actt.* 25, 11. sq.) non amplius (*Philem.* v. 22.) de Colossensibus mox visitandis cogitare potuit.

11) Videtur Apostolus Timotheum suum, *priori quidem tempore* captivitatis Caesareensis apud Paulum commoratum (*Actt.* 20, 4.) ad coetum quendam Christianum legavisse. *Quo facto* epistolam exaravit Ephesiis inscriptam, eamque una cum litteris ad Coloss. et Philem. datis (*paulo ante* discessum Timothei exaratis) lectoribus misit per Tychicum.

§. 67.

Eodem tempore, quo Paulus epistolas illas misit Ephesiis et Colossensibus, Tychico portitori comitem adiunxit Onesimum, litteris instructum commendatitiis, comitate et urbanitate singulari insignibus, qua Philemonem *) Colossensem, laudata pietate huius viri et caritate Christiana, rogat et admonet, ut Onesimo, olim Philemonis servo, qui aufugerat, iam Christiano moribusque emendato, ad herum redituro, veniam de-

licti concedat, eumque tanquam fratem habeat et amicum. Certa est origo harum litterarum Paulina, quanquam brevitas ipsiusque argumenti indoles fecit, ut antiquiores ecclesiae doctores mentionem earum rarius [2]) inиicerent.

1) Epistola ipsa docet, hunc Philemonem familiarem Pauli fuisse, ipsi probatum (v. 5. ff.), sermonibus Pauli olim ad sacra Christiana conversum (v. 19.), laborum Apostoli socium (συνεργὸν v. 1. cfr. v. 2. τῇ κατ' οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ), fortuna usum lautiori (v. 7.) *Archippum*, qui munere quodam ecclesiastico apud Colossenses fungeretur (v. 2. ad *Coloss.* 4, 17.) filium fuisse Philemonis, non prorsus exploratum. Plura de conditione fatisque Philemonis, Archippi, Onesimi traditione ferebantur. Vd. *Constitutt. Apostoll.* 1. 7. c. 46. *Boehmer* isagoge in ep. ad Col. §. 65. nota 2. laud. p. 52. ff.

2) Vd. *Tertull.* contra Marc. 5, 21. *Origenes* homilia 19. in Ierem.

Explicandis epp. ad Ephh. Coloss. Philem. illustrandisque capitibus singulis, quae ad isagogen pertinent, praeter eorum interpretum plures, qui §. 49. sub finem notae 21. commemorati sunt, hi inserviunt: a) qui in *utramque epistolam (ad Ephh. et Coloss.)* commentati sunt: I. *Tarnov* comment. in epp. ad Ephh. Philipp. Coloss. Thessall. Lips. 1636. *Van Till* comment. in priorem P. ad Corr. epistolam, et epp. ad Ephh. Philipp. Coloss. Amstelod. 1726. *Baumgarten* Auslegung der Briefe P. an die Gal. Ephh. Philipp. Col. Philem. Thessalonn. mit Beyträgen von *Semmler*, Halle, 1767. 4. *Zachariae* paraphrasis §. 60. nota 9. laud. *Van Bemmelen* dissert. §. 62. nota 6. ex. laud. b) *epistolae ad Ephesios* interpretes: *Mori* acroases in epp. ad Gal. et Ephesios, Lips. 1795. 8. N. T. ed. *Koppe* Vol. VI. vd. §. 60. nota 8. I. H. *Schütz* comment. in ep. P. ad Ephh. Lips. 1778. 8. auctarium commentarii 1785. 8. I. A. *Cramer* neue Uebersetzung des Briefs an die Ephh. nebst einer Auslegung desselben, Hamburg und Kiel, 1782. 4. Der Brief Pauli an die Ephh. übersetzt mit Anmerkungen, von A. W. *Krause*, Leipzig, 1789. 8. *Ziegleri* comment. §. 60. nota 8. laud. *Flatt* Vorlesungen etc. vd. §. 60. nota 9. c) epistolae ad *Colossenses* et *Philemonem*: Phil. *Melanchthon*

opera Viteb. 1577. T. IV. *Musculi* comment. in epp. P. ad Philipp. Coloss. Thessalonn. I. ad Timoth. 1578. Gottl. *Hoffmann* introductio in epist. ad Colossenses, Lips. 1739. *Storr* interpretatio epp. P. ad Coloss. et Philem. in opusculis eius acadd. Vol. II. p. 120—241. N. T. ed. Kopp. Vol. VII. particula II. contin. *Heinrichs*, Gott. 1803. ed. II. 1826. (epp. ad Philipp. et Col.) particula I. Gott. 1798. ed. II. 1828. (epp. ad Timoth. Titum Philem.) 8. *Junckter* Comment. über den Brief an die Col. §. 65. nota 2. laud. G. *Boehmer* isagoge §. 65. nota 2. ex. laud. Pauli ad Philem. epistola graece et latine illustrata a G. *Schmidio*, Lips. 1786. 8. H. *Niemeyer* progr. in ep. ad Philem. Hal. 1802. 4. R. *Hagenbach* commentar. in ep. ad Philem. Basil. 1829. 4. coll. *Schulthess* neueste theol. Annalen, Junius, 1829. C. *Klotzsch* comm. de occasione et indole ep. ad Philem. Viteb. 1792. 4. H. *Wildschut* specimen acad. de vi dictionis et sermonis elegantia, in ep. ad Philem. conspicuis, Traiecti ad Rhenum, 1809. 8. Ex his omnibus praesertim Baumgartenii, Zachariae, Mori, Crameri, Krausii, Storrii, Heinrichsii, Flattii, Hagenbachii opera commendanda.

Epistola ad Philippenses.

§. 68.

Postquam Paulus secundo eorum [1]) itinerum apostolicorum, quibus exteros adiit, Philippos [2]) sese contulerat, olim Thraciae urbem, tum temporis ad regnum Macedonicum (in provinciam Romanam redactum) pertinentem; sermonibus Apostoli eiusque comitum ad Iudaeos habitis pariter atque fato singulari, auxilium, quod Paulo et Silae custodiae traditis adesset, divinum luculenter testante factum est, ut fundamenta coetus Christiani, ex Iudaeis Paganisque [3]) collecti, in hac urbe ponerentur. Qui coetus, Paulo et Sila mox digressis [4]), aliorum doctorum opera et civium numero auctus est, et incrementa cepit

cognitionis persuasionisque Christianae, ac liberalitatis ex amore vero oriundae, quam Paulus ipse saepius expertus est [5]. Eiusmodi documentum amoris eximium (pecunia in usum Apostoli inter Philippenses collecta eidemque in captivitate versanti per Epaphroditum [6] allata) opportunitatem dedit huic epistolae exarandae [7]. Quanquam Paulus non tantum gratias Philippensibus agere, eosque de diligentia et religione, qua Epaphroditus negotio suo perfunctus fuerat, de sua ipsius conditione externa, de evangelio inter eos quoque homines, quibuscum Apostolus illo tempore versabatur, proficiente certiores reddere [8], sed etiam verae eorum saluti ita consulere voluit, ut Philippensibus constantiam summam commendaret atque concordiam Christianam, qua fortiter resisterent tentationibus doctorum vanorum, qui Iudaismo dediti essent, dissidiisque hinc oriundis [9].

1) *Actt. App.* 15, 36. ff. (Vd. §. 45. nota 1. §. 48. nota 15. ex.) *Actt.* 16, 12—40.

2) Nomen *Philippi*, quae olim Κρηνίδες dicebatur, accepit ab illo Macedonum rege, Philippo, Alexandri Magni patre, qui a. 358. ante C. N. hanc urbem et ampliorem reddidit, et contra Thraces munivit. Beneficio Caesaris Augusti colonia Rom. facta est, iure Italico donata. *Actt.* 16, 12. De situ fatisque Philipporum cfr. *Strabo* l. 7. p. 511. *Scylax* Cariand. p. 279. *Dio Cassius* l. 47. *Diod. Sic.* l. 16. c. 3. ff. *Appian.* de bello civ. l. 4. c. 105. sq. *Plinius* hist. natur. l. 4. c. 11. Vestigia urbis antiquae etiamnum deprehenduntur iuxta *Felibam*, pagum exiguum.

3) Primum quidem Paulus eiusque comites ad Iudaeos et proselytos ex Ethnicis sese converterant, nec frustra docuerant, *Actt.* 16, 13. sqq. Sed etiam Paganorum animos graviter commovisse, quae cum Paulo et Sila custodiae traditis accidissent, et, quae ipsi tum temporis fecissent, narratio docet *Actt.* 16, 27—34.

4) Seriori demum tempore Paulus iterum adiit Philippos, *Actt.* 20, 6. Cfr. G. *Walch* acta Pauli Philipp. ex Lucae comment. descripta et illustrata, Ienae, 1726. 4.

5) Ep. ad *Philipp.* 4, 15. sq. II. *Corinthh.* 11, 9.

6) De Epaphrodito vd. §. 66. nota 5.

7) Ep. ad *Philipp.* 2, 25. ss. 4, 10. ss.

8) Ep. ad *Philipp.* 1, 12. ss. 2, 21. ss.

9) Praeeunte C. III. huius ep. v. 2. ss. doctores illi ex eorum potissimum genere fuerunt, qui etiam Ethnico-Christianos circumcidi, omninoque iugo legis cerimonialis subiici vellent, ideoque Paulo, veram salutem ex sola fide viva Iesu Christo pro hominibus mortuo habita pendere adfirmanti graviter adversarentur. Describuntur iidem v. 19. tanquam homines voluptatum rerumque terrestrium studiosi. Nolim vero ex his colligere (*Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3403.) inter Christianos fuisse, qui Sadducaeorum sectae addicti essent. Haud pauci eorum, qui Iudaismo indulgebant, etsi Christum profiterentur, lucri causa hoc facere solebant, atque de rebus externis (ad carnem spectantibus) gloriari. — Argumentum et oeconomia totius epistolae: C. I. Salutatione praemissa (v. 1. 2.) Apostolus gratias pias Deo agit pro statu laudabili huius ecclesiae universe spectatae, animumque profitetur de iis laetissima sperantem, eorumque salutem veram Deo precibus commendantem v. 3—11. Certiores deinde Philippenses facit de laetis, quae res Christiana eo loco, ubi tum versabatur, ceperat, incrementis, gaudio pro adfectus, quod adeo vincula sua evangelio propagando inserviant, et causa Christi eorum quoque doctorum studiis, qui contentiosi sint, ac de ipsius (Pauli) auctoritate quovis pacto detrahere velint, tamen, moderante Deo, adiuvetur. Sive diutius vivat, seu propius instet dies fatalis, confidit, Christum utroque modo per ipsum iri illustratum. Et, quamvis optabile sibi videatur, ut moriendo mox ad Christum veniat, sperat tamen, propter discipulos Christianos, Philippenses quoque, diutius sese in hac vita terrestri versaturum esse, iterumque Philippenses aditurum, v. 12—26. Quo inpensius Philippenses ipsi laetari possint de eiusmodi iterato Pauli adventu, cohortatur eos, ut fidei virtutisque Christianae tramitem strenue persequantur, nec cedant adversariis evangelii, v. 27—30. *C. II.* Verbis ad animum commovendum maxime compositis lectores porro admonet, ut concordiam servent,

modestiae studeant, quam ipse Christus (praemiis amplissimis posthac remuneratus) exemplo praeiverit praestantissimo, voluntati divinae lubenter obediant, Paulo (doctori) olim, die iudicii, gloriae futuri v. 1—16. Sibi quidem propositum esse adfirmat, muneris apostolici causa omnia perferre. De Timotheo nuntiat, se constituisse hunc virum (cuius religio ac fides magnopere laudatur) quamprimum mittere Philippensibus, spem laetam nutriens, se ipsum mox venturum. Rationem reddit, quare prae ceteris hoc sibi agendum putaverit, ut Epaphroditum, qui iam convaluisset, remitteret, eumque plurimi aestumandum esse docet, quippe qui negotio sibi iniuncto (pecuniam inter Philipp. collectam Paulo tradendi) satisfacturus non dubitaverit, adeo mortis periculum adire, V. 17—30. *C. III.* Attentos reddit Philippenses ad doctores falsos (vd. supra nota 9.) probe cavendos, iisque suum ipsius proponit exemplum, quippe qui, ex quo tempore Christo nomen dedisset, res illas externas, quibus et Iudaei et Christiani Iudaismi studiosiores dignitatem summam, et verae salutis praesidia certissima contineri existiment, omnes abiecerit, animumque in id unum intendat, ut vere Christianus sit cognitione ac virtute, et vim evangelii saluberrimam magis magisque experiatur. Sub finem spem certam felicitatis futurae per Christum inpetrandae ob oculos ponit Christianis. v. 1—21. *C. IV.* Constantes esse iubet Philippenses in Domino recte profitendo v. 1. Mandata iniungit, quae ad foeminas quasdam ecclesiae Philipp. inter se reconciliandas pertinent v. 2. 3. Sequuntur, quae universe valeant ad animos commonefaciendos atque confirmandos v. 4—9. Gratias agit Philippensibus pro insigni amoris documento ipsi per Epaphroditum dato v. 10—19. Laudatio Numinis Summi, salutationes, vota pia finem inponunt epistolae v. 20—23.

§. 69.

Apostolum has litteras exarantem in vinculis fuisse, ex ipsius quidem Pauli effatis [1]) omnes intelligunt; dissentiunt de loco et tempore huius captivitatis. Nonnulli enim vel de iis cogitarunt, quae Paulo olim Corinthi adversa acciderunt [2]), vel de captivi-

tate Caesareensi [3]). Ac prior quidem coniectura quovis destituitur fundamento [4]); posterior, acute defensa, suis premitur difficultatibus [5]). Immo, quaecunque in hac epistola obveniunt [6]), maxime favent sententiae plerisque probatae, Paulum, quum Romae captivus versaretur, litteras ad Philippenses dedisse, non primis quidem [7]) temporibus huius captivitatis, neque, quum exitus eius prope instaret [8]).

1) Ep. ad *Philipp.* 1, 7. 13. 16. sq.

2) *Actt.* 18, 12. ff. *Oeder* progr. de tempore et loco scriptae ep. ad Philipp. Onoldi, 1731. 4.

3) V. *Paulus* progr. de tempore scriptae prioris ad Timotheum atque ad Philipp. epistolae Paulinae, Ienae, 1799. 4. *Idem:* Heidelberger Jahrbücher der Litter. 18. Jahrg. 5. Heft, 1825.

4) De *vinculis* Paulo iniectis *Actt.* 18, 12. ff. omnino non sermo est. Vd. quae contra Oederi sententiam monuerunt *Wolf* in curis philol. T. IV. p. 168. ff. *Heinrichs* N. T. graece ed. Kopp. Vol. VII. partic. II. ed. II. 1826. prolegg. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3407. ff.

5) Vd. quae Paulo opposuerunt H. *Rheinwald:* Commentar über den Brief P. an die Phil. Berlin und Landsberg, 1827. 8. Einleit. p. 17. ff. F. *Mynster* kleine theolog. Schriften, Kopenhagen, 1825. 8. p. 173. sq. *Heinrichs* loco nota 4. laud.

6) Quod locum attinet C. I. v. 13. 14. vocabulum πραιτώριον, etsi vel de palatio Herodis regis Caesareensi (*Actt.* 23, 35.) vel de domicilio publico Praesidis s. Procuratoris provinciae cuiusdam Romanae (*Matth.* 27, 27. *Marci* 15, 16. *Io.* 18, 28. 33. 19, 9.) vel de cohortibus praetoriis (*Tacitus* histor. 1, 20. 24.) loci cuiusdam extra Italiam siti intelligi possit, minime tamen prohibet, quo minus de captivitate Pauli *Romana* cogitemus, sive h. l. cohortes praetorias Romanas significet (inde ab aetate Tiberii castra stativa habentes, *Sueton.* vita Tiberii c. 37.), sive palatium Caesaris, (Praetoris summi), in quo haud dubie milites versabantur, qui Caesari essent a custodia corporis. Cfr. de hoc voc. Iac. *Perizonii* cum Ulr. Hu-

bero disquisitio de praetorio ac vero sensu verborum Pauli Phil. 1, 13. Lugd. Batav. 1696. *Mynster* in libro nota 5. l. p. 178. ff. *Rheinwald* l. l. p. 29. Neque obstat, quod ex locis *Actt.* 23, 35. 28, 16. patet, Apostolum Caesareae quidem in praetorio fuisse, non item, quum Romam pervenisset. Minime enim hoc dicit Paulus ad *Philipp.* 1, 13. se tum temporis habitavisse in praetorio, sed, in toto praetorio innotuisse, ipsum Christi causa haec vincula ferre. Innotuit quippe per singulos illos milites praetorianos, qui, per vices, Apostolum in domicilio mercede conducto habitantem liberius custodirent (*Actt.* 28, 16. 30.) *Romanam* Pauli captivitatem aperte innuit locus ep. c. 4, v. 22.: salutant vos οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας, i. e. qui ad domum (palatium) Caesaris pertinent, liberti Caesari servientes, qui serius Caesariani s. Domestici audiebant. Qui *praetorium*, quod *Caesareae* fuit, inhabitabant, parum commode dici poterant ἐκ τῆς οἰκίας Καίσαρος. — Quae C. I. v. 15. 16. legimus, intelligi recte possunt de eiusmodi doctoribus evangelii *Romae* versantibus, qui Iudaismi essent studiosiores, Paulo, libertatis evangelicae defensori strenuo adversantes. — De *supplicio* captivitatem finituro (C. 1, v. 20. ff. c. 2, v. 17.) Apostolus *Romae* facilius, quam Caesareae, cogitare potuit.

7) Initium captivitatis inter (vd. §. 48.) et consignationem huius epistolae temporis spatium intercessit, quo acciderent, quae accidisse, priusquam epistola scriberetur, ex ipsis Pauli effatis 2, 25. ff. 4, 18. elucescit. Add. 1, 12. 13.

8) De exitu captivitatis etiamnum dubius haesitabat Apostolus. Vd. 1, 20. ff. 2, 17. coll. 1, 25. 2, 24.

§. 70.

Authentia epistolae dubitationibus nullis est obnoxia [1]). Quod nonnulli coniecerunt, epistolam ad Philippenses in canone nostro ex duabus diversis fuisse compositam, argumentis idoneis defendi nunquam [2]) potuit.

1) Argumentis internis, ex indole sententiarum et elocutione depromtis, prorsus consentiunt testimonia externa. *Polycarpi* ep. ad Philipp. c. 3. c. 11. *Iren.* contra haerr.

l. 4. c. 12. p. 283. c. 22. p. 307. ed. Grabe. *Clement Alex.* paedag. l. 1. p. 107. ed. Sylb. *Tertull.* de resurr. carnis c. 23. contra Marc. l. 5. c. 20. Ecclesiae Vienn. et Lugd. epistola apud *Euseb.* hist. eccl. l. 5. c. 2. *Athanasius* in fragm. ep. 39.

2) Praeivit hanc sententiam V. *Heinrichs* in l. nota 4. laud. prolegg. (adsentiente in plerisque *Censore:* Jenaische allgem. Litteraturz. a 1805. N. 235.) qui duas distinguit epistolas a) priorem *toti coetui* Philipp. scriptam, C. I. II. III. *v.* 1. usque ad ἐν κυρίῳ et C. IV, v. 21—23. b) posteriorem *singulis tantum familiaribus Pauli*, qui inter Philippenses essent, destinatam, C. III, inde a verbis v. 1. τὰ αὐτὰ γράφειν etc. et C. IV, v. 1—20. Utramque alteri, quum epistolae Pauli colligerentur, ita consarcinatam esse putat, ut, quae ad epistolam priorem pertinuissent (C. IV, v. 21—23.), ad calcem posterioris, tanquam clausula sollennis totius scriptionis, ponerentur. Argumentis, ingeniose quidem defensis, haec opponimus: 1) Concedimus, orationem Pauli c. III. c. 2. 18. sq. contra doctores vanos insurgere vehementius, quam C. I. v. 15. sq. 28. Attamen, quae C. I. v. 15. sq. dicuntur, haud dubie de eiusmodi doctoribus evangelii Iudaismi studiosis intelligenda sunt, qui *Romae* Paulo adversarentur; C. III. v. 2. 18. sq. et C. I. v. 28. Apostolus doctores falsos, qui *Philippos* adierant (eiusdem quidem generis, sed magis contumaces, et propter turpe lucri studium gravius notandos) ante oculos habuit. Neque in eo quisquam offendere potest, quod Paulus in una eademque epistola eosdem turpis notae doctores *inter Philippenses* versantes, quos C. I. v. 28. universe ἀντικειμένους, in pernitiem suam ruentes appellavisset, posthac C. III. accuratius notaverit; neque Paulus, pro indole sua aliunde cognita, metu quodam inpediri potuit, quo minus doctores vanos in epistola *toti coetui* scripta graviter reprehenderet. 2) Quanquam Apostolus liberalitatem, quam Philippenses per Epaphroditum ipsi praestiterant, C. IV. v. 10. ss. uberius praedicavit; eiusdem tamen rei mentio quoque facta est (sermone breviori, sed aeque perspicuo) C. II, v. 25. 30. 3) Quae C. IV, v. 2. 3. de Evodia et Syntyche inter se reconciliandis dicuntur (laudibus harum mulierum non omissis v. 3.) absque omni offensione in epistola *toti coetui* destinata praecipi poterant. 4) Argumentum Capitis III. IV, collatum iis, quae C. I. II. obveniunt, minimi ita se ha-

het, ut perfectioribus tantum Christianis instituendis inservire recte dicatur. C. III, v. 15. Apostolus perfectiores pariter, ac ceteros alloquitur. 5) Verba: τὰ αὐτὰ γράφειν etc. C. III. v. 1. quae V. Heinrichs ad *sermones* respicere existimat, quos Paulus olim, quo tempore apud Philippenses versaretur, cum *familiaribus* suis contulerit, facilius, opinor, ita explicantur, ut cohortationem, quam P. C. I. v. 28. universe proposuerat, non modo repetendam, sed etiam (vd. v. 2. ff.) amplius et definitius tractandam innuant. Nisi praeeunte loco *Polycarpi* ep. ad Philipp. c. 3. coniicere malueris (*Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3422.) verba laudd. ad priorem quandam Pauli ad Philipp. epistolam respicere, ad nostra tempora non servatam. [Non prorsus quidem exploratum, utrum Polycarpus vbb. ἔγραψεν ἐπιστολάς re vera *plures* innuerit *epistolas*, Philippensibus scriptas, an universe dicere voluerit, Apostolum aliquando litteras ad hunc coetum dedisse, quemadmodum Graeci et Romani saepius, notionem *generis* indicaturi, et Singularem et Pluralem promiscue ponunt. Neque negari potest, latinum: *epistolae* interdum de *una* adhiberi epistola, *Plinii* epp. l. 10, ep. 7. in. Cfr. allgem. Hallische Litteraturz. a. 1828. N. 188.] 6) Verba priora v. 1. C. III. interpretem minime cogunt de clausula epistolae cogitare. Cfr. C. IV, v. 4. Locus simillimus, qui *speciem* prae se ferre videatur epistolae ad finem vergentis exstat I. *Thessalonn.* 3, 12. 13. coll. 4, 1. Neque negaverim (collatis potissimum c. 2, v. 28. ff.) voluisse quidem Apostolum C. 3, v. 1. in. epistolae finem inponere, sed, quum Epaphroditus non statim proficisci potuisset, hac licentia usum esse epistolam continuandi. Cfr. F. *Krause* differt. an epistola P. ad Philipp. in duas epistolas easque diversis hominibus scriptas dispescenda sit, in eius *opusculis theoll.* Regiomonti, 1818. 8. — V. *Paulus* (Heidelberger Jahrbücher der Litter. 5. Jahrg. 7. H. 1812) verba τὸ λοιπὸν c. 3. v. 1. capitis 2. versui ultimo connectit (quo loco minus commode posita apparent), epistolamque priorem Capite 1. II. et IV, 9—23. posteriorem Capite III. inde a vbb. v. 1. ἀδελφοί μου etc. et C. IV. v. 1—9. contineri existimat. Non dixerim, verbis postremis v. 9. C. IV. indicium clausulae inesse perspicuum. *Coloss.* 3, 15. — *Unam* esse epistolam continuam toti coetui Philipp. missam recte defendunt *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3418. ff. *De Wette* Einl. p. 267.

sq. *Krause* opusc. supra laud. *Rheinwald* comment. nota 5. laud. Einl. p. 45. ss.

Illustrandae huic ep. praeter multos eorum Pauli interpretum, qui ad finem §. 49. notae 21. commemorati sunt, hi inserviunt: a) inter *antiquiores*: G. *Weller* enarratio in ep. ad Philipp. Norimb. 1551. *Musculus* comment. ad Philipp. Coloss. Thessall. I. Timoth. Basil. 1578. fol. I. *Tarnov* comment. in epp. ad Ephh. Philipp. Coloss. Thessall. Lips. 1636. *Velasquez* comment. in ep. ad Philipp. II. Volumm. Lyon, 1628. Ge. *Calixti* expositio litteralis in ep. P. ad Philipp. Helmstadii 1664. 4. *Laurentii* kurze Erklärung des Briefs Pauli an die Phil. Halle, 1713. *Van Til* comment. in I. Cort. Ephess. Philipp. Coloss. Amstelod. 1726. b) inter *recentiores*: I. *Elsner* Erklärung des Briefs an die Phil. Berlin, 1741. F. *Seidel* Erklärung des Briefs an die Phil. Halle und Helmstädt, 1757. *Baumgarten* Auslegung der Briefe P. an die Galater, Ephh. Philipp. u. s. w. mit Beyträgen von *Semmler*, Halle, 1767. 4. *Zachariae* paraphrast. Erklärung der Paulin. Briefe an die Gal. Ephh. Philipper u. s. w. Göttingen, 1788. 8. C. *Storr* dissert. exegetica in ep. ad Philipp. in opusculis eius acadd. Vol. I. Tub. 1796. Die Briefe an die Philipp. und Thessall. übersetzt mit Anmerkk. von W. *Krause*, Frankfurt am Mayn, 1790. 8. Pauli ep. ad Philipp. ex recens. Griesbachii nova vers. lat. et adnot. perpetua illustr. a G. *am Ende*, Viteb. 1798. 8. F. *Krause* observv. critt. exegett. in Pauli ep. ad Philipp, in eius opusc. theoll. Regiom. 1810. 8. F. *Büsching* introductio hist. theol. in ep. P. ad Philipp. cum praefatione I. Baumgarten, Halae, 1746. 4. Praesertim eminent Baumgartenii, Zachariae, Storrii, Krausii, Am Endii opera, itemque commentarii, quos *Heinrichs* et *Rheinwald* ediderunt, §. 69. nota 4. 5. laudati.

Epistolae pastorales, ad Timotheum et Titum datae.

§. 71.

Exstant in codice nostro N. F. tres, quae vulgo propter argumentum primarium [1]) his litteris expositum pastorales [2]) dicuntur, epistolae, Timotheo et

Tito scriptae. Utrumque Paulus familiarem habuit munerisque socium fidum. Timotheus quippe, ex Lycaonia oriundus [3]), patre Graeco natus, matre Iudaea, posthac Christum professa [4]), quum Paulus secunda vice Lystram pervenisset, praeeunte Apostolo vera doctrina evangelica inbutus, eiusque auctoritate et circumcisus, et muneri evangelii docendi sollenniter inauguratus [5]), ab hoc inde tempore [6]) variarum regionum extra Palaestinam sitarum incolis de Christo edocendis, coetibusque Christianis confirmandis regendisque, Ephesi potissimum, partim [7]) una cum Apostolo, partim absente illo [8]), operam suam strenue addixit. Eundem munere episcopi summi inter Ephesios functum esse scriptores veteres perhibuerunt [9]). Similiter Titus, cuius patria non innotuit, parentibus Graecis natus [10]), ipsius Pauli opera vel conversus ad sacra Christiana, vel amplius certe institutus [11]), pluribus locis et comes fuit itinerum Pauli, eumque docentem adiuvit [12]), et, Paulo absente, auctoritate eius negotiis ad ecclesiam Christianam pertinentibus strenue functus est [13]). Praeeuntibus testimoniis veterum Episcopus fuit apud Cretenses [14]). Quae locum priorem obtinet epistola ad Timotheum data ponit, hunc virum tum temporis inter Ephesios esse versatum, ut auctoritate Pauli rebus eorum sacris praeesset [15]). Posterior eidem Timotheo, iisdem negotiis intento, vel Ephesi, vel in vicinia certe huius urbis (vd. II. Tim. 4, 19. 13.) commoranti, cuius adventum Apostolus in vincula datus magnopere desiderabat, scripta est [16]). Tertia, priori ad Timotheum datae simillima, Titus illo tempore rebus sacris Cretensium praefectus, mandatis instruitur apostolicis [17]).

1) De officiis quippe primariis doctorum antistitumque religionis et ecclesiae Christianae egregie praecipiunt, illius

potissimum temporis ratione habita, quanquam minime totum Theologiae, quae dicitur, pastoralis ambitum complectuntur.

2) Cum *pastoribus* in libris V. T. reges et principes comparantur, *Ierem.* 2, 8. 3, 15. *Ezech.* 34, 2. ff. (vd. *Rosenmüller* scholia ad haec l.) itemque doctores sapientes *proverbb.* 10, 21. *Coheleth* 12, 11. Eademque imago in libris N. F. partim de Christo usurpata est (*Io.* 10, 11. ff. 1 *Petri* 2, 25. 5, 4. *Hebrr.* 13, 20.) partim de doctoribus Christianis, *Ephess.* 4, 11.

3) *Actt.* 16, 1. ff. *Urbem* vero Timothei patriam vel Lystram fuisse, vel Derben, neque locus laud. neque *Actt.* 20, 4. certo demonstrat.

4) De parentibus Timothei cfr. *Actt.* 16, 1. coll. v. 3. II. ad Timoth. 1, 5. Ad sacra Christst. et mater eius, et avia *eo tempore*, quo Paulus prima vice Lystram adierat (*Actt.* 14, 6. ff.), transiisse satis probabiliter existimatur. Quae matri et aviae inhaesit religio (II. Timoth. 1, 5.) eadem in puero et iuvene fuit, *Actt.* 16, 2. II. *Timoth.* 3, 15. Timotheus ipse, priusquam Paulo accuratius innotuerat, μαθητης Christi fuit *Actt.* 16, 1.

5) I. *Timoth.* 4, 14. (coll. II. *Timoth.* 1, 6.) II. *Tim.* 3, 14. 1, 13. Indulsit Paulus *Iudaeis* in Asia minori versantibus, circumcidendo Timotheo (*Actt.* 16, 3.), qui propter matrem Iudaeam huic ritui admittendo secundum statuta Iudd. *obligatus* esset, quo facilius eos per Timotheum sacris Christst. conciliaret.

6) De itinere apostolico, quo Paulus iterum Lystram pervenerat, vd. §. 48. nota 15. sub finem.

7) In *Lycaonia*, *Phrygia*, et *Galatia*, *Actt.* 16, 4. ff. in *Macedonia*, Actt. 16, 9. ff. 17, 1. ff. (alioque tempore II. *Corinthh.* 1, 1.) *Corinthi Actt.* 18, 5. ff. (I. *Thessall.* 1, 1. II. *Thess.* 1, 1.) *Ephesi Actt.* 19, 1. 22. in Graecia, Macedonia, Asiaque minori, *Actt.* 20, 4. 5. *Caesareae*, *Coloss.* 1, 1. ad *Philem.* v. 1. (vd. §. 66.) *Romae* ad *Philipp.* 1, 1.

8) *Beroeae Actt.* 17, 10. *Thessalonicae*, I. *Thessall.* 3, 1—15. (*Actt.* 17, 13. ff.) *Corinthi* et *in Achaia* 1. *Corr.* 4, 17. 16, 10. *Actt.* 19, 21. sq. *Ephesi*, I. *Timoth.* 1, 3. — Magnopere praedicatur huius viri religio et industria, I. *Corr.* 4, 17. I. *Thess.* 3, 2. *Philipp.* 2, 20. ff. I. *Timoth.* 1, 2. II.

Tim. 2, 2. al. — Auctor ep. ad Hebrr. 13, 23. eundem innuere Timotheum satis probabiliter existimatur, quum nomen eius l. l. tanquam viri satis superque cogniti praedicato nullo insigniatur. Quae h. l. obiter indicatur Timothei captivitas (forsitan Romae perpetrata), haud dubie nondum acciderat, quum Paulus Romae captivus litteras daret ad Philippenses. cfr. ad *Philipp.* 2, 19. 23.

9) *Euseb.* hist. eccl. l. 3. c. 4. *Chrysost.* homilia 15. in I. ad Timoth. *Constitutt. App.* l. 7. c. 46. *Photii* biblioth. c. 254. Quae traditio eo facilius defendi possit, quo certius constat, Paulum huic Timotheo demandasse, ut rebus ecclesiasticis coetus Ephesini (*aliquamdiu*) praeesset. I. ad *Tim.* 1, 3. 2, 1. 8. ss. 3, 1. 8. 4, 13. 5, 19. 22. 6, 3. II. *Tim.* 2, 2. 14. al. Concedamus modo (quum Timotheus, quamdiu mentio eius fieret in epistolis Pauli, sedem fixam Ephesi nondum habuisse videatur, cfr. II. *Tim.* 1, 4. 4, 9. 21.) seriori demum tempore, post captivitatem Pauli Romanam, illam episcopi summi provinciam ipsi demandatam esse. Singulis quidem coetibus Christst. in Asia minori versantibus episcopi sui praefici potuerunt (*Apocal.* 2, 1. 8. 12. 18. 3, 1. 7. 14.) etsi Ioannes Apostolus presbyteri auctoritate praeditus (*Ep. Io.* II, v. 1. III. v. 1.) hos coetus omnes universe moderaretur. Vd. C. *Heydenreich:* die Pastoralbriefe erläutert u. s. w. 1. B. Hadamar, 1826. p. 29. ss. Quaeritur tamen, an forte illa, quae Eusebio l. l. innotuerit, traditio sola nitatur *coniectura* ex epistolis ad Timoth. derivata? Vd. *Böhl* in l. infra §. 72. nota 4. ex. laud. p. 40. ss. Sublestae sunt fidei, quae apud *Photium* biblioth. c. 254. de martyrio Timothei leguntur, et in *Actis Sanctorum* T. II. Ianuarii p. 566. ss.

10) ad *Galatas* 2, 1. 3. De tempore huius itineris Paulini vd. §. 48. nota 15.

11) Ad *Titum* 1, 4. Hunc comitem suum, cum matrem haberet *ethnicam*, Apostolus (secundum eam loci ad *Gal.* 2, 3. 4. lectionem et interpretationem, cui argumenta favent potiora) *noluit circumcidi*, ne doctoribus vanis circumcisionem temere et arroganter iniungentibus cedere videretur.

12) *Hierosolymis*, ad *Gal.* 2, 1. *Ephesi*, vd. §. 56. in *Macedonia* vd. §. 56. inter *Cretenses*, ad *Titum* 1, 5. Romae aliquamdiu II. *Timoth.* 4, 10.

13) Corinthi potissimum itemque in insula Creta. Vd. nota 12. Quo tempore Paulus in captivitate Romana versabatur, Titus in Dalmatia fuit. II. *Timoth.* 4, 10. — Laudes huius viri praedicantur II. *Corinthh.* 8, 16. ss. 7, 6. ss. 13. ss. 12, 18. ss. *ad Titum* 1, 4.

14) *Euseb.* hist. eccl. 3, 4. *Hieron.* catal. scriptt. eccl. sub v. *Titus.* *Theophylactus* prooem. comment. ep. ad Titum. *Constitt. Apostst.* l. 7. c. 46. Nihil quidem inpedit, quo minus Titum apud eosdem Christianos Cretenses, quorum rebus sacris auctoritate Pauli (testante hac epistola) aliquamdiu praefectus fuisset, seriori tempore episcopi perpetui provinciam tenuisse existimemus. Eadem tamen quaestio oritur, de qua supra nota 9. vidimus. — Cfr. *Walch* comment. de Tito viro apostolico, miscellaneis eius sacris inserta. De enarratione vitae Titi apocrypha, nomen *Zenae* (ad *Titum* 3, 13.) prae se ferente vd. *Fabricii* codex apocr. N. T. T. II. p. 831.

15) I. *Timoth.* 1, 3. 3, 14. Argumentum epistolae: *C. I.* Salutatione praemissa, disserit auctor de doctoribus falsis, divinam evangelii simplicitatem placitorum Iudaicorum quaestionumque inutilium vanitate depravantibus, Timotheo probe cavendis, immo ipsius opera coercendis, animumque profitetur gratias pias Deo agentem, qui ipsum, olim hostem evangelii acerrimum, haud indignum iudicaverit, cui praeconium veritatis divinae committeretur. v. 1—20. *C. II.* Praecipitur, ut supplicationes piae et gratiarum actiones in coetu Christiano fiant pro hominibus omnibus, quippe quod Deo probetur, cuius summa erga homines omnes benevolentia per Christum patefacta fuerit, v. 1—8. itemque, ut mulieres Christianae modestas sese gerant, viris obedientes, v. 9—15. *C. III.* De indole interna et fama eorum sedulo exploranda agitur, qui vel episcopi vel diaconi voluerint eligi v. 1—13. Spem laetam auctor profitetur, fore, ut mox Timotheum visitet. Interea eum quovis tempore serio perpendere iubet dignitatem summam ecclesiae vere Christianae rebus in facto positis sanctissimis superstructae, v. 14. 15. 16. *C. IV.* Adhortatur Timotheum, ut animos Christianorum sedulo custodiat ab illis doctoribus vanis, placita hominum arbitraria corporisque tractationem duram, sed inutilem pro religione vera venditantibus, v. 1—11. itemque, ut quovis modo dignum sese exhibeat provincia sanctissima ipsi demandata, aliisque om-

nibus exemplum praeeat pietatis, v. 12—16. *C. V.* Ostenditur, qua ratione in coetu Christ. admonendi sint et provectiores aetate et iuniores v. 1. 2. cuiusnam generis viduae Christianae recte adscribantur earum numero, quae sumtibus ecclesiae nutriantur, v. 3—16. quae observanda sint ergá doctores et presbyteros v. 17—21. quam caute Timotheum in eligendis doctoribus presbyterisque versari oporteat, v. 22—25. *C. VI.* De officiis sermo est, quae servis Christianis strenue iniungantur, v. 1. 2. Iterum Timotheus cavere sibi iubetur a doctoribus vanis lucri cupidis, v. 3—10. iisque opponere suae ipsius persuasionis verae virtutisque Christianae constantiam indefessam, quo irreprehensus maneat ad diem usque iudicii sollennem (adnectitur doxologia) v. 11—16. Docetur, qua ratione homines potissimum *divites* admonendi sint v. 17. 18. 19. Finit auctor epistolam, et cohortando Timotheum, ut munere demandato strenue fungatur, nec unquam cedat doctoribus vanis, et fausta ei precando, v. 20—22.

16) II. *Timoth.* 4, 13. Argumentum epistolae: *C. I.* Salutatione praemissa adfirmat auctor, se mentionem Timothei perpetuam facere in precibus suis, eiusque adventum magnopere desiderare, insigni quippe laetitia adfectum animadvertenda pietate, quae in Timotheum ex matre et avia transierit, v. 1—5. Cohortatur eum, ut dotum divinarum, quae ipsi, doctori et antistiti sollenniter inaugurato, contigerint, usum strenuum nunquam intermittat, ut neque vexationes reformidet evangelii causa subeundas, neque in captivitate offendat Apostoli, immo constanter teneat, quam olim ex ore Apostoli acceperit, normam doctrinae verae evangelicae (inseritur praedicatio pia gratiae divinae, quam ipse, Apostolus, expertus fuerit, quum ad provinciam doctrinae divinae, spem certam vitae aeternae luce laetissima illustrantis, hominibus nuntiandae vocaretur) v. 6—14. Adduntur quaedam de Phygello, Hermogene, Onesiphoro, partim cum reprehensione, partim cum laude dicta v. 15—18. *C. II.* Iubet auctor Timotheum veluti militem Iesu Christi fortem sese gerere, agendo, docendo, certando cum adversariis, serio perpendentem, consortio Christi beato olim fruituros esse, qui hoc tempore Christi causa aerumnas fuerint perpessi; animumque in ipsius (Apostoli) exemplum defigentem, v. 1—13. Praecipitur Timotheo, ut

Christianos, quibus praefectus sit, praesertim doctores, a quovis genere disceptationum inutilium, placitisque doctorum vanorum abstinere iubeat, summamque praestet in veritate divina nuntianda ac defendenda alacritatem gravitatemque, ab humanitate et mansuetudine haud seiunctam, v. 14—26. *C. III.* Nuntiat auctor, tempore ultimo, propius instante, in dies maiorem fore perversitatem hominum, qui, moribus pessime depravati, vana docentes, aliorum religioni ac pietati insidias struant, probe cavendi (etsi dementia eorum tandem omnibus apparitura sit), v. 1—9. Laudatur Timotheus, qui huiusque ipsius (apostoli) exemplum perpetuo ante oculos habuerit, cohortatione addita, ut eundem tramitem constantissime persequatur, librisque divinis V. T. sapienter usurpandis provinciae, quae ei contigerit, perfecte administrandae magis magisque idoneus fiat. v. 10—17. *C. IV.* Pergit auctor Timotheo indefessam muneris administrationem, vigilantiam, prudentiam in docendo, admonendo, reprehendendo commendare, mentione iterum iniecta temporis prope instantis, quo plurimi aures praebituri sint doctoribus vanis, v. 1—5. ut Timotheus ecclesiae Christ. praestet, quod ipse, Apostolus, mox non amplius praestiturus sit, quippe qui diem fatalem prope instantem praevidere sibi videatur, animo quidem tranquillo, fiducia in Domino iudice iusto posita, v. 6—8. Excitat denique Timotheum, ut quam proxime ad ipsum veniat. Sequuntur nonnulla, quae ad familiares quosdam Christianos, ad causam Apostoli tum temporis captivi, ad mandata singula, et salutationes pertinent, v. 9—22.

17) Argumentum huius epistolae: *C. I.* Salutatione praemissa admonet auctor Titum, ut, mandatis obsequutus, in Creta insula oppidatim episcopos constituat, eiusmodi quidem virtutibus instructos, quibus episcopos insignes esse oporteat, quo facilius doctores vani ad silentium redigantur, moresque inter Cretenses maxime corrupti coerceantur. v. 1—16. *C. II.* Praecipit Tito, ut quovis tempore loquatur, quae doctrinae sanae conveniant, ut Christianos cuiusque sexus, ordinis, aetatisque officiorum suorum memores esse iubeat, ut ipse exemplum praeeat virtutis Christianae, perpendatque, summam Dei gratiam, quae hominibus omnibus per Christum Servatorem pa-

tefacta sit, ab omnibus hoc exigere, ut vitam serio emendent, v. 1—15. *C. III.* Pergit Apost. Tito officium iniungere sanctissimum, Christianos Cretenses ad obedientiam legibus civitatis praestandam, ad lenitatem, concordiam, vitaeque temperantiam, vitiis pristinis oppositam cohortandi, iterumque eum memorem esse iubet, quo consilio Christus Servator in terris apparuerit, v. 1—8. Eundem admonet, ut quaestiones rixasque inutiles de lege Mosaica fugiat, hominesque sectarum studiosos, qui corrigi noluerint, missos faciat, v. 9. 10. 11. Invitatur denique Titus, ut Nicopolin ad Apostolum veniat. Sequuntur mandata singula, et salutationes. v. 12—15.

§. 72.

Authentiam harum epistolarum auctoritatemque canonicam antiquitas Christiana agnovit [1]), paucis tantum Christianorum familiis eas repudiantibus [2]). Recentius prodierunt, qui Paulinas esse negarent [3]), argumentis usi probe examinandis [4]).

1) De patribus quidem apostolicis, *Clemente Rom.* ep. I. ad Corr. c. 6. c. 7. c. 29. *Ignatio* ep. ad Ephh. c. 2. *Polycarpo* ep. ad Philipp. c. 4. c. 5. non satis exploratum est, eos locis laudd. effata epistolarum pastoralium ante oculos habuisse. Attamen *Irenaeus* contra haerr. l. 1. prooem. in. l. 3. c. 3. §. 3. 4. *Clemens Alex.* λογος προτρεπτ. προς Ελληνας p. 3. 4. 6. Sylb. stromm. l. 2. p. 383. p. 448. ed. Sylb. *Tertull.* praescriptt. adversus haerett. c. 25. contra Marc. l. 5. c. 21. *Cyprianus* ep. 3. *Hieron.* prooem comment. in ep. ad Titum, *Eusebius* hist. eccl. l. 3. c. 3. p. 72. C. c. 4. p. 74. A. ed. Moguntiae, 1672. alii suam de origine harum litterarum Paulina persuasionem aperte professi sunt.

2) Praeeuntibus testimoniis *Tertulliani* contra Marc. l. 5. c. 21. et *Epiphanii* haer. 42. c. 9. *Marcionitae* has epistolas in suo epistolarum Paulin. canone non habuerunt, sive eas omnino non cognoverint (primis quippe temporibus, quum hominibus singulis scriptae essent, parum divulgatas), sive (quod Tertullianus existimat, cfr. insuper *Clemens Alex.* stromm. l. 2. p. 383. ed. Sylb.) lectas

repudiaverint, causa nobis incognita. De crisi Marcionis vd. §. 49. nota 9. Praeter Marcionitas *Basilidianos* (Gnosticos) quoque epistolas pastorales reiecisse *Hieronymus* perhibet prooem. comment. in ep. ad Titum. Testante *Origene* tract. 35. in Matth. nonnulli epistolam II. ad Timoth. spuriam censuerunt propter narrationem II. ad Tim. 3, 8. ex libro apocrypho allatam.

3) *Schleiermacher* kritisches Sendschreiben über den sogenannten ersten Brief des Paulus an den Timotheus, Berlin, 1807. 8. (prioris tantum ep. ad Tim. datae authentiam inpugnavit.) *Eichhorn* Einl. in das N. T. 3. B. 1. Hälfte, p. 315. ff. (ceteras quoque epistt. pastorr. Paulinas esse negavit.) *Loeffler* (Schleiermachero adsentiens): kleine Schriften, 2. B. p. 216. ff. *De Wette* Lehrbuch der Einl. in das N. T. p. 276. ff. (dubitationibus certe haud contemnendis authentiam earum obnoxiam esse profitetur.)

4) *Defendunt* originem harum litterarum Paulinam: H. *Planck* Bemerkungen über den ersten Paulinischen Brief an den Timotheus, in Beziehung auf das kritische Sendschreiben des Hrn. Prof. Schleiermacher, Göttingen, 1808. *Wegscheider*, der erste Brief des Paulus an den Timoth. neu übersetzt und erklärt, Gött. 1810. 8. *Hug* Einl. in das N. T. 2. Th. p. 395. ff. ed. II. *Bertholdt* Einl. 6 Th. p. 3504. ff. *Ebend.* kritisches Journal der neuesten theolog. Litter. 8. B. 2. 3. 4. St. und 9. B. 1. St. *Bengel* Archiv für die Theol. 1. B. 2. St. p. 345. ff. F. *Beckhaus* specimen observationum de vocabulis ἁπαξ λεγομενοις et rarioribus dicendi formulis in I. ep. ad Timoth. obviis etc. Lingae, 1810. 8. R. *Wolf* de altera Pauli Ap. captivitate partic. I. II. Lips. 1819. 1820. (posterioris potissimum ep. ad Tim. datae authentia defenditur.) *Van den Es* dissert. inauguralis de Pauli ad Titum epistola cum ejusdem ad Timoth. duabus composita, Lugd. Batav. 1819. 4. Chr. *Heydenreich:* die Pastoralbriefe Pauli erläutert u. s. w. 1. und 2. B. Hadamar, 1826. 1828. 8. (Einleitungen.) F. *Guericke* Beiträge zur historisch-kritischen Einleitung in das N. T. Halle, 1828. p. 117—155. G. *Böhl* über die Zeit der Abfassung und den Paulinischen Charakter der Briefe an Timotheus und Titus, ein Beitrag zum Erweise ihrer Aechtheit, Berlin, 1829. 8.

§. 73.

De tempore et loco quaesituri, quo prior ad Timotheum epistola scripta fuerit, in dubitationes de authentia harum litterarum coniici facile possumus [1]). Ex prioribus quidem epistolae versibus id unum colligi debet [2]), Apostolum, priusquam hae litterae exararentur, aliquando in Macedoniam profectum Timotheum suum exhortatum esse, ut inter Ephesios diutius commoraretur. Attamen difficultatibus haud exiguis inpedimur historicis et chronologicis, sive epistolam in Macedonia scriptam cogitemus, paulo post primordia ecclesiae Ephesinae [3]), sive tempore seriori, quo Paulus, Luca testante, Epheso plane digressus, Macedoniam adierat [4]), sive, quum Paulus ex Achaia in Macedoniam reverteretur [5]), sive tempore captivitatis Caesareensis [6]), seu denique intra priorem et posteriorem captivitatem Romanam [7]).

1) Vd. *Schleiermacher* in l. §. 72. nota 3. laud. p. 115. ff. *Eichhorn* Einl. l. l. p. 329 — 352. *De Wette* l. l.

2) De verbis quippe I. Timoth. 1, 3. (apodosi omissa supplendis: οὕτω καὶ νῦν παρακαλῶ σε) in utramque partem disceptari potest, utrum Paulus, *hoc ipso tempore, paulo ante* scriptionem harum litterarum, se ab Ephesiis digressum, in Macedoniam profectum (*Actt.* 20, 1.) Timotheum mandatis instructum Ephesi reliquisse, verbis laudatis innuere, an Timotheo, *quod olim ante plures annos accidisset,* in memoriam revocare voluerit.

3) Ex sententia *Moshemii:* Erklärung der beyden Briefe des P. an den Timoth. Hamburg, 1755. 4. p. 45. ff. Apostolus, quum apud Ephesios per trimestre in synagoga docuisset (*Actt.* 19, 8.), in regionibus Macedonicis novem fere menses commoratus esse, Timotheum interea Ephesi relictum de ecclesia amplius ordinanda his litteris edocuisse, deinde ad Ephesios rediisse existimandus est. Quae quidem coniectura, Apostolum *tum temporis* apud Ma-

cedones *diutius* esse versatum (cuius itineris enarrationem quomodo Lucas *Actt.* c. 19. prorsus omittere potuerit, quum c. 18. commorationis Pauli inter Corinthios, quae brevioris esset temporis, eiusque itineris Hierosolymitani mentionem facere haud omisisset, nemo facile dixerit) minime potest ex loco *Actt.* 20, 31. cum verbis Lucae *Actt.* 19, 8 — 10. conciliando comprobari. [De illa quippe τριετία recte intelligenda cfr. §. 55. nota 2.] Neque Moshemio aliisque concedendum, epistolam I. ad Tim. ubique primordia tantum coetus Ephesini ante oculos habuisse, eiusque res sacras omnino nondum ordinatas. Immo effata c. 1. v. 19. 20. coll. c. 5, v. 15. (de doctoribus falsis) itemque c. 3. v. 6. (νεόφυτον non esse episcopum eligendum), c. 3. v. 1. (de iis, qui episcopi provinciam ambierint), c. 5. v. 17. sq. coll. 3, 2. ss. 8. ss. (de diaconis atque presbyteris, et docentibus et non docentibus, recte eligendis et remunerandis), c. 5. v. 3. ss. (cuiusnam generis viduas ecclesiam sumtibus publicis alere deceat) aetatem produnt seriorem, qua coetus Ephesinus aliquamdiu floruerat, suosque doctores et antistites varii generis habuerat. Ceterum causa idonea desideratur, quae Paulum movere potuerit, ut, vix condito coetu Ephesino, per novem menses in Macedoniam discederet. Sub *finem* demum illius temporis, quod inter Ephesios transegit, de Macedonia adeunda cogitavit, *Actt.* 19, 21. sq. I. *Corinthh.* 16, 5. coll. v. 8.

4) Exarasse Paulum has litteras putant vel in Asia minori, quum Macedoniam peteret (*Actt.* 20, 1. forsan Troade, II. *Corr.* 2, 12.) vel, postquam in regiones Macedonum pervenisset (ad verba quidem provocantes *I. Tim.* 1, 3. vd. nota 2.) Cfr. *Theodoretus* prooem. in epp. P. in eius Opp. T. III. ed. Noesselt p. 5. *Benson* paraphrast. Erklärung und Anmerkk. über einige Bücher des N. T. übers. von *Bamberger*, Leipzig, 1761. 1. B. *Zachariae* paraphrastische Erklärung der Briefe an Tim. Titus und Philemon, Göttingen, 1775. Einl. *Michaelis* Einl. Vol. II. §. 184. *Hänlein* Handbuch der Einl. Vol. III. p. 511. ss. *Hug* Einl. Vol. II. p. 340. ss. ed. II. Chr. *Schmidt* Einl. Vol. II. p. 259. ss. N. T. graece perpetua adnot. illustr. ed. *Kopp.* Vol. VII. continuavit *Heinrichs* Gotting. 1828. ed. II. prolegg. p. 17. ss. H. *Planck* in l. §. 72. nota 4. laud. p. 89. ss. Ad. *Curtius* comment. de tempore, quo prior Pauli ad Tim. epistola exarata sit, Berolini, 1828.

8. Nolim urgere, quod plures huic sententiae opposuerunt, Timotheum, *quo tempore Paulus ab Ephesiis discederet* (*Actt.* 20, 1.), omnino in hac urbe non fuisse, mandato obsequutum Apostoli, Macedones et Corinthios adeundi, I. *Corr.* 4, 17. 16, 10. *Actt.* 19, 22. [Vd. §. 54. nota 6] Sequeretur inde, verba I. *Tim.* 1, 3. (vd. nota 2.) nullo modo de eo tempore intelligi posse, cuius historiam Lucas *Actt.* c. 20. in. exposuerit, de alio prorsus evento explicanda, temporis quidem serioris, consignationem Actorum App. subsequuti. Attamen quum Paulus, scripta priori ad Corr. epistola, non *illico* existimandus sit ab Ephesiis discessisse, I. *Corr.* 16, 8. 11. (tumultus ille, qui Paulum eiusque socios in discrimen adduxerat, omnino sedatus fuerat *Actt.* 19, 40. 20, 1. priusquam Apostolus Christianis Ephesiis valediceret, iter facturus, quod ipse ante tumultum decreverat, *Actt.* 19, 21.); fieri utique potuit, ut Paulus Timotheum *reducem* Ephesi exspectaret, eumque, discedens, in hac urbe *relinqueret*, sive Timotheus negotium sibi demandatum omnino properasse, sive causa nobis incognita Macedoniam tantum lustrasse, *nec altera ad Corinthios legatione tum temporis vere perfunctus esse existimetur* (unde intelligi potest, quare P. in ep. II. ad Corr. ne verbulo quidem innuerit, Timotheum re vera Corinthi fuisse, cfr. *Bertholdt* Einl. Vol. 6. p. 3358. sq. *Böhl* in l. §. 72. nota 4. laud. p. 32. sq. p. 177.) Aliae difficultates sententiam, quam examinamus, gravius premunt. a) Quo tempore Paulus epistolam II. ad Corinthios exarabat (in itinere Macedonico datam, elapsis quidem paucis mensibus post illam I. Ephesi scriptam, vd. §. 56.), *Timotheum secum habebat*, II. *Corr.* 1, 1. His repugnat, quod Timotheus illo tempore Ephesi relictus fuisse existimatur, ecclesiam amplius ordinaturus, praeeuntibus l. l. *I. Tim.* 1, 3. 4, 13. An forte coniiciamus, Timotheum, etsi has litteras pastorales accepisset, mox tamen, Epheso digressum, ad Paulum rediisse, seditione nova inter Ephesios contra sectatores Christi coorta prohibitum, quo minus mandato Apostoli (προσμεῖναι ἐν Ἐφέσῳ) obsequeretur? Attamen, quum Paulus, tumultu prorsus *composito* (*Actt.* 20, 1.) ab Ephesiis ita discessisset, ut Timotheum (paulo *timidiorem* vd. nota 7. ad litteram b.) ibi relinqueret, ipse omnino *non* metuisse videtur novum tumultum mox oriturum. Item, quo minus aliam coniecturam amplectamur (vd. *Curtius* in comment. supra laud. p. 64. ss. p. 76. sq.), Apostolum,

his litteris ad Timoth. datis, eundem mox revocasse, ratione duplici inpedimur, quum neque doceri probabiliter possit, quare Apostolus (aliis comitibus in Macedonia haud destitutus, *Actt.* 20, 4.) consilium suum repente mutaverit, neque breviori temporis spatio illa omnia, quae, hac sententia probata, accidisse putantur, priusquam II. ad Corr. ep. scriberetur (iter Pauli Macedonicum, consignationem epistolae I. ad Tim. datae, mandata nova, quibus Apostolus Timotheum reverti iusserit, ipsumque illius reditum) complecti commode liceat. b) Mirum videtur, quod Paulus in epistola *tum temporis* Timotheo scripta (cuius animus, haud dubie probe memor eorum, quae nuper Ephesi accidissent, corroborandus esset), nullam omnino illius seditionis periculosae (*Actt.* c. 19.) mentionem iniecerit, nec ullo loco, pro more suo, (cfr. epistola, quam illi interpretes paulo serius scriptam dicunt, II. *ad Corr.* 1, 8. ss.), *auxilium* celebraverit divinum.

5) *Actt.* 20, 2. 3. Huic tempori epistolam nostram tribuendam esse ingeniose defendit *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3571. sq. Sed haec sententia ponit, Timotheum (qui Paulo ex Macedonia in Achaiam profecto *Actt.* 20, 2. iterum adesset v. 4. coll. *II. Corr.* 1, 1.) ab Apostolo, priusquam hic discederet ex Achaia, *iterum ad Ephesios* esse legatum, quo facto epistola nostra pastoralis consignaretur. Itaque fides deneganda esset Lucae, quo testante *Actt.* 20, 5. 6. Timotheus, pariter atque ceteri comites Pauli v. 4. commemorati, Paulum et Lucam Achaia discessuros praegressus est, eosque in *Troade* mansit.

6) *Paulus* progr. de tempore scriptae prioris ad Tim. epistolae etc. Ienae, 1799. 4. Nihil quidem obstat, quo minus Timotheum aliquamdiu Caesareae apud Paulum fuisse, eoque volente tum temporis Ephesios quoque adiisse censeamus [vd. §. 66. nota 9.] Neque effata I. ad Tim. 3, 14. 4, 13. coniecturae erudite defensae prorsus repugnant, dummodo Apostolus, *priusquam Caesareae ad Inperatorem Romanum provocasset*, a. 58. s. 59. ineunte vel medio, haec scripsisse existimetur, vd. §. 48. [De verbis *I. Tim.* 1, 3. cfr. nota 2. *huius* §.] Attamen a) in eo quodammodo offendimus, quod Apostolus, *fere biennio tantum elapso* post illum sermonem Mileti habitum (*Actt.* 20, 25. 38.), quo presbyteris Ephesiis in perpetuum valedixisset, certo persuasus, se eos non amplius

esse visurum, in hac ep. spem propemodum certam Ephesum veniendi amplexus fuerit. b) Gravius est, quod huic epistolae captivitatis, quam auctor eo tempore perpessus fuerit, vestigia omnino nulla inhaerent, *praeter consuetudinem Apostoli*, cuius exempla luculentissima epp. ad Ephh. Coloss. Philem. Philipp. II. ad Tim. exhibent.

7) Apostolum, captivitate Romana superata, ecclesias plures itineribus obeuntem, Timotheum iterum vel aliunde Ephesum legasse, vel apud Ephesios reliquisse, ad eumque has litteras dedisse existimant, in Macedoniam profectum. Vd. *Usherii* annales V. et N. T. T. II. ed. Genev. p. 645. ss. *Pearson* annales Paul. in operibus eius posthumis chronologg. p. 22. ss. *Mill* prolegg. in N. T. p. 153. *Clericus* in notis ad *Hammondi* paraphrasin N. T. *Paley* horae Paulinae mit Anmerkk. von C. *Hencke* p. 278. ss. *Wegscheider* in l. §. 72. nota 4. laud. p. 28. ss. *Heydenreich* l. l. Vol. I. p. 36—57. *Guericke* l. l. p. 134. sq. *Böhl* l. l. p. 205. ss. Testimoniis non destitui sententiam eorum, qui duplicem distinguant Pauli captivitatem Romanam, §. 48. nota 21. vidimus. Macedoniam se iterum aditurum esse, (aliquamdiu certe) speravit Paulus, dum Romae captivus tenebatur, *ad Philipp.* 2, 24. Nolumus quidem adfirmare, originem illam *seriorem* (captivitatem Rom. Pauli, quam dicunt, priorem subsequutam) huic epistolae *propterea* vindicandam esse, quod partim res Ephesiorum ecclesiasticae non prius in eum ordinem potuerint redigi, cuius vestigia luculentissima huic epistolae sint inpressa (quidni enim coetus Ephesiorum, a. 54. post C. N. collectus §. 55. nota 2. *ante* captivitatem Pauli Rom. doctores et antistites varii generis, aerarium, alia eiusmodi instituta habere potuerit, aliquot annis ab origine elapsis?) partim Apostolus alio tempore prorsus non potuerit (I. *Tim.* 3, 14. 4, 13.) de Ephesiis iterum visitandis cogitare; (nisi Caesareae, eo certe tempore, cuius historia *Actt.* 20, 1. ss. enarratur, Apostolus utique in mente habere potuit, *itinere maritimo*, ex Achaia in Syriam faciundo, Ephesum quoque lustrare, donec consilium itineris mutandum esse intellexerat, *Actt.* 20, 3.) Neque ex usu temporis *futuri* εἰσελεύσονται μετὰ τὴν ἄφιξίν μου etc. *Actt.* 20, 29. sq. necessario colligi dixerim, doctores vanos in ep. I. ad Tim. notatos tempore demum captivitatis Pauli Romanae aut posthac pro-

disse. Immo, quae Paulus *Actt.* l. l. elocutus est, *efficaciam magnam* et valde periculosam illius doctorum falsorum generis olim *futuram* ita describunt, ut verba Apostoli certe non inpediant; quo minus (collato potissimum v. 26.) existimemus, *semina* prima illorum placitorum, quae veram persuasionem virtutemque Christianam corrumperent, eo tempore, quo Paulus presbyteris Ephesiis Mileti valediceret, iam spargi coepisse in ecclesia Ephesina coetibusve finitimis. Ceterum epistolae quoque ad Tim. datae, quanquam doctores vanos morumque corruptores *praesentes* describunt (I. *Tim.* 1, 3. ff. 6. ff. 4, 7. 6, 3. ff. II. *Tim.* 2, 14. 22. ff. 3, 6. ff.), aliis tamen locis animum scriptoris de *futura* potissimum illorum *efficacia maiori* perniciosa sollicitum exprimunt, I. *Tim.* 4, 1. ff. II. *Tim.* 2, 16. ff. 3, 1. ff. 9. 13. 4, 3. ff. Pateque ex iis omnibus, quae de hominibus illis proferuntur (*I. Tim.* 1, 4. 7. 2, 1—6. 4, 1. 3. ff. 7. sq. 10. 5, 23. 6, 5. ff. 20. *II. Tim.* 2, 14. 18. sq. 23. 3, 2. ff.) eos legem Mosaicam cerimonialem Christianis omnibus strenue observandam iniungi voluisse, regnum Messianum soli Iudaeorum genti destinatum iudicasse, subtiliorem legis Mosaicae cognitionem, et γνῶσιν quandam Iudaismo mixtam ex religionis philosophia Orientali profectam, praesertim placita de diversis angelorum aeonumque generibus iactitasse, angelos (non Christum solum) mediatores habuisse Dei hominumque, duriorem corporis tractationem praecepisse, a pietate et virtute *vera* alienos, resurrectionem denique mortuorum a nonnullis certe esse negatam. Ut verbo dicam, iidem fere in his epistolis obveniunt, quos Paulus in ep. ad *Coloss.* Caesareae consignata notavit [§. 65. nota 2.] Effatum *I. Tim.* 3, 16. ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ satis probabiliter ad *Docetas* [§. 40. nota 8.] respicere existimatur. Efficitur his observandis, originem epistolae I. ad Tim. ad annos quidem *priores post primordia* ecclesiae Ephesinae parum recte referri, eamque, (nisi alia obstent) *sub tempus captivitatis Pauli Romanae, vel posthac scribi omnino potuisse.* Observanda item similitudo magna huius epistolae et *II.* ad *Tim.* datae, in enuntiationibus multis formulisque dicendi conspicua (infra accuratius declaranda), haud dubie (si utramque Paulo vindicaveris) inde oriunda, *quod ep. I. ad Tim. consignationem posterioris (tempore captivitatis Pauli Romanae, vel primae, vel secundae factam) breviori temporis spatio antecesserit.* Exemplum simile epi-

stolarum ad *Ephh.* et *Coloss.* §. 62. cognovimus. Qui *negant*, epistolam nostram ad illam seriorem vitae Apostoli periodum *referri posse*, a) hoc argumento utuntur, quod Timotheus ep. I. c. 4. v. 12. etiamnum *iuvenis* appelletur. Attamen, (ut taceamus, notionem *iuventutis* apud Graecos Romanosque veteres latius patuisse, fere ad annum usque aetatis quadragesimum), etsi Timotheus illo tempore intra annum aetatis 30 et 40. versabatur, verissime tamen l. l. scribi potuit: nemo contemnat iuventutem tuam, ratione quidem habita aliorum Christi cultorum inter Ephesios, aetate *multum provectiorum*, non tantum ex genere adversariorum Pauli ac Timothei, qui suam annorum gravitatem iactitarent, sed aliorum quoque Christianorum, qui facile in eo offenderent, quod Paulus huic Timotheo, nondum grandaevo, negotium demandasset, aetate provectiores pariter atque iuniores commonefaciendi (I. *Tim.* 5, 1.) presbyteros eligendi (I. *Tim.* 3, 1. ss. 5, 22.) eorumque vitam et facta explorandi (I. *Tim.* 5, 19.) b) Haud pauca monent in hac epistola Timotheo dici ac praecipi, quae *tironi* tantum ad sacra Christiana nuperrime converso, nec eiusmodi viro, qui Paulo cognitionem suam fidemque Christianam diuturno usu probasset, recte praecipiantur. Quodsi recte moneretur, auctor epistolae ipse contradixisset iis, quae in ead. ep. 1, 2. 6, 11. de Tim. dicuntur (cfr. *I. Corr.* 4, 17. *II. Tim.* 1, 5. 3, 10. sq. 14.) Nolumus quidem negare, epistolae I. ad Tim. plura inesse, quae non tam auctoritatis eius apud Ephesios stabiliendae causa scripta videantur, quam ad Tim. ipsum commonefaciendum confirmandumque valeant, c. 3, v. 15. c. 4, v. 15. sq. c. 6, v. 13. 14. 20. At neminem facile (si modo rationem mutuam Timotheum inter atque Paulum, veluti patrem, intercedentem probe perpenderit) mirum habere potest, quod, qui in aliis epistolis non dubitaverit iterum graviter inculcare, quae lectoribus *dudum essent cognita*, idem fecerit in epistola Timotheo scripta, praesertim, quum Apostolus et de salute vera coetus Ephesini, cui Timotheum praefecisset, magnopere esset sollicitus, et probe nosset, indigere Timotheum iterata cohortatione, interdum quippe, ubi cum adversariis pugnandum esset, *paulo timidiorem*, II. Tim. 1, 6. 7. I. *Corr.* 16, 10. (Locis modo laudatis non repugnat locus II. Tim. 2, 22. ss. Immo licet ex his colligere, Timotheum artificia doctorum vanorum dialectica, eorumve quaestiones captiosas

interdum nimis curaviſſe.) Ceterum eiusmodi quoque effata obveniunt, pariter atque in ceteris P. epiſtolis, quae non tam docendi cauſa ſcripſiſſe videatur, quam, ut ſuos animi ſenſus pios, ſuamque perſuaſionem profiteretur. *1. Tim.* 3, 16. (forſan ex cantico Chriſtiano deſumta). c) Adverſari huic ſententiae exiſtimant, quod Paulus, quo tempore Romae captivus teneretur, de eo non cogitaverit, ut, ſi liberatio contigiſſet; primum in Aſiam minorem (Italia remotiorem) tenderet, deinde regiones adiret Macedonicas (I. *Tim.* 1, 3.) immo *Macedones* (Philippenſes potiſſimum) *ante omnia* adite voluerit; ep. ad *Philipp.* 2, 19. 23. His reſpondemus, quod ſupra nota 2. de I. Tim. 1, 3. obſervavimus. Cfr. praeterea *Boehl* in l. §. 72. nota 4. laud. p. 205. ſq. d) Parum probabiliter dicunt Paulum poſt captivitatem Romanam Epheſios iterum adiiſſe exiſtimari, quum presbyteris Epheſiis Mileti (*Actt.* 20, 25. 38.) in perpetuum valedixiſſet. Nonne vero errare potuiſſet Apoſtolus, ratus, martyrium, quod remotius eſſet, proxime ſibi inſtare? Spiritus quippe divinus hoc tantum univerſe ei patefecerat (*Actt.* 20, 22. ſq.) δεσμὰ et θλίψεις eum manere. — Una tamen difficultas hanc ſententiam premit. Neque ipſius captivitatis Romanae, neo liberationis mentio ulla facta eſt, ne iis quidem locis, ubi facile quisque praedicationem piam auxilii divini exſpectaverit, ſi epiſtola tempore captivitatem Romanam priorem proxime inſequuto ſcripta exiſtimetur, c. 1, v. 12. 17. c. 2, v. 7. c. 4, v. 9. 10. — Subſcriptio vulgaris epiſtolam *Laodicaeae* in Phrygia exaratam perhibet (de tempore nihil definiens). Aliae ſubſcriptiones vel Macedoniam, nullius urbis nomine indicato, vel Athenas nuncupant.

§. 74.

Poſteriorem ad Timotheum epiſtolam conſignatam eſſe, quum Paulus Romae captivus teneretur, conſentiunt interpretes [1]), praeeunte ipſa epiſtola. Quum vero haud pauci duplicem accidiſſe exiſtiment Pauli captivitatem Romanam, diſſentiunt, utrum Apoſtolus, prima vice Romam deductus [2]), an, iterum in vincula datus Romana [3]), has litteras exaraverit. Quanquam plura ex iis argumentis, quibus defenſores utriusque

sententiae usi sunt, ita se habent, ut neque huius, neque illius necessitatem demonstrare valeant [4]), alia tamen omnino in hac epistola obveniunt, quae, locis Actorum aliarumque Pauli epistolarum diligenter comparata, (nisi lectionem vulgarem mutare aut explicationem artificiosius quaesitam admittere volueris), sententiam priorem difficultatibus [5]) gravissimis inpediant, evanescentibus illis, si modo concessum fuerit, Paulum, quum iterum captivitatem subisset Romanam, itinere quodam intra priorem et posteriorem captivitatem peracto, has litteras ad Timotheum dedisse. Quam captivitatem posteriorem quum nonnulli scriptorum veterum testati fuerint [6]), authentia epistolae II. ad Timotheum hoc quidem argumento non potest inpugnari. Neque vel locis II. ad Timoth. 2, 17. 18. 4, 14. (coll. I. ad Tim. 1, 19. 20.) [7]) vel iis, quae II. ad Tim. 1, 6. ff. 13. sq. 2, 1—15. 22. 3, 14. 4, 1. Timotheo praecipiuntur [8]), inesse putaverim, quae nos iubeant epistolam existimare suppositam.

1) Verissime provocatur ad loca *II. Tim.* 1, 8. 12. 16. 17. 2, 9. 4, 16. sq. Coniecturae quippe *Oederi* (animadverss. sacrae, Brunsvici, 1747. p. 607. sqq.) epistolam *Caesareae* scriptam existimantis partim effatum repugnat *II. Tim.* 1, 16. 17. (nisi verba: γενόμενος ἐν ῥώμῃ σπουδαιότερον ἐζήτησέ με interpretando detorqueantur), partim, quod Paulus 4, 6. ff. admodum probabile iudicat, diem fatalem propius sibi instare, et 4, 21. Timotheum Christianorum *Romanorum* nomine salutat.

2) Ad eam, quam Lucas *Actt.* c. 28. enarravit, captivitatem Pauli Rom. hanc epistolam pertinere defendunt: *Baronius* annales ecclesiastici T. I. p. 558. ff. H. *Witsius* meletemata Leidensia p. 184. ff. *Ligtfootus* Chronicon N. T. P. II. Opp. t. II. p. 104. ff. *Hammondus* paraphr. N. T. *Zachariae* (in l. §. 73. nota 4. laud.) Cfr. *Schmidt* Einl. in das N. T. T. II. p. 262. sq. *Hug* Einl. T. II. p. 378. ff. ed. II. *Heinrichs* in commentario §. 73. nota 4. laud. prolegg. p. 126. ff. *Rinck:* das Sendschreiben der

Corinthier an den Paulus, und das 3 Sendſchreiben des P. an die Corinthier u. ſ. w. Heidelberg, 1823. p. 42. ſſ. (cfr. quae oppoſuit *Bengel:* Archiv für Theologie u. ſ. w. 7. B. 2. St. p. 301. ſſ.) *Wolf* comment. II. de altera Pauli captivitate, Lipſ. 1820. 8. *Paulus:* Heidelberger Jahrbücher der Litter. 18. Jahrgang 5. Heft, 1825.

3) Vd. ſubſcriptio, quae vulgo ad calcem epiſtolae legitur. *Euſebius* hiſt. eccleſ. I. 2. c. 22. *Chryſoſtomus* homilia I. et X. in ep. II. ad Tim. p. 658. 720. T. XI. ed. Montfaucon. (cfr. eiusdem prooem. in ep. ad Romm. T. X. Montfauc.) *Theodoretus* praef. ad II. Tim. Opp. ed. Noeſſelt T. III. p. 675. *Theophylactus* comment. (Opp. T. II. Venet. 1758.) *Benſon* in l. §. 73. nota 4. laud. *Uſherius, Pearſon, Mill, Clericus, Paley* (§. 73. nota 7.) *Mosheim* in l. §. 73. nota 3. laud. p. 612. ſſ. *Michaelis* Einl. T. II. §. 211. ſſ. *Haenlein* Handbuch der Einl. T. III. p. 521. ſſ. ed. II. *Bertholdt* Einl. T. VI. p. 3612. ſſ. *Heydenreich* in comment. §. 72. nota 4. laud. T. II. Einleit. p. 47. ſſ. *Böhl* (§. 72. nota 4.) p. 47—105. *Guericke* (§. 72. nota 4.) p. 121. ſſ.

4) a) Miniſterii fidi, quod *olim* apud Epheſios Oneſiphorus ſibi praeſtitiſſet, Timotheo probe cogniti (*Actt.* 19, 22.) memoriam gratam Apoſtolus tempore captivitatis Rom. ſecundae pariter atque, quum prima vice Romae verſaretur, recolere potuit, *II. Tim.* 1, 18. b) Quod *II. Tim.* 4, 14. de Alexandro fabro ferrario dicitur, *eum Paulo mala multa intuliſſe*, parum recte plures intt. ad ea reſpicere exiſtimant, quae *olim Epheſi* acciderant *Actt.* 19, 33. c) Nihil prohibet, quo minus verba c. 4. v. 13. quibus Apoſt. Timotheo mandat, ut paenulam, *quam Paulus Troade reliquerit atque membranas*, ſecum Romam adferat, de illo itinere Pauli per Troadem facto (*Actt.* 20, 6.) interpretemur, quod captivitatem eius Caeſareenſem atque Romanam, apud Lucam deſcriptam, anteceſſerit. (Quaeſitum, quare Apoſtolus res Troade relictas non prius, Caeſareae, popoſcerit? Vel minus indiguit iis, vel opportunitate eas inpetrandi deſtitutus fuit, ſiquidem *Timotheus ipſe Caeſareae* apud Paulum commoratus eſt, donec eum Apoſtolus ad coetum quendam Chriſt. legavit, §. 66. nota 11.) Concedimus tamen, *fieri etiam potuiſſe*, ut Paulus, captivitate Romana (priori) liberatus, *novo itinere Troadem* regionesque finitimas luſtraret, priusquam, iterum Romam deportatus, hanc epiſtolam exara-

ret. d) II. *Tim.* 1, 4. recordatus est Paulus lacrymarum, quas Timotheus aliquando, discedens ab Apostolo, profuderit. His verbis plures intt. memoriam eorum repeti putant, quae Mileti acciderint, *Actt.* 20, 17. 37. Attamen (ut taceamus, Timotheum tum temporis non Mileti relictum, sed Paulum ulterius proficiscentem, Hierosolymas et Caesaream, comitatum esse videri, §. 66. nota 11.) eodem certe iure coniicere licet, Apostolum l. l. illius temporis recordatum esse, quo Timotheus a Paulo Romae in in vincula dato discessisset, in Macedoniam legatus, *ad Philipp.* 2, 19. 23. (nisi malueris de alio quodam Timothei discessu cogitare intra primam et secundam captivitatem Rom. facto.) e) Quaesiverunt, quomodo Paulo, si hanc ep. II. ad Tim. tempore captivitatis Rom. secundae consignasset, c. 4. v. 16. 17. in mentem venire potuerit, quae dudum *Hierosolymis* ante captivitatem Caesareensem accidissent (*Actt.* c. 21, v. 30. 39. ff. c. 22. c. 23.) Timotheo, qui ipse haec spectaverat audieratque (§. 66. nota 11.) et posthac aliquamdiu Romae apud Paulum fuerat, tanquam rem incognitam enarrare? Verum, quum illa Lucae narratio *Actt.* 23, 11. ff. nullam omnino eiusmodi auxilii mentionem iniecerit, quod Dominus *Paulo causam suam peroranti* (II. Tim. 4, 17.) praestitisset, in promtu est, locum epist. laud. ad eventa illa Hierosolymitana prorsus non respicere, sed apologiam innuere, qua Paulus *Romae* usus fuerit. Quam causae defensionem utrum Apost. tempore illius, quam Lucas narravit, captivitatis, an posthac, iterum in vincula datus Romana, peroraverit, *ambigi potest*, siquidem Lucas *Actt.* c. 28. *minime integram* exhibuit captivitatis P. historiam, cfr. §. 47. Ceterum illud: πάντες με ἐγκατέλιπον II. *Tim.* 4, 16. haud dubie de hominibus Iudaeo-Christianis Romae domicilium habentibus intelligendum est, qui si modo voluissent, pro sua rerum Romanarum hominumque ibi versantium cognitione, Apostolo causam peroranti plus prodesse potuissent, quam illi, qui cum Apostolo Romam venerant. f) Effata *II.* ad Tim. 1, 16. 4, 9. 10. 11. 21. *custodiam* Pauli *liberiorem* innuunt. Talem utique Lucas descripsit *Actt.* 28, 16. 30. 31. Nolim vero ex his colligere, *non potuisse* Apostolum, *iterum* Romam deductum, aliquamdiu certe (priusquam sententia condemnatoria pronuntiaretur) eadem gaudere licentia sermones cum familiaribus miscendi litterasque dandi ad exteros; praesertim, quum iure gauderet civitatis Romanae (vd.

Actt. 23, 25. ff.) g) Quae loco *II. Tim.* 4, 11. 12. dicuntur, de Luca apud Paulum commorante, itemque de Tychico ab Apostolo Romae versante Ephesum legato, egregie conveniunt iis, quae Lucas *Actt.* 27, 1. ff. 28, 14. ff. 20, 4. perhibuit. Etsi enim Tychicus, quum aliquamdiu Caesareae Paulo adfuisset, ab eo legatus fuerat ad Colossenses (ep. ad *Coloss.* 4, 7. 8. cfr. §. 66.), redire tamen ad Apostolum potuit, quo tempore hic Romam fuerat deportatus. At nihil prohibet, quo minus et Lucam et Tychicum *iterum*, tempore captivitatis secundae, apud Paulum fuisse statuamus. h) Eiusmodi spem laetam liberationis a vinculis futurae, qualem Paulus ep. ad *Philipp.* 2, 24. professus fuerit, loco inesse *II. Timoth.* 4, 17. 18. parum recte plures contenderunt. Etenim v. 17. hoc tantum dicitur, primam, qua Apost. usus esset, causae perorationem, iuvante Domino hoc effecisse, ut sententia condemnatoria nondum pronuntiaretur, ipsiusque evangelii praedicatio Romae haud parum proficeret. V. 18. de felicitate post mortem futura sermo est. i) Quod *II. Tim.* 4, 13. 20. itineris mentio facta est, quo Apostolus *Troadem* et *Miletum* lustraverat (cfr. *Actt.* c. 20, v. 6. 15.) *neque repugnat* iis, qui hanc epistolam tempore captivitatis secundae scriptam existimaverint, verbis Pauli de *novo itinere* (in Actis haud enarrato) intellectis, quo, vinculis prioribus liberatus, easdem regiones adiisset, quanquam olim (*Actt.* 20, 25. 38.) Ephesiis in perpetuum valedixerat, vd. §. 73. nota 7. d. *neque demonstrat*, epistolam nostram ad captivitatem P. secundam propterea oportere referri, quod via, qua Paulus prima vice, Caesarea profectus, Romam pervenisset (*Actt.* c. 27.), prorsus diversa fuerit ab illo itinere *II. Tim.* 4, 13. 20. paucis adumbrato. Locus epist. laud. *nullam* exhibet *itineris Romani descriptionem*. Nihilque prohibet, quo minus Paulum, quum prima vice vinculis Romanis teneretur, mentionem eorum fecisse putemus, quae in itinere *Hierosolymitano* (*Actt.* 20, 3—21, 17.) accidissent. Quanquam hic locus aliam facesset difficultatem, in seqq. observatam.

5) a) Si hanc epistolam tempore captivitatis Rom. prioris exaratam putaveris, necesse est, verba *II. Tim.* 4, 20. Ἔραστος ἔμεινεν ἐν Κορίνθῳ de eo tempore interpreteris, quo Paulus, priusquam, itinere facto per Macedoniam et Asiam minorem, Hierosolymas adiret, *ex Achaia* di

fecesserat (*Actt.* 20, 2. 3. seqq.) De Eraſto, *Corinthi* οἰκονόμῳ πόλεως, vd. ad *Romm.* 16, 23. (§. 59. nota 8.) Ab illo autem itinere, quo Paulus ante captivitatem Caesareensem ex Achaia discesserat, donec haec epistola (tempore quidem captivitatis Romanae prioris) exarari posset, haud dubie *plures anni* elapsi sunt. Mirum videtur, quod Apostolus, ut Timotheo explicaret, quare hoc tempore praeter Lucam familiares nullos Romae haberet, etiam hoc monuerit, Erastum (ante plures quidem annos) Corinthi mansisse. b) Qui hanc sententiam defendunt, concedere debent, praeeunte loco ep. ad *Philipp.* 2, 19. 23. Apostolum non prius, quam *fere certum esset,* quem exitum causa sua Romae habitura esset (ad *Philipp.* l. l. ὡς ἂν ἀπίδω τὰ περὶ ἐμὲ) Timotheum ad Philippenses legavisse, et, quum Tim. hac legatione perfunctus in Asiam venisset minorem, *statim* has litteras ad eum dedisse. His parum convenit, quod Paulus, hanc epistolam scribens, eventum causae *nondum compertum* habuit, c. 4, v. 17. 18. c) Qui c. 4. v. 10. aliquamdiu apud Paulum Romae fuisse perhibentur, *Crescens* et *Titus*, (quos recte existimamus non fuisse ex numero eorum Pauli amicorum, qui Romae sedem fixam haberent, quippe qui infra demum v. 21. commemorantur), neque in ep. *ad Philipp.* obveniunt, neque Apostolum, vel Hierosolymas proficiscentem, vel posthac, quum Romam deportaretur, comitati esse dicuntur. *Actt.* 20, 4. 27, 2. *Aristarchi* vero, cum Paulo et Luca Romam profecti (*Actt.* 27, 2.) mentio nulla facta est *II. Tim.* 4, 10. 11. [Quod *Demas* ille, cuius nomine Paulus Colossenses et Philemonem salutavit, ad *Col.* 4, 14. *Philem.* v. 24. etiam *II.* ad *Tim.* 4, 10. aliquamdiu apud Paulum fuisse dicitur, minime demonstrat, epistolam nostram tempore captivitatis Romanae *prioris* consignatam esse. Etenim, ut omittamus, epistolas ad *Coloss.* et *Philem.* rectius *Caesareae* scriptas existimari §. 66. mirum profecto videtur, si nostram ad *Tim.* epist. una cum litteris ad *Coloss.* et *Philem.* datis ad eandem captivitatem Rom. referre volueris; quod Demas, quem epp. ad *Col.* et *Philem.* socium Pauli fidum praedicant, praeeunte epist. II. Tim. l. l. Apostolum, rerum terrestrium studio captus, deseruerit. Multo probabilius certe eiusmodi depravatio Demae serius exstitisse putatur, quum Paulus, iterum Romam deductus, in maiori discrimine versaretur.] d) De *Trophimo* dicit Apostolus *II. Tim.* 4, 20. se illum Mileti reliquisse aegrotantem. Hierosolymas

quidem Troph. cum Paulo (ante captivitatem Caesareensem) profectus est; Actt. 21, 29. Quum vero Apost. Caesarea Romam deportaretur, nec fuit ille in comitibus Pauli, Actt. 27, 2. nec ipse Apostolus Miletum lustravit. Quo minus nomini μιλήτῳ nomen eiusmodi loci substituatur, quem Paulus in hoc itinere maritimo attigerit (μελίτῃ) codices et verss. inpediunt. Varia interpretandi tentamina eorum, qui eiusmodi sensum erui volunt, ut Paulus ipse tum temporis Miletum venisse non dicatur, simplicitatis laude parum commendantur. Cfr. *Boehl* l. §. 72. nota 4. laud. p. 85. 86. ss. Quam difficultatem ii tantum expediunt, qui de itinere cogitant, quo Apostolus, intra priorem et posteriorem captivitatem Romanam, Trophimum aegrotantem Mileti reliquerat. e) Quo tempore Paulus ep. II. ad Timoth. exaravit, quanquam sententia condemnatoria nondum pronuntiata fuerat (c. 4, v. 16. 17.), summa tamen probabilitate se capitis iri damnatum exspectavit, c. 2, v. 9. 10. c. 4, v. 6. ss. v. 18. (Observanda potissimum verba Pauli: ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι.) coll. c. 1. v. 15. c. 4, v. 10. 16. Aliter se adfectum sentibat Apostolus, quum Romae litteras daret ad Philippenses, non alienus quidem a cogitatione mortis subeundae (ad *Philipp.* 1, 20. 2, 17.), attamen spem laetam fovens, fore, ut, hisce vinculis solutus, mox visitet Philippenses (1, 25. sq. 2, 24.) Quodsi utramque epistolam, dum Paulus prima vice in vinculis esset Romanis, scriptam dixeris, necesse est, epistolam II. ad *Tim. eo tempore, quo de vita Pauli magis desperandum videretur, sive diutius ante epistolam ad Philippenses, initio captivitatis, seu post illam exeunte captivitate,* scriptam existimes. Priori quidem sententiae minime addicit historia biennii, quod Paulus in vincula datus Romae transegerit, apud *Lucam* exhibita (*Actt.* c. 28, v. 16. 30. 31.), neque, quod ex ep. ad *Philipp.* 2, 19. 23. constat, Timotheum ipsum, priori quidem huius captivitatis tempore, apud Paulum Romae fuisse. Posterior ea difficultate premitur, quam supra b. observavimus.

6) Cfr. §. 48. nota 21. Effatum *II. Tim.* 2, 22. τὰς δὲ νεωτερικὰς ἐπιθυμίας φεῦγε minime interdicit, ne haec epistola tempori captivitatis *posterioris* tribuatur. Etsi enim Timotheus, quum has acciperet litteras Pauli pastorales, *ultra aetatem iuvenilem* annis provectus existimetur, prae-

cipere tamen ei Apostolus potuit, *ut virum sese gereret*, qui non amplius cupiditate quadam iuvenili abriperetur. Cfr. insuper §. 73. nota 7. a. observata. Aliud argumentum illi sententiae oppositum supra nota 4. *huius* §. f. refutavimus.

7) Quod *Hymenaeus* auctoritate Pauli societate Christiana exclusus fuerat (I. *Tim.* 1, 20.) hunc doctorem vanum non videtur inpedivisse, quo minus ipse *doctorem Christianum* sese *profiteretur*, et sectam colligeret. Unde factum, ut Paulus Timotheum *ep. II*, c. 2, v. 17. 18. ad doctrinam eius perversam, sedulo evitandam, atque coercendam, *iterum* attentum redderet. Idem licet de *Alexandro* conlicere, nisi forte, qui *II. Tim.* 4, 14. Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεὺς appellatur, ab illo, cuius mentio *I. Tim.* 1, 20. facta est (nullo quidem eiusmodi praedicato nomini adscripto) plane diversus fuerit.

8) Timotheum paulo timidiorem (§. 73. nota 7. b.) admonitionibus saluberrimis corroborandum putavit Apostolus, ne forte, consideranda Pauli, qui tum temporis in discrimine haud exiguo versaretur, conditione externa, animum desponderet, neque anxius haesitaret de itinere Romam suscipiendo, atque de veritate evangelii Romae libere profitenda (cfr. 1, 8. 4, 9. 10.) De aliis dubitationibus (huius quidem generis), authentiae harum litterarum oppositis, facile refutandis cfr. *Heydenreich* in comment. laud. Vol. II. p. 73. ss. *Guericke* p. 149. ss.

§. 75.

Quod litterae pastorales ad Titum datae (I, 4. 5. III, 12.) profitentur, Apostolum, priusquam has litteras exararet, in Creta insula fuisse, persuasione Christiana vel primum nuntianda Cretensibus, vel amplius propaganda et stabilienda occupatum, et, quum discederet, Titum reliquisse apud Cretenses, qui perficeret, quae Paulus inchoavisset, itemque, Paulum, quo tempore hanc epistolam scriberet, hyemem instantem Nicopoli transigere constituisse, id coniectu-

ris ansam praebuit diversissimis de tempore et loco, quo epistola scripta fuerit; quum ex Actis quidem Apostolicis de Paulo apud Cretenses evangelium praedicante nihil compertum habeamus [1]), pluresque urbes Nicopolis nomine insignitae apud scriptores veteres obveniant [2]). Nolumus tamen hoc argumento authentiam epistolae inpugnari [3]). Neque enim iisdem, quae plures aliorum coniecturas premunt, difficultatibus [4]) inpedimur, quo minus Apostolum itinere maritimo, quo Luca testante (Actt. 18, 18. 19.) Corintho digressus Ephesum peteret, Cretam adiisse [5]), posthac vero, quum altera vice Ephesi versaretur (Actt. c. 19.) has litteras ad Titum dedisse existimemus [6]). Neque negare licet, fieri potuisse, ut Apostolus, vinculis Romanis solutus, priusquam [7]) iterum Romam deportaretur, in provincias inperii Romani orientales rediturus, Cretenses visitaret, atque, relicto in hac insula Tito, itinere per Asiam minorem et Graeciam continuato, hanc epistolam in eiusmodi regione scriberet, quae ab urbe Nicopoli in Epiro haud ita procul esset remota [8]). Cui sententiae posteriori praesertim favet similitudo huius epistolae et posterioris ad Timotheum datae [9]). Neque obstare videtur, quod in epistola ad Titum liberationis a captivitate Romana inpetratae mentio nulla facta est [10]).

1) Illius quidem narrationis *Actt.* 27, 7. 8 qua Paulus, ubi Caesarea Romam deportaretur, cum sociis Cretam insulam subnavigasse, et ad locum Cretensem, qui *portus pulcher* appellaretur, pervenisse dicitur, usum ad rem nostram cum *Grotio* facere propterea non possumus, quod neque probabile est, Apostolo, qui in captivitatem duceretur Romanam, tum temporis permissum fuisse, ut apud Cretenses commoraretur, et evangelium praedicaret, nec ipse Lucas l. l. de Paulo sociisque in terram egressis quicquam addidit, ullamve Titi mentionem iniecit.

2) Plures quidem huius nominis urbes in Asia fuerunt. Alia ad Haemum in Thracia, alia ad Istrum sita, alia Aegyptia, alia Epiri. Vd. *Theophylactus* ad ep. ad Titum 3, 12. *Cellarii* geograph. T. I. p. 583. 1327. T. II. p. 308. 260. Aevo apostolico nondum exstitit illa, Traiani demum auctoritate condita, Macedoniae Nicopolis, unde Paulum litteras ad Titum dedisse perperam adfirmat subscriptio vulgaris. Ipsius Pauli verbis praeeuntibus c. 3. v. 12. (ἐκεῖ γὰρ κέκρικα παραχειμάσαι) tum temporis Nicopoli nondum fuit.

3) Vd. *Eichhorn* Einl. 3. B. 1. Hälfte, p. 373. ff.

4) Quae *Actt.* 15, 41. 16. 1. ff. paucis exhibetur descriptio itineris, quo Paulus Syriam et Ciliciam adiit, non permittit, ut Apostolum hoc tempore in Cretam insulam ex Cilicia profectum esse, et, quum aliquamdiu ibi docuisset, in Asiam minorem rediisse coniiciamus. (Ludov. *Capellus* historia apostolica illustrata, Salmurii, 1683. 4.) — Observatio Lucae *Actt.* 18, 11. minime addicit coniecturae, quam *Michaelis* (Einl. T. II. p. 1315. ff.) defendit, illam Pauli apud Cretenses commorationem ad tempus referens, quo Paulus prima vice Corinthios adierat. Adversatur item locus ep. ad *Titum* 3, 13. nisi sub *Apolline*, quem Titus, Creta discessurum, rebus necessariis liberaliter instruere iubetur, alium eiusdem nominis virum, parum probabiliter quidem, intelligere volueris, diversum ab eo doctore Christiano, cuius mentio *Actt.* 18, 24. ss. 19, 1. I. *Corr.* 3, 4. ss. 16, 12. facta est, cfr. §. 54. nota 3. 8. Ille enim amicus Pauli, ex locis laudatis cognitus, *non prius* Ephesum venit, doctrinamque Christianam ita accuratius cognovit, ut ipse iam evangelio docendo operam posset navare, *quam Paulus Corintho discesserat.* *Actt.* 18, 24. ss. coll. v. 18. ss. Effata autem II. *Corr.* 12, 14. 13, 1. (τρίτον ἔρχομαι) quae *Michaelis* l. l. ita interpretatur, ut illam Pauli inter Corinthios commorationem (*Actt.* 18, 1—17.) de *duplici itinere Corinthiaco* intelligi posse existimet (*interruptam* quippe itinere, quod statuit, *Cretensi*) de *consilio* tantum loquuntur *ter capto*, Corinthios visitandi, cfr. §. 57. nota 6. — Quod *Schmidtius* (Einl. T. II. p. 265.) coniecit, Apostolum, quum altera vice apud Ephesios versaretur, aliquamdiu in Cretam insulam peregre abiisse, parum convenire videtur narrationi eorum, quae Apostolus tum temporis Ephesi fecerit,

Actt. c. 19. — Alii interpretes in auxilium vocant historiam brevem itineris, quo Paulus, Epheso digressus, in Macedoniam et Achaiam abiit, rediitque per Macedoniam in Asiam minorem *Actt.* 20, 1—6. *Theodoretus* comment. ad ep. ad Titum 3, 12. ed. Noesselt. T. III. p. 709. *Baronius* annales ecclesiast. T. I. p. 490. ss. *Lightfoot* Chronicon N. T. P. II. Opp. t. II. p. 91. ss. *Hammondus* paraphr. N. T. *Zachariae* paraphr. Erklärung etc. (§. 73. nota 4. laud.) *Heinrichs* in prolegg. ibidem laudd. Verum, si Apostolum, per Macedoniam profectum (*Actt.* 20, 2.), *priusquam Graeciam adiret*, ad *Cretenses* se contulisse dixeris (etsi Lucas l. l. hoc iter prorsus silentio transierit), difficile est intellectu, quomodo Paulus, ex Creta reversus in Graeciam, Epirum adire, Nicopoli hyemem transigere, litteras ad Titum dare, in Achaiam se conferre, apud Corinthios aliquamdiu, donec in Macedoniam rediret, commorari *trimestri* (*Actt.* 20, 3.) potuerit, et, quare tum temporis eiusmodi ambage itinerum usus sit. Accedit, quod aliunde cognovimus (§. 56.), Titum, ex itinere Corinthiaco ad Paulum per Macedoniam proficiscentem reversum, mox *iterum* ab eo *Corinthum* esse legatum cum epistola II. ad Corinthios data. Sin Apostolum paulo serius, *postquam ex Macedonia in Achaiam sese contulisset*, Cretenses adiisse, negotiisque suis in hac insula perfunctum, in Macedoniam (sive itinere per *Achaiam* facto, seu via brevissima) rediisse conieceris; his iterum parum addicit, quod Apostolus (*Actt.* 20, 3.) per *tres* tantum *menses* in Graecia commoratus esse perhibetur, parumque probabiliter Paulus eo tempore, quo munere fungeretur, eleemosynas collectas *mox Hierosolymas* perferendi (ad *Romm.* 15, 25. ss. *Actt.* 19, 21. 20, 3.), Nicopoli in Epiro hybernare voluisse (ad *Titum* 3, 12.) existimatur. Cfr. de his interpretum coniecturis parum probabilibus *Böhl* in l. §. 72. nota 4. laud. p. 125. ss.

5) Vd. *Hug* Einl. T. II. p. 308. ss. ed. II. Nisi Paulum *consulto* hac itineris ambage (apud Lucam h. l. breviorem omissa) usum fuisse putaveris, fieri utique potuit, ut navigium, quo Paulus, Ephesum petiturus, veheretur, vel tempestate ad Cretam insulam deferretur (cuius tempestatis quod Lucas *Actt.* 18, 18. 19. mentionem haud iniecerit, minime probat, accidere rem non potuisse, cfr. *II. Corr.* 11, 25.), vel mercaturae causa ad Cretam ad-

pellere deberet. Titus quidem, quem Pauli Corintho proficiscentis comitem tum temporis fuisse recte negamus (*Actt.* 18, 18.), alia via Cretenses adiisse existimandus esset.

6) Quo minus Apostolum, quum, Tito in Creta relicto, Ephesum venisset, *eo tempore*, cuius historiam Lucas *Actt.* 18, 19. sqq. paucis complexus est, litteras ad Titum dedisse cum *Hugio* existimemus, locus ep. ad *Titum* 3, 13. inpedit; siquidem *Apollo*, dum Paulus prima vice apud Ephesios versabatur, omnino nondum innotuerat Apostolo (vd. supra nota 4.) Facilius liceat epistolam nostram ad posteriorem Pauli inter Ephesios commorationem (*Actt. c.* 19.) referre, dummodo concedamus, Apostolum, quod prius cepisset, consilium, Titum suo tempore Nicopolin (in Epiro) arcessendi (ad *Titum* 3, 12.), postea mutavisse, Titumque, citius revocatum, ad Corinthios legare maluisse, vd. §. 56. Cfr. *Böhl* l. l. p. 185. ss.

7) Vd. §. 48. nota 21.

8) Tuentur hanc sententiam: *Mill* prolegg. in N. T. §. 122. *Clericus* ad Hammondi paraphr. ad *Titum* 1, 5. *Usher* annales (§. 73. nota 7.) *Pearson* (loco ib. laud.) *Benson* (l. §. 73. nota 4. laud.) *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3626. ss. *Heydenreich* comment. §. 72. nota 4. laud. T. II. p. 236. ss. *Böhl* l. l. p. 157. ss. *Guericke* Beyträge u. s. w. p. 126. ss.

9) Utraque epistola a) pluribus locis eiusmodi habet voces et formulas dicendi, quae in ceteris Pauli epistolis (praeter pastorales) non obveniunt, b) eiusdem generis doctores pravos notavit, ad *Titum* 1, 10. 14. 15. 3, 9. coll. II. *Timoth.* 2, 16. ss. 23. 4, 4. Vd. §. 73. nota 7. Proinde consignationem illius inter et scriptionem huius epistolae (§. 74.) haud ita magnum temporis spatium intercessisse videtur.

10) In ep. quippe *ad Titum* eiusmodi effata non obveniunt, quae sponte adduxisse, immo efflagitasse videantur praedicationem libertatis a captivitate inpetratae. (Aliter sese habet cum ep. I. *Timoth.* §. 73. nota 7. ex.) De semet ipso paucissima inseruit Apostolus ad *Titum* 1, 3. 3, 12. De fatis, quae Romae expertus fuisset, haud dubie nuper, in Creta, sermones multos cum Tito contulerat.

§. 76.

Sententiis singulis et enuntiationibus harum epistolarum aliquid inesse, quod vel ab ingenio, vel ab aevo Pauli abhorreat, recentiores authentiae earum adversarii demonstrare non potuerunt [1]). Immo haud pauca animadvertimus, quae in ceteris Pauli scriptis huius Apostoli cogitandi ac sentiendi rationem, eiusque doctrinam et institutionem praecipue insigniant [2]). Quanquam parentheses obveniunt [3]), nonnulla paulo abruptius inchoata sunt [4]), omninoque ordo sententiarum liberior apparet [5]), facili tamen cogitationum serie pleraque harum epistolarum effata copulantur [6]), patetque, auctorem, quaecunque scriberet, ad unum idemque consilium retulisse primarium [7]). Doctores pravi pluribus locis notati cuiusnam fuerint generis, satis perspicue elucescit [8]), nec indigebant Timotheus ac Titus uberiori illorum descriptione. Familiaritatis, quae Paulo cum Timotheo ac Tito intercesserit, vestigia his epistolis inhaerent luculentissima [9]).

1) Quam Paulina sit sententia de lege Mosaica pronuntiata *I. Tim.* 1, 8. recte docetur comparandis effatis ad *Romm.* 7, 12. ad *Gal.* 3, 24. — Quae I. *Tim.* 2, 15. de muliere dicuntur (σωθήσεται διὰ τεκνογονίας), doctoribus vanis coniugium spernentibus opposita, minime pugnant cum *I. Corr.* 7, 25. ss. ubi Apostolus hoc tantum enuntiat, propter *vexationes tum temporis* Christianis instantes *suadendum* esse homini Christiano, ut, si fieri possit, vitam agat caelibem, etsi nemo peccare existimandus sit, qui coniugium inire maluerit, cfr. *I. Corr.* 7, 7—9. 14. 16. 28. 35. ss. (*I. Tim.* 5, 14.) —. Praedicatum μεσίτης, quod apud Paulum semel tantum *Mosi* tribuitur (ad *Gal.* 3, 19. 20.) ad *Christum* quoque *I. Tim.* 2, 5. secundum Christologiam Paulinam (ad *Romm.* 5, 10. I. *Corr.* 8, 6. II. *Corr.* 5, 19. sq. *Coloss.* 1, 20. ss.) transferri omnino potuit, ratione potissimum habita doctorum vanorum, qui

angelos internuntios Dei hominumque dicerent. — Effatum I. *Tim.* 3, 16. minime exhibet formulam fidei Christianae ecclesiasticam, seriori aevo accommodatam [vd. §. 73. nota 7. b.] — De illa quae *I. Tim.* 6, 12. praedicatur, Timothei ὁμολογία καλή, sub iudice lis est, utrum actus ecclesiae sollennis, professioni publicae coniunctus, an eiusmodi professio, persuasionis Christianae intrepida intelligatur, quam Timotheus aliquando privatim coram pluribus exhibuerit. Nec certum dixerim, professiones fidei publicas et sollemnes ab aevo apostolico prorsus alienas fuisse. — Loco *II. Timoth.* 3, 10. 11. non dicitur vexationibus illis, quae Paulo Antiochiae, Iconii, Lystris accidissent (*Actt.* 13, 50. 14, 2. 19. sqq.) Timotheus ipse testis oculatus interfuisse (quod historiae contradiceret *Actt.* 16, 1. ss.) Immo, quum Apostolus *universe* monuisset, Timotheum *sui* (Pauli) imitatorem vexationibus quoque subeundis exstitisse, in illa calamitatum, quae *sibi* accidissent, cogitatione paululum substitit, iis potissimum exempli causa commemorandis, quae olim in iisdem regionibus evenerant, in quibus Timotheus domicilium habuerat. — Quod Apostolus I. *Tim.* 1, 11. ss. II. *Tim.* 1, 11. ad *Titum* 1, 3. suae ad Christum conversionis memoriam animo pio recoluerit, neminem facile mirum habere potest, collatis ad *Ephess.* 3, 7. ss. *Coloss.* 1, 23. 25. *Gal.* 1, 13. ss. *Philipp.* 3, 6. Aliis eiusdem generis dubitationibus (vd. *De Wette* Einl. p. 278. sq.) plura opposuerunt *Heydenreich* comment. §. 72. nota 4. laud. T. I. p. 333. ss., pluribusque locis ipsius commentarii, itemque *Guericke* Beyträge u. s. w. p. 142—152. Cfr. etiam supra §. 74. nota 7. 8. observata.

2) Cfr. praesertim *Heydenreich* T. I. p. 17. sq.

3) Saepius redit auctor ad doctores vanos, aliis interpositis, I. *Timoth.* 1, 19. 20. (coll. v. 3—7.) 4, 1—8. 6, 3. ss. 20. 21. *II. Tim.* 2, 14—26. 3, 6—9. 13. 4, 3. ss. ad *Titum* 1, 10—16. 3, 9. ss.

4) Vd. I. *Tim.* c. 2. in. c. 3, 1—13. c. 3, v. 14. 15. 16. c. 4. in c. 6, 1. 2. v. 17. 18. 19. II. *Tim.* 1, 15—18. coll. antecedd. et seqq. c. 2. ad *Titum* 2, 9. 10.

5) Neque in aliis Pauli epistolis eiusmodi ordinem liberiorem desideramus (cfr. II. *Corr. Philipp. Ephh. Coloss.*), nec desunt exempla consuetudinis, orationem ab individuo aut specie ad genus transferendi, ad *Romm.* 1, 13

—16. coll. v. 17. 6, 11. ff. coll. antecedd. I. *Corr.* 4, 20. coll. antecc. et seqq. al.

6) Cfr. quae interpretes passim observarunt, praesertim *Heydenreich* l. l. in appendice dubitationibus *De Wettii* opposita T. I. p. 341. sq. in comment. p. 294. sq. aliisque locis. Quod V. *Schleiermacher* in l. §. 72. nota 3. laud. p. 152. ff. epistolam I. ad Tim. nexu omni destitutam esse contendit, aliis interpretibus parum probatur. Concedimus tamen, in ep. *II. Tim.* et ep. ad *Titum* nexum sententiarum transitumque ab uno argumento ad alterum faciliorem apparere.

7) Vd. §. 71. *Heydenreich* l. l. T. I. append. p. 343. ff.

8) Cfr. §. 73. nota 7. §. 75. nota 9. b. *Heydenreich* l. l. T. I. p. 343. *Guericke* l. l. p. 140. 141.

9) Cfr. I. *Tim.* 1, 2. sq. 18. 4, 12. 14. sq. 5, 23. 6, 12. II. *Tim.* 1, 3—6. 13. 15. 2, 2. 3, 10. 11. 14. ff. 4, 13. ad *Titum* 1, 4. sq. 2, 15. 3, 12. Concedimus, *posteriorem* ad *Tim.* ep. familiaritatem Pauli cum Timotheo maiori perspicuitate declarasse. — De caussis, quare Apostolus necessarium ducere potuerit, animum Timothei admonitionibus saluberrimis corroborare, vd. §. 73. nota 7. b. §. 74. nota 8.

§. 77.

Attamen, si elocutionem epistolarum pastoralium accuratius examinaveris, permulta obveniunt, quae non permittant, ut Apostolus ipse verbotenus has litteras vel manu sua exarasse, vel dictasse existimetur. Concedimus, haud paucas occurrere voces formulasque dicendi Paulo frequentatas, immo, quae orationem huic Apostolo familiarem prae ceteris distinguant [1]). Nec desunt in toto scribendi genere, quae indolem Apostoli referant [2]). Adfirmamus contra, miram apparere copiam locutionum, praeter has epistolas nunquam apud Paulum usurpatarum, praesertim exquisitiorum et bene graecarum, quae ab usu loquendi

Paulino ita deflectant, ut neque formas phrasesque maxime cognatas in ceteris huius Apostoli scriptis reperias, neque caussa pateat idonea; quare Paulus, quum ad Timotheum et Titum litteras daret, haud pauca in aliis quoque epistolis proposita noluerit more consueto enuntiare 3). Neque negari potest, quod universum attinet genus dicendi, litteras pastorales plerarumque enuntiationum brevitate, verborum membrorumque compositione faciliori, ac diligentius elaborata, hebraismorum paucitate a ceteris omnibus differre.

1) I. *Timoth.* C. I, v. 1. (ad *Titum* 1, 3. 2, 15.) ἐπιταγὴ, cfr. *Romm.* 16, 26. I. *Corr.* 7, 6. 25. II. *Corr.* 8, 8. — I. *Tim.* C. I, v. 11. εὐαγγέλιον τῆς δόξης (cfr. II. *Corr.* 4, 4.) — ib. v. 13. ὑβριστής (*Romm.* 1, 30.) — ib. v. 14. ὑπερεπλεόνασε δὲ etc. (*Romm.* 5, 20.) — ib. v. 16. ἐνδείξηται (ut *II. Tim.* 4, 14. ad *Titum* 2, 10. 3, 2.) cfr. *Romm.* 2, 15. 9, 17. 22. II. *Corr.* 8, 24. *Ephes.* 2, 7. — ib. v. 20. οὓς παρέδωκα τῷ Σατανᾷ (I. *Corr.* 5, 5.) — *C. II*, v. 7. ἀλήθειαν λέγω etc. (*Romm.* 9, 1.) — *C. III*, v. 8. 11. et *C. V*, v. 25. ὡσαύτως (I. *Corr.* 11, 25. *Romm.* 8, 26.) — *C. IV*, v. 5. ἁγιάζεται etc. (*Ephh.* 5, 26. I. *Corr.* 7, 14. al.) — ib. v. 14. ἀφορμή (*Romm.* 7, 8. ff. II. *Corr.* 5, 12. 11, 12. ad *Gal.* 5, 13.) — ib. v. 19. ἐκτὸς εἰμὴ (I. *Corr.* 14, 5. 15, 2.) — *C. VI*, v. 6. αὐτάρκεια (*II. Corr.* 9, 8.) — ib. v. 12. ut *II. Tim.* 4, 7. ἀγὼν τῆς πίστεως (*Philipp.* 1, 30. *Coloss.* 2, 1. I. *Thess.* 2, 2.) — ib. v. 17. ὑψηλοφρονεῖν (ad *Romm.* 11, 20. 12, 10.) — II. *Timoth.* C. I, v. 1. Παῦλος ἀπόστ. διὰ θελήματος θεοῦ (*I. Corr.* 1, 1. II. *Corr.* 1, 1. *Ephess.* 1, 1. *Coloss.* 1, 1.) — ib. v. 3. ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω τὴν περὶ σοῦ μνείαν etc. (I. *Thessall.* 1, 2. sq.) — ib. v. 9. τοῦ (θεοῦ) καλέσαντος (ἡμᾶς) κλήσει ἁγίᾳ (*Romm.* 8, 30. 9, 24. 11, 29. I. *Corr.* 7, 15—20. ff. *Gal.* 1, 6. *Ephh.* 1, 18. al.) — ib. οὐ κατὰ τὰ ἔργα ἡμῶν, ἀλλὰ κατ' ἰδίαν πρόθεσιν etc. (*Romm.* 8, 20. 8, 28. 9, 12. *Gal.* 2, 16. *Ephess.* 1, 11. 2, 9. 3, 11. al.) — ib. v. 10. καταργήσαντος θάνατον (vd. *Schmidii* ταμεῖον sub h. v.) — *C. II*, v. 10. itemque ad *Titum* 1, 1. ἐκλεκτοὶ de Christianis (saepissime apud Paulum, vd. *Schmidii* ταμεῖον sub h. v.)

— ib. v. 20, 21. (simillima I. Corr. 3, 12 ss. Romm. 9, 20 sq.) — C. III, v. 11. ut C. IV, v. 17. ῥύεσθαι ἐκ etc. (vd. *Schmidii* ταμ. sub h. v.) — C. IV, v. 5. 17. πληροφορεῖν (vox rarior, *Romm.* 4, 21. 14, 5. *Coloss.* 2, 2. I. *Thess.* 1, 5.) — ib. v. 6. ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι (ad *Philipp.* 2, 17. praeter haec loca non occurrit in N. F.) — ib. καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως (*Philipp.* 1, 23.) — ib. v. 7. δρόμον τετέλεκα (vd. orationes Pauli *Actt.* 13, 25. 20, 24. cfr. I. *Corr.* 9, 24. 26. ad *Gal.* 2, 2. *Philipp.* 2, 16.), — ib. v. 8. ἀπόκειται (vox rarior) *Coloss.* 1, 5. ib. ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος, I. *Corr.* 9, 25. *Philipp.* 4, 1. I. *Thessall.* 2, 19. — ib. v. 17. itemque ad *Titum* I, 3. κήρυγμα, *Romm.* 16, 25. I. *Corr.* 1, 21. 2, 4. 15, 14. — Ep. ad *Titum* C. I, v. 13. ἀποτόμως, II. *Corr.* 13, 10. praeter haec loca non legitur in N. F. — C. II, v. 14. ζηλωτὴς καλῶν ἔργων, I. *Corr.* 14, 12. *Gal.* 1, 14. cfr. oratio Pauli *Actt.* 22, 3. — C. III, v. 4. χρηστότης, *Romm.* 2, 4. 3, 12. 11, 22. II. *Corr.* 6, 6. *Gal.* 5, 22. *Ephess.* 2, 7. *Coloss.* 3, 12. praeter scripta Paulina non legitur in N. F. — ib. v. 5. ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ et v. 7. δικαιωθέντες τῇ ἐκείνου χάριτι (phrases Paulo prae ceteris familiares, vd. *Schmidii* ταμεῖον sub v. v. δικαιοσύνη, δικαιόω) — ib. v. 5. ἀνακαινώσεως τοῦ πνεύματος, *Romm.* 12, 2. II. *Corr.* 4, 16. *Coloss.* 3, 10. praeter scripta Paulina non legitur in N. F. — ib. v. 7. κληρονόμοι γενώμεθα ζωῆς αἰωνίου (vd. *Schmidii* ταμ. sub v. κληρονομος.)

2) Observetur anacoluthon, I. *Tim.* 1, 3. 4. parenthesis, ad *Titum* 1, 1—4. continua enuntiationum series, quae vinculis participiorum, pronominum, particularum connectuntur, I. *Tim.* 6, 13—16. II. *Tim.* 1, 3—6. 8—12. ad *Titum* 2, 11—14. Vd. §. 49. nota 13. et 17.

3) Ceteras omnes Pauli epistolas litteris *prioribus* ad Tim. datis elocutione praestare, V. *Schleiermacher* contendit l. §. 72. nota 3. laud. p. 29. ff. *Eichhornius* vero epistolas pastorales universe spectatas eiusmodi perspicuitatem, concinnitatem, elegantiam habere existimat, quae in ceteris Pauli scriptis desideretur, Einl. 3. B. 1. Hälfte, p. 319. ff. *Negaverunt*, elocutionem harum epistolarum authentiae recte opponi: *Planck* et *Beckhaus* in l. §. 72. nota 4. laudd. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3506. ff. 3526. ff. *Wolf* comment. I. de altera P. captivitate p. 29. p. 38. *Heydenreich* in l. §. 72. nota 4. laud. T. I. p. 13. ff. mul-

iisque locis ipsius commentarii. *Böhl* in l. ibidem laud. p. 219. ff. Provocarunt quippe ad alias Pauli epistolas, quae ἅπαξ λεγόμενα (i. e. vel in ceteris *Pauli* scriptis, vel etiam *in toto codice* N. F. alibi nunquam obvia) haud pauca exhibeant, monueruntque, fieri utique potuisse, ut Apostolus, qui suam linguae graecae cognitionem suamque graece loquendi et scribendi dexteritatem, ex scholarum quidem cancellis haud oriundam, sed lectione et usu proprio comparatam, inter ipsa itinera multasque vitae vicissitudines magis magisque amplificaret et perficeret; seriori tempore eiusmodi vocibus formulisque dicendi adsuesceret, quas olim non usurpasset. Docuerunt etiam, voces, quas litterae tantum pastorales habeant, maximam partem ab usu Iudaeorum graece loquentium non fuisse alienas. Neque negamus, 1) *eiusmodi voces phrasesque in his epistolis occurrere, quae, quanquam in ceteris Pauli scriptis desiderentur, facile tamen offerre se potuerint Apostolo formas phrasesque maxime cognatas usurpanti* (de iis vocibus, *semicirculis* inclusis, quibus loca aliarum Pauli epistolarum brevitatis causa non apposuimus, cfr. *Schmidii* ταμιεῖον sub his voce.): ἀγαθοεργεῖν I. *Tim.* 6, 18. (sed ἀγαθοποιεῖν oratio habet Paulina *Act.* 14, 17.) ἀδηλότης I. *Tim.* 6, 17. (ἄδηλος et ἀδήλως Paulo usurpatur). ἀνανήφειν II. *Tim.* 2, 26. (νήφειν legitur I. *Thessall.* 5, 6. 8.) ἀνυπότακτος I. *Tim.* 1, 9. ad *Titum* 1, 6. 10. (ὑποτάσσεσθαι frequenter apud Paulum apparet.) ἀποθησαυρίζειν I. *Tim.* 6, 19. (cfr. θησαυρίζειν *Romm.* 2, 5. I. *Corr.* 16, 2. II. *Corr.* 12, 14.) ἀποπλανᾶν I. *Tim.* 6, 10. (πλανᾶν prorsus est Paulinum). ἄσπιλος I. *Tim.* 6, 14. (σπίλος Paulinum.) διώκτης I. *Tim.* 1, 13. (διώκειν Paulinum.) ἐγκρατὴς ad *Titum* 1, 8. (ἐγκράτεια et ἐγκρατεύεσθαι apud P. leguntur.) ἔκδηλος II. *Tim.* 3, 9. (δῆλος Paulinum.) ἔλεος *in salutandi formula*: χάρις, ἔλεος, εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ etc. I. *Tim.* 1, 2. II. *Tim.* 1, 2. ad *Titum* 1, 4. (ἔλεος Paulinum est, docentque loca *Gal.* 1, 3. *Colossi* 1, 2. iis salutandi formulis, quae in ceteris Pauli epp. obveniunt, comparata, Apostolum non ubique eandem precationis faustae rationem *verbotenus* usurpasse.) ἔντευξις I. *Tim.* 2, 1. 4. 5. (ἐντυγχάνειν *Romm.* 8, 27. 34. 11, 2.) ἐπιεικὴς I. *Tim.* 3, 3. (ἐπιείκεια Philipp. 1, 1.) εὐκαίρως ut ἀκαίρως II. *Tim.* 4, 2. (εὐκαιρεῖν I. *Corr.* 16, 11.) κήρυξ II. *Tim.* 2, 7. II. *Tim.* 1, 11. (κηρύσσειν apud P. saepenumero occurrit.) λοιδορία I. *Tim.* 5, 14. (λοιδορεῖσθαι I. *Corr.*

4, 12.) μάχεσθαι *II. Tim.* 2, 24. (μάχη II. *Corr.* 7, 5.) περίεργοι I. *Tim.* 5, 13. (περιεργάζεσθαι II. *Theſſ.* 3, 11.) πρεσβύτις ad *Titum* 2, 3. (πρεσβύτης, quod etiam ad Titum 2, 2. legitur, Paulus habet ad *Philem.* v. 9.) σεμνότης I. *Tim.* 2, 2. 3, 4. ad *Titum* 2, 7. (σεμνὸς *Philipp.* 4, 8.) στέφανοῦν II. *Tim.* 2, 5. (στέφανος Paulinum.) στρατιώτης II. *Tim.* 2, 3. (στρατεύεσθαι I. *Corr.* 9, 7. II. *Corr.* 10, 3) σωτὴρ *tanquam ipſius Dei praedicatum* I. *Tim.* 1, 1. 2, 3. 4. 10. ad *Titum* 1, 3. 2, 10. 3, 4. (σώζειν et σωτηρία ſaepenumero apud Paulum occurrit, ipſumque σωτὴρ *Philipp.* 3, 20. de *Chriſto* dicitur.) σώφρων I. *Tim.* 3, 2. ad *Titum* 1, 8. 2, 2. 5. itemque σωφρονίζειν ad *Titum* 2, 4. σωφρονισμὸς *II.* Tim. 1, 7. σωφρόνως ad Titum 2, 12. (σωφρονεῖν *Romm.* 12, 3. II. *Corr.* 5, 13. itemque σωφροσύνη, quod I. Tim. 2, 9. habet, in oratione Paulina *Actt.* 26, 25. legitur.) τέλος τῆς παραγγελίας *eſſe dicitur* ἀγάπη I. Tim. 1, 5. (Quanquam Paulus *Romm.* 13, 8—10. ἀγάπην potius τὸ πλήρωμα τοῦ νόμου appellavit, Subſtantivum tamen τέλος eodem ſenſu de *ſcopo* dicitur *Romm.* 10, 4. et religionis Chriſtianae praecepta παραγγελίαι dicuntur I. *Theſſall.* 4, 2.) ὑπερπλεονάζειν I. *Tim.* 1, 14. (πλεονάζειν Paulinum. Amatque Paulus huius generis compoſita: ὑπερεκτείνειν, ὑπερεντυγχάνειν, ὑπερέχειν etc.) φρεναπάτης ad *Titum* 1, 10. (φρεναπατᾶν *Gal.* 6, 3.) χρήσιμος II. *Tim.* 2, 14. (χρῆσις *Romm.* 1, 26. ſq.) Concedimus 2) *litteris paſtoralibus plura ineſſe vocabula, in ceteris Pauli ſcriptis nunquam obvia, quorum uſus in his potiſſimum epiſtolis ex ipſa argumenti tractati indole et ſingulari quadam ſententiae conformatione intelligi poſſit.* Obveniunt quippe a) quae *doctorum vanorum* placitis ſtudiisque perverſis, qualia tum temporis maxime prodiiſſent, accurate notandis et coarguendis inſerviiſſe exiſtimari poſſint: αἱρετικὸς ad *Titum* 3, 10. (αἵρεσις I. *Corr.* 11, 19. *Gal.* 5, 20.) ἀντιθέσεις ψευδωνύμου γνώσεως I. *Tim.* 6, 20. γόητες II. *Tim.* 3, 13. γενεαλογίαι I. *Tim.* 1, 4. ad *Titum* 3, 9. γυμνάζειν et γυμνασία I. *Tim.* 4, 7. 8. ζητήσεις I. *Tim.* 1, 4. 6, 4. II. *Tim.* 2, 23. ad *Titum* 3, 9. ἐνδύνειν εἰς τὰς οἰκίας II. *Tim.* 3, 6. κενοφωνίαι I. *Tim.* 6, 20. II. *Tim.* 2, 16. λογομαχίαι et λογομαχεῖν I. *Tim.* 6, 4. II. *Tim.* 2, 14. μῦθοι I. *Tim.* 1, 4. 4, 7. II. *Tim.* 4, 4. ad *Titum.* 1, 14. b) quae *ad inſtituta coetuum Chriſtianorum* pertineant, de quibus in his tantum litteris praecipitur paſtoralibus: ἀνὴρ μιᾶς γυναικὸς et

γυνὴ ἑνὸς ἀνδρὸς I. Tim. 3, 2. 12. 5, 9. ad Titum 1, 6. (ſi haec oppoſita exiſtimentur *nuptiis ſecundis*), ἐπίθεσις χειρῶν et ἐπιτιθέναι χεῖρας I. Tim. 4, 14. 5, 22. II. Tim. 1, 6. καταλέγεσθαι I. Tim. 5, 9. c) quae vel *alias eiusmodi res externas* indicent, *de quibus nunquam ſermo fuerit in ceteris Pauli epiſtolis*, vel *ex ſingulari quadam ſententiae conformatione* oriundae videantur: ἀπρόσιτος I. Tim. 6, 16. γαγγραινα II. Tim. 2, 17. γυναικάρια II. Tim. 3, 6. εἰσφέρειν et ἐκφέρειν I. Tim. 6, 7. ἔκγονα I. Tim. 5, 4. ἐπιστομίζειν ad Titum 1, 11. καταστολὴ I. Tim. 2, 9. κνήθεσθαι τὴν ἀκοὴν II. Tim. 4, 3. λέων II. Tim. 4, 17. μαμμη II. *Tim.* 1, 5. μαργαριται I. *Tim.* 2, 9. μεμβρανη II. *Tim.* 4, 13. νεωτερικος II. *Tim.* 2, 22. νίπτειν πόδας I. *Tim.* 5, 10. νομὴν ἔχειν II. *Tim.* 2, 17. νοσφίζεσθαι ad *Titum* 2, 10. πλέγματα I. *Tim.* 2, 9. ὑδροποτεῖν I. *Tim.* 5, 23. Φελόνης II. Tim. 4, 13. χαλκεὺς II. Tim. 4, 14. *Attamen alia permulta in ceteris Pauli ſcriptis nunquam uſurpata, de quibus, quod modo* (1. 2. a. b. c.) *diximus, praedicari nequeat, et multitudine ſua, et ſingulari, quam referunt, indole ſermonis bene graeci, omnino dubitare iubent interpretem de origine harum litterarum Paulina.* Eorumque nonnulla a) *in his tribus* obveniunt *epiſtolis paſtoralibus:* ἀρνεῖσθαι I. Tim. 5, 8. II. Tim. 2, 12. 13. 3, 5. ad *Titum* 1, 16. 2, 12. δεσπότης I. Tim. 6, 1. 2. II. Tim. 2, 21. ad *Titum* 2, 9. (*Paulus* uſurpat κύριος, eiusmodi quoque locis, ubi de officiis dominorum ſervorumque mutuis ſermo eſt, *Epheſſ.* 6, 5. 9. *Coloſſ.* 3, 22. 4, 1.) εὐσεβεία I. *Tim.* 2, 2. 3, 16. 4, 7. 8. 6, 3. 5. 6. 11. II. *Tim.* 3, 5. ad *Titum* 1, 1. πιστὸς ὁ λόγος I. *Tim.* 1, 15. 3, 1. 4, 9. II. *Tim.* 2, 11. ad *Titum* 3, 8. (Quanquam πιστος Paulinum eſt, illa tamen aſſeverandi formula, epiſtolis paſtorr. familiaris, apud Paulum deſideratur.) ὑγιαίνειν *tropice de doctrina et perſuaſione vera* I. *Tim.* 1, 10. 6, 3, II. *Tim.* 1, 13. 4, 3. ad *Titum* 1, 9. 13. 2, 1. 2. itemque λόγος ὑγιὴς ad *Titum* 2, 8, et νοσεῖν περὶ ζητήσεις I. Tim. 6, 4. (Nolim cum Bertholdtio coniicere Einl. Vol. VI. p. 3511. ſq. coll. p. 3461. auctorem has phraſes plane ſingulares, pariter atque vocab. ευσεβεια, propter doctores vanos ſcholae *Eſſenorum* addictos, pietatem ſuam et doctrinam animum hominis vere *ſanantem* praedicantes, adhibuiſſe. Parum probabiliter *Eſſaei* inter doctores vanos a Paulo inpugnatos fuiſſe exiſtimantur. Vd. §. 65.

nota 2.) b) *plura in duabus harum epistolarum:* αἰσχροκερδὴς I. *Tim.* 3, 8. ad *Titum* 1, 7. ἄμαχος I. *Tim.* 3, 3. ad *Titum* 3, 2. ἀνατρέπειν II. *Tim.* 2, 18. ad Titum 1, 11. ἀνόσιοι I. *Tim.* 1, 9. II. *Tim.* 3, 2. ἀποστρέφεσθαί τινα II. *Tim.* 1, 15. ad *Titum* 1, 14. ἀστοχεῖν I. Tim. 1, 6. 6, 21. II. *Tim.* 2, 18. βέβηλος I. *Tim.* 1, 9. 4, 7. 6, 20. II. *Tim.* 2, 16. βλάσφημος I. *Tim.* 1, 13. II. *Tim.* 3, 2. διαβεβαιοῦσθαι περί τινος, I. *Tim.* 1, 7. ad *Titum* 3, 8. διάγειν βίον I. *Tim.* 2, 2. ad *Titum* 3, 3. διδακτικὸς I. *Tim.* 3, 2. II. *Tim.* 2, 24. ἐκτρέπεσθαι I. *Tim.* 1, 6. 5, 15. 6, 20. II. *Tim.* 4, 4. εὐσεβῶς ζῆν II. *Tim.* 3, 12. ad *Titum* 2, 12. κατηγορία I. *Tim.* 5, 19. ad Titum 1, 6. νομίμως I. *Tim.* 1, 8. II. *Tim.* 2, 5. (*Paulus* hoc sensu adhibere solet καλῶς.) ὅσιος I. *Tim.* 2, 8. ad *Titum* 1, 8. παραθήκη I. *Tim.* 6, 20. II. *Tim.* 1, 12. 14. πάροινος I. *Tim.* 3, 3. ad *Titum* 1, 7. παρακολουθεῖν τῇ διδασκαλίᾳ I. *Tim.* 4, 6. II. *Tim.* 3, 10. περιΐστασθαί τι II. *Tim.* 2, 16. ad *Titum* 3, 9. πλήκτης I. *Tim.* 3, 3. ad *Titum* 1, 7. ποίκιλος II. *Tim.* 3, 6. ad *Titum* 3, 3. πρόγονοι I. *Tim.* 5, 4. II. *Tim.* 1, 3. τυφοῦσθαι I. *Tim.* 3, 6. 6, 4. II. *Tim.* 3, 4. ὑπομιμνήσκειν II. *Tim.* 2, 14. ad *Titum* 3, 1. ὑποτύπωσις I. *Tim.* 1, 16. II. *Tim.* 1, 13. c) *alia haud pauca in una tantum*: Epist. *I.* ad *Tim.* C. *I.* v. 3. (ut VI, 3.) ἑτεροδιδασκαλεῖν. ib. (ut V, 5.) προσμένειν (*Paulus* simplex μένειν usurpat, praesertim μένειν ἐν τινι, interdum παραμένειν I. *Corr.* 16, 6. *Philipp.* 1, 25.) — v. 4. ἀπέραντος — v. 6. ματαιολογία — v. 7. νομοδιδάσκαλος — v. 9. πατραλῴης, μητραλῴης, ἀνδροφόνος — v. 10. ἀνδραποδιστὴς — ἐπίορκος (quae quidem vocabb. ex v. 9. 10. allata ne iis quidem locis epistolarum Pauli obveniunt, quae species vitiorum scelerumque diversissimas similiter enumerant, *Romm.* 1, 29. ss. *Gal.* 5, 19. ss.) — v. 11. (ut VI, 15.) μακάριος *tanquam praedicatum Dei* — v. 15. ut IV, 9. ἀποδοχὴ (itemque ἀπόδεκτον C. II, v. 3. C. V, v. 4.) — v. 17. *Deus appellatur* βασιλεὺς τῶν αἰώνων (C. VI, v. 15. βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων etc.) Quanquam Paulus vocabulum habet βασιλεὺς, nunquam tamen alibi eiusmodi *circumlocutione Dei* usus est. — v. 18. (V, 24.) προάγειν. — v. 19. ναυαγεῖν sensu tropico. — *C. II.* v. 2. ἤρεμος et ἡσύχιος. — v. 6. ἀντίλυτρον. — v. 8. ἐπαίρειν χεῖρας (quanquam ἐπαίρεσθαι Paulinum est,

II. *Corr.* 10, 5. 11, 20. prorsus alio tamen sensu et nexu locis laudd. legitur.) — v. 9. (III, v. 2.) κόσμιος ib. αἰδώς, et πολυτελής. — v. 10. θεοσέβεια, et ἐπαγγέλλεσθαι hoc sensu: *publice profiteri* (ut VI, v. 21.) Apud Paulum ἐπαγγέλλεσθαι est: *promittere*, *Romm.* 4, 21. *Gal.* 3, 19. — v. 12. αὐθεντεῖν. — v. 15. τεκνογονία (ut V, v. 14. τεκνογονεῖν.) — *C. III*, v. 1. (VI, v. 10.) ὀρέγεσθαι. ib. ἔργον hoc sensu, ut vel *rem universe*, vel *munus* indicet (apud Paulum sensu morali usurpatur.) — v. 2. (V, v. 7. VI, v. 14.) ἀνεπίληπτος. — v. 3. ἀφιλάργυρος. — v. 5. ἐπιμέλεσθαι τινος. — v. 6. νεόφυτος. — v. 7. μαρτυρία καλή: *fama bona*. — v. 8. δίλογος. — v. 13. βαθμός. — v. 15. βραδύνειν. — v. 16. ἑδραίωμα. ib. ὁμολογουμένως. — C. *IV*. v. 1. ῥητῶς. ib. ἐν ὑστέροις καιροῖς, et διδασκαλία δαιμονίων. — v. 2. ψευδολόγοι. ib. καυτηριάζειν. — v. 3. μετάληψις. — v. 4. κτίσμα (Paulus κτίσις usurpat.) ib. ἀπόβλητον. — v. 6. ἐντρέφεσθαι. — v. 7. γραώδεις. — v. 12. (V, v. 2.) ἁγνεία. — v. 15. μελετᾶν. — *C. V*. v. 1. ἐπιπλήσσειν τινι. — v. 4. ἀμοιβή. — v. 5. μονοῦσθαι. — v. 6. σπαταλᾶν. — v. 10. τεκνοτροφεῖν et ξενοδοχεῖν. ib. ἐπαρκεῖν et ἐπακολουθεῖν (v. 24.) — v. 11. καταστρηνιάζειν. — v. 13. περιέρχεσθαι. — v. 14. οἰκοδεσποτεῖν. — v. 17. διπλοῦς. — v. 21. ἐκλεκτοὶ tanquam *praedicatum angelorum*. ib. πρόκριμα et πρόσκλισις. — v. 23. στόμαχος (Paulus κοιλία usurpat I. *Corr.* 6, 13. *Romm.* 16, 18. *Philipp.* 3, 19) ib. πυκνὸς — v. 24. 25. πρόδηλος. — *C. VI*. v. 2. εὐεργεσία. ib. ἀντιλαμβάνεσθαι. — v. 3. προσέρχεσθαι. — v. 4. ὑπόνοια. — v. 5. διαπαρατριβή. ib. et v. 6. πορισμός. — v. 8. διατροφή et σκέπασμα. — v. 9. βλαβερὸς et βυθίζειν. — v. 10. φιλαργυρία. ib. περιπείρειν. — v. 12. (ut v. 19.) ἐπιλαμβάνεσθαι τινος. — v. 14. 15. δείξει (ο δυναστης) ἐπιφάνειαν τοῦ κυρίου. (Quanquam ἐπιφάνεια II. *Thess*. 2, 8. de adventu futuro Domini legitur, illius tamen dicendi rationis δείξει Deus ἐπιφάνειάν κυρίου exempla desiderantur, verbumque δεικνύειν uno loco, quo Paulus habet I. *Corr*. 12, 31. non eandem tenet significationem *palam exhibendi* s. *efficiendi*.) — v. 15. δυνάστης *de Deo*. — v. 17. ἀπόλαυσις. — v. 18. εὐμετάδοτος et κοινωνικός. — v. 19. (secundum lectionem probatiorem) ἡ ὄντως ζωή.

Paulus uſurpat ἡ ζωὴ ſimpliciter, ſ. ζωὴ αἰώνιος. — *Epiſtola II.* ad *Tim. C. I.* v. 5. ὑπόμνησιν λαμβάνειν τινος. — v. 6. ἀναζωπυρεῖν. — v. 7. δειλία. — v. 8. συγκακοπαθεῖν (ut κακοπαθεῖν C. II. v. 3. 9. IV, 5.) — *C. II.* v. 4. πραγματεία, et ἐμπλέκεσθαι τινι. ib. στρατολογεῖν. — v. 5. ἀθλεῖν. (Quanquam Paulus haud raro *certamen* pro veritate et virtute Chriſtiana ſtrenue ſubeundum praedicavit, v. c. I. *Corr.* 9, 24. ſſ. *Philipp.* 1, 30. *Epheſſ.* 6, 13. ſſ. nunquam tamen hac voce uſus eſt.) — v. 6. γεωργὸς, et μεταλαμβάνειν. — v. 9. κακοῦργος. — v. 10. τυγχάνειν σωτηρίας. (Apud Paulum τυγχανειν alio ſenſu intranſitivo legitur, I. *Corr.* 14, 10. 15, 37.) v. 14. καταστροφή. — v. 15. ἀνεπαίσχυντος et ὀρθοτομεῖν. — v. 19. στερεός. — v. 23. ἀπαίδευτος. — v. 24. ἀνεξίκακος. — v. 25. ἀντιδιατίθεσθαι. — v. 26. ζωγρεῖν. — *C. III,* v. 1: ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐνστήσονται καιροὶ χαλεποί. — v. 2. φίλαυτοι, φιλάργυροι, ἀχάριστοι. — v. 3. ἀκρατεῖς, ἀνήμεροι, ἀφιλάγαθοι. — v. 4. προδόται, προπετεῖς, φιλήδονοι, φιλόθεοι — v. 5. ἀποτρέπεσθαι. — v. 9. ἄνοια. — v. 10. ἀγωγή. — v. 14. πιστοῦσθαι. — v. 15. βρέφος (Paulus habet παιδίον et νήπιος.) ib. τὰ ἱερὰ γράμματα. (De codice V. T. uſurpat Paulus γραφαὶ, ſ. γραφαὶ ἁγίαι. Locis quidem *Romm.* 2, 27. 29. 7, 6. *II. Corr.* 3, 6. 7. vocab. γραμμα ita ponitur, ut notioni *litterae ſcriptae* legis Moſaicae, *oppoſitae* vel φυσει, vel πνευματι, *emphatice* declarandae inſerviat. At de eiusmodi emphaſi h. l. non cogitandum. Vocab. ἱερὰ *ſemel* apud P. legitur, *ſubſtantivi* forma indutum, *I. Corr.* 9, 13) ib. σοφίζειν. — v. 16. θεόπνευστος, itemque ἔλεγχος et ἐπανόρθωσις. — v. 17. ἄρτιος et ἐξαρτίζειν. — *C. IV.* v. 2. ἐφίστασθαι: *inſtare* (alio ſenſu Paulus I. *Theſſ.* 5, 3. hoc verbo uſus eſt.) *ib.* ἐπιτιμᾶν. — v. 3. ἐπισωρεύειν. — v. 8. τοῖς ἠγαπηκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ (*compoſitio* plane ſingularis, quanquam Paulus et ἀγαπᾶν habet, et ἐπιφάνεια Chriſti.) — v. 16. συμπαραγίνεσθαι. — v. 18. σώσει εἰς τὴν βασίλειαν etc. (σώζειν Paulinum, non item σώζειν εἰς τι). — *Epiſtola ad Titum C. I.* v. 2. ἀψευδής. — v. 5. ἐπιδιορθοῦν. *Ib.* (ut III, 13.) λείπειν. — v. 7. αὐθάδης et ὀργίλος. — v. 8. φιλάγαθος. — v. 10. ματαιολόγος. — v. 15. μιαίνειν. — v. 16. βδελυκτοί. — *C. II.* v. 3. κατα-

στήματι, ἱεροπρεπής, καλοδιδάσκαλος. — v. 4. φιλάνδρους, φιλοτέκνους. — v. 7. ἀδιαφθορία. — v. 8. ἀκατάγνωστος, et ὁ ἐξ ἐναντίας. — v. 11. ἐπεφάνη ἡ χάρις etc. — v. 12. κοσμικός. — v. 13. μακαρίαν ἐλπίδα (quanquam μακάριος Paulinum, nunquam tamen ἐλπὶς illa dicitur μακαρία.) — v. 14. λυτροῦσθαι et λαὸς περιούσιος. — v. 15. περιφρονεῖν. — C. III. v. 3. στυγητός. — v. 4. φιλανθρωπία. — v. 5. παλιγγενεσία. — v. 6. οὗ (πνεύματος) ἐξέχεεν. (De πνεύματι nunquam Paulus verbum ἐκχύνειν s. ἐκχέειν adhibet.) — v. 8. (ut v. 14.) προΐστασθαι καλῶν ἔργων (προΐστημι quidem Paulus habet, non item προΐστ. καλῶν ἐ.) Ib. φροντίζειν. — v. 9. adiectivum νομικὸς (ut v. 13. Subſtant. νομικός.) — v. 11. ἐκστρέφεσθαι, et αὐτοκατάκριτος. — In his vocibus ac formulis, quibus epiſtolae paſtorales a ceteris differunt Paulinis, haud paucae obveniunt, quae vel praeter has epiſtolas in libris N. F. non occurrant niſi apud *Lucam*, vel huic ſcriptori praecipue uſurpentur, v. c. νομοδιδάσκαλος, ἐπιμέλεσθαι τινος, περιέρχεσθαι, πυκνὸς, βυθίζειν, ἐπιλαμβάνεσθαι, τυγχάνειν τινος, ἄνοια, συμπαραγίνεσθαι, λείπειν, λυτροῦσθαι, φιλανθρωπία, ἐκχέειν et ἐκχύνειν de πνεύματι, νομικος, et alia.

§. 78.

Quae quidem elocutionis indoles ſingularis ita ſe habet, ut, quo iure dubitemus epiſtolas paſtorales Paulo auctori (eodem ſenſu, quo ceteras) vindicare, eodem has litteras ex unius eiusdemque ſcriptoris [1]) calamo profectas eſſe ſtatuamus. Verum enimvero, quo minus vel amicum quendam ac diſcipulum Pauli, vel ſeriorem ſcriptorem Saec. II. his epiſtolis fingendis, perſona Pauli ſimulanda, ipſiusque nomine iis inſcribendo [2]) fraudem (quam dicunt piam) commiſiſſe dicamus, argumenta [3]) graviſſima inpediunt. Coniecturam interponere liceat, quae difficultatibus ab utraque parte prementibus ſolvendis ſatisfacere videatur. Vir quidam apoſtolicus, unus ex ſodalibus Pauli (forſitan Lucas) [4]), ipſius Apoſtoli (tum temporis,

quo minus totam epistolam vel manu sua exararet, vel dictaret verbotenus, causa incognita prohibiti) nomine et auctoritate has litteras exaravit ad Timotheum et Titum, quum Paulus vel coram cum hoc sodali egisset de iis, quae Timotheo ac Tito ipsius nomine essent scribenda, vel etiam hac de re chartae quaedam mandasset, interprete illo amplius pertractanda et elaboranda. Addidit forsan Apostolus et salutationes, quae ab initio leguntur, et nonnulla sub finem epistolarum [5]).

1) De iis locis, quibus coniectura V. *Schleiermacheri* de epistola I. *Tim.* ex imitatione quadam et compilatione epistolarum II. ad Tim. et Titum oriunda superstructa est, aliter sentimus. a) De effatis I. Tim. 1, 20. *II. Tim.* 2, 17. 4, 14. §. 74. nota 7. dictum est. b) Quae auctor I. *Tim.* 2, 7. II. *Tim.* 1, 11. de provincia apostolica sibi iniuncta verbis simillimis profitetur, utroque loco verbis *antecedentibus* eadem cogitationum serie cohaerent. Nec mirum videri potest, quod auctor illam muneris sui cogitationem (priori quidem loco uno tantum versu 7. breviter enuntiatam) altero loco v. 12. amplius persecutus fuerit, quum Paulus eo tempore, quo epist. II. scriberetur, illius muneris causa vincula ferret Romana. c) quae I. *Tim.* 4, 1. ff. exhibetur descriptio efficaciae perniciosae doctorum vanorum in posterum amplius progressurae, in ep. II. 3, 1. ff. 4, 3. ff. haud dubie propter summam rei gravitatem repetita, utroque loco *verbis formulisque diversis* enuntiatur, ita ut nulla appareant compilationis vestigia. d) Nemo facile in eo recte offendat, quod auctor *Timotheum* (ep. *I.* 4, 12.) pariter atque *Titum, iisdem negotiis gravissimis praefectum* (ep. c. 2, v. 7.) iisdem fere verbis cohortatus fuerit, ut ceteris Christianis exemplo inserviret fidei ac virtutis Christianae. e) Praecepta de episcopis recte eligendis I. *Tim.* 3, 1—7. ad *Titum* 1, 6—9. quum unum idemque argumentum accuratius definitum tractarent, sponte secum ferebant, ut plura vocabula, quae epistola prius scripta usurpasset, in altera repeterentur (haud ita magno temporis intervallo illius huiusque epistolae consignationem intercedente, vd. §. 73. nota 7. §. 75. nota 9.) f) loca denique parallela I. *Tim.*

2, 9—15. 5, 14. et ep. ad *Titum* 2, 3. 4. 5. itemque I. *Tim.* 6, 1. 2. ad *Titum* 2, 9. 10. quamvis eadem exhibeant praecepta, minime tamen eadem prorsus ratione enuntiata esse facile patet. De his aliisque cfr. *Böhl* in l. §. 72. nota 4. laud. p. 219. ss.

2) Vd. *I. Tim.* 1, 1. *II. Tim.* 1, 1. ad *Titum* 1, 1. Praeterea *Paulum Apostolum, Timothei ac Titi doctorem et amicum* diserte innuunt: I. *Tim.* 1, 3. 12—16. 20. 2, 7. 6, 12. 13. II. *Tim.* 1, 3. 4. 5. 8. 11. 15. ss. 2, 2. 9. 3, 11. 14. 4, 6—22. ad *Titum* 1, 5. 3, 12. ss.

3) a) Doceri non potest, *quo consilio* quisquam de eiusmodi fraude pia committenda potuerit cogitare. Neque enim, ut *illa*, de quibus in I. ad *Tim.* ep. potissimum sermo est, instituta ecclesiastica (seriori quidem tempore amplificata magisque ad hierarchiam composita), per ipsos Apostolos eorumque discipulos coetibus singulis commendata (v. c. *Actt.* c. 6.), auctoritate Paulina sancirentur, illo tempore opus fuit litteris fictis Paulo supponendis; neque erat, quod eiusmodi demum litteris doceretur, Paulum doctores varios (his epistolis notatos) magnopere inprobasse, quum epistolae vere Paulinae tales veritatis adversarios eadem gravitate inpugnassent. [Si Pseudo-Paulus, quisquis tandem fuerit, eiusmodi litteras fictas haereticis opponere voluisset, uberius opinor, placita singula notavisset, nec posuisset, quod hae epistolae ponunt, rem satis cognitam esse Timotheo ac Tito.] b) Effata I. *Tim.* 1, 3. 12. ss. 18. 20. 2, 7. 12. 5, 23. 6, 12. sq. II. *Tim.* 1, 3—8. 3, 14. sq. 4, 6—21. ad *Titum* 1, 5. 3, 12. ss. quaeri omnino iubent, unde scriptori serioris aevi *tot singula*, quae ad personam Pauli, Timothei, ac Titi, eorumque familiaritatem interiorem vitaeque rationes externas pertinerent, tam accurate innotuerint, ut talia, absque omni metu erroris historici, epistolis fictis inserere posset? Quaeritur item (I. *Tim.* 1, 12. ss. 4, 10. II. *Tim.* 1, 3. ss. 2, 9. ss. 3, 11. 4, 6. ss. 17. sq.) quomodo eiusmodi scriptor sensus adfectusque plane Paulinos tanta fide referre potuerit. Sin epistolas *fictas amico cuidam Apostoli interioris admissionis* tribui malueris, parum probabiliter familiaris Pauli fecisse existimatur, quod Paulus ipse nunquam fuisset probaturus (II. *Thessal.* 2, 2. 3, 17.). c) Haud pauca obveniunt, quae doceant, *Timotheum*, etsi Apostolo magnopere diligeretur, *cohortationibus tamen indiguisse* (§. 73. nota 7. b. §. 74. nota 8.) Serioris aevi scriptor vi-

rum apostolicum, more saeculorum sequentium, cuiusvis, vel levissimae, maculae expertem delineaturus fuisset. d) Unde factum est, ut Pseudo-Paulus, elocutionem Paulinam imitandi facultate haud destitutus (§. 77. nota 1. 2.) permulta tamen insereret ab usu loquendi ceterarum Pauli litterarum aliena (§. 77. nota 3.)? — Cfr. *Curtius* de tempore, quo prior Pauli ad Tim. ep. exarata sit, Berol. 1828. p. 4. sqq. *Guericke* Beyträge etc p. 138. *Heydenreich* comment. laud. T. I. p. 18. sq. *Paulus:* Heidelberger Jahrbücher der Litter. 18. Jahrg. 5. H. 1825.

4) Vd. §. 77. nota 3. ex.

5) Quodsi concesseris hanc fuisse epistolarum pastoralium originem, facilius explicatur, unde factum sit, ut in epistola priori ad Tim. data (quam plures, argumentis usi gravitate haud destitutis, intra priorem et posteriorem captivitatem Romanam scriptam existimant) neque captivitatis prioris, nec liberationis mentio fieret (§. 73. nota 7. ex.) Non omisisset Apostolus in litteris verbotenus ab eo dictatis consignatisve. Facilius omittere poterat, qui nomine Pauli, quum sententias tantum primarias vel ex ore Apostoli, vel chartae breviter mandatas, amplius elaborandas accepisset, epistolam I. ad Tim. exaravit.

Interpretationi epistolarum pastoralium praeter multos eorum, qui ad finem §. 49. notae 21. commemorati sunt, hi inserviunt: M. *Lutheri* scholia et sermones in I. Io. ep. atque annotationes in epp. Paulinas ad Tim. et Titum ex codd. mss. edidit I. *Bruns*, Lubecae, 1797. 8. *Benson* paraphrast. Erklärung u. s. w. (§. 73. nota 4.) *Mosheim* Erklärung u. s. w. (§. 73. nota 3.) *Rambach* Erklärung der Ep. Pauli an die Galater und an den Titus, Giessen, 1739. 4. *Zachariae* paraphrastische Erklärung u. s. w. (§. 73. nota 4.) *Von Einem* Erklärung des Briefs an den Titus, Stendal, 1779. *Fleischmann* interpretatio epistolarum P. ad Tim. et Titum Vol. I. (I. ad Tim.) Tubingae, 1791. Paulus Briefe an den Tim. übersetzt und erläutert (von *Hesse*), Göttingen, 1796. *Kuinoel* explicatio epistolae P. ad Titum, inserta commentationibus theoll. ed. a Velthusen, Ruperti, Kuinoel, Vol. I. *Heinrichs* comment. (§. 73. nota 4) *Wegscheider* der erste Brief an den Timotheus u. s. w. (§. 72. nota 4.) *Heydenreich* die Pastoralbriefe Pauli u. s. w. (§. 72. nota 4.)

Ex his potissimum *Bensonii*, *Moshemii*, *Kuinoelii*, *Heinrichsii*, *Wegscheideri*, *Heydenreichii* scripta commendanda. Praeterea de locis singulis cfr. *Storr* diss. in epistolarum Pauli minorum loca quaedam in opuscc. acadd. Vol. III. et, qui iam laudati sunt: *Schleyermacher*, *Planck*, *Paulus*, *Van Es*, *Beckhaus*, *Böhl*, *Guericke*, *Curtius* §. 72. nota 3. 4. §. 73. nota 4. 6. §. 74. nota 2.

ISAGOGES SPECIALIS
PARTIS SECUNDAE CAPUT SECUNDUM.
DE EPISTOLA AD HEBRAEOS.

§. 79.

Epistola Hebraeis inscripta, quae recte epistola dicitur, etsi in multis vel homiliae similis videatur, vel commentationi [1]), in eo versatur, ut eiusmodi lectores Iudaeo-Christianos, qui in discrimine versarentur, praesertim ubi persequutiones ingruerent, relicta evangelii professione, ad Mosaismum eiusque sacrificiorum splendorem in oeconomia Christiana desideratum redeundi, graviter inpellat ad fidem veram religioni Christianae constanter et intrepide servandam. Proinde, quam eximia sit praestantia oeconomiae et religionis Christianae, praesidia quippe certissima gratiae divinae veraeque salutis comparandae suppeditantis, qualia nunquam potuerint per legem Mosaicam inpetrari, et, quam perspicue ipsius antiqui foederis scriptis et institutis oeconomia perfectior per Christum instituenda in perpetuum valitura, cui

Mosaismus cedere debeat, symbolice [2]) fuerit Deo volente adumbrata, uberius exponitur, accommodate ad ingenia indolemque horum lectorum. Cuius argumenti natura secum ferebat, ut Iesu Christi, filii Dei, angelis (qui olim partes quasdam gessissent in promulganda lege Mosaica), Mose antiqui foederis interprete, omnibusque hominum sacerdotibus superioris, dignitas summa accuratius comparando ostenderetur. Diligentia vero singulari negotium duplex Servatoris, quo et olim in his terris generi humano cum Deo reconciliando consuluerit, et porro in coelis veram hominum salutem potentissime adiuvet, ita describitur, ut doceatur, Iesum Christum sacerdotem esse summum perfectissimum, aeternum, coelestem [3]). Prioribus quidem decem capitibus ad versum usque 18. capitis X. dogmatica praecipue tractantur, deinde praecepta, quanquam et illis dogmaticis haud raro inseritur [4]) cohortatio, et altera parte (praesertim C. XI.) plura continentur, quae docendo maxime inserviant [5]).

1) Quam nos epistolam dicimus, homiliam fuisse coram coetu quodam Iudaeo-Christianorum peroratam, quam posthac, aliis coetibus mittendam, aliena manus appendice epistolica c. 13, v. 22. ff. locupletaverit, coniecit *Berger:* Göttingische theol. Bibliothek, 3. Th. 3. St. Cfr. *Weber* progr. de numero epistolarum Pauli ad Corinthios recte constituendo, Viteb. 1798. 4. Attamen, praeter illam sectionem (13, 22. ff.), totius omnino capitis 13. indoles est epistolica. Cfr. c. 5, v. 11. 12. c. 6, v. 9. 10. c. 10, v. 32. ff.

2) De locis epistolae eiusmodi interpretationem rerum quarundam et personarum V. T. typicam (v. c. Melchisedeci c. 7. templi Hierosolymitani c. 9. etc.) continentibus dissentiunt, utrum haec accommodationi an persuasioni ipsius scriptoris rectius tribuantur. *Universe* quidem verissime dicitur oeconomia Christiana per instituta et scripta V. T. adumbrata esse atque praeparata.

3) Quaecunque apud Iudaeos per sacerdotem summum fieri solebant, et *victimam piacularem* quotannis, in sanctuario templi sanctissimo, pro peccatis totius populi Deo offerentem, et *precibus* pro populo apud Deum intercedentem, transferuntur apud nostrum ad beneficia animi praestantissima eademque *aeterna, toti hominum generi* per Iesum Christum suppeditata, et mortuum olim pro hominibus, et porro apud Deum veluti precibus pro iis intercedentem. Cfr. *Tittmann* de notione sacerdotis in epistola ad Hebraeos, in opusculis eius theoll. Lips. 1803. *Griesbach* de imaginibus Iudaicis, quibus auctor epistolae ad Hebraeos usus est in describenda Messiae provincia, in opusculis eius acadd. ed. *Gabler* Vol. II, Ienae, 1825. *De Wette* über die symbolisch-typische Lehrart des Briefs an die Hebraeer, in der theolog. Zeitschrift von *Schleiermacher*, *de Wette* und *Lücke*, 3. Heft, Berlin, 1822. *Seyffahrt* de indole epistolae ad Hebraeos, Lips. 1821. *Winzer* tres commentatt. de sacerdotis officio, quod Christo tribuitur in ep. ad Hebrr. Lips. 1825. 26. 4.

4) C. II, v. 1—4. C. III, v. 1. sq. 7. ss. C. IV, v. 1. 11—13. ss. C. V, v. 11—C. VI, v. 20.

5) Oeconomia totius epistolae: *C. I.* Filius Dei, quo interprete idem Deus, qui olim per prophetas variis modis ad patres locutus fuerat, his novissimis temporibus ad nos locutus est, cuius ope mundum creavit, quem in aeternum participem fieri voluit inperii sui, multo praestantior est angelis, ministris Dei et Christi. Laudantur testimonia V. T. *C. II.* Quaecunque igitur hic Dei filius nuntiavit, diligentissime attendenda sunt. Qui neglexerit, poenam incurrit certissimam, quum nec ii poenam effugerint, qui legem per angelos promulgatam (Mosaicam) migraverint, v. 1—4. Noluit Deus hanc novam religionis oeconomiam pariter atque illam angelis subiici (testantibus locis V. T.) immo filium constituit Dominum, quanquam eum per breve tempus (in his terris) inferiorem angelis apparere, immo aerumnas mortemque perpeti voluit, quo ipse gravitatem malorum, quibus homines premerentur, pectore intimo sentiret, aptusque fieret hominibus morte sua liberandis a miseria peccatorum. v. 5—18. *C. III.* Sedulo igitur spectate illum Dei legatum, qui creatori suo fidem praestitit instar Mosis. v. 1. 2. Moses quippe fidum sese gessit *ministrum*

Dei in curanda eius familia; Chriſtus, tanquam *filius*, familiae praefectus, v. 3—6. Nolite voci divinae obſequium denegare. Tractatur locus Pſ. 95. v.7—14. Quae loco laud. leguntur de ſedibus Dei quietis (felicitate divina) etiamnum exſpectanda ſunt populo Dei. Cavete, ne contumacia veſtra, inſtar maiorum, excidatis ſpe propoſita. v. 15—19. *C. IV*, v. 1—13. Teneamus igitur profeſſionem noſtram, animumque fiduciae plenum ad gratiam divinam convertamus, Ieſu Chriſto confiſi, quem ſacerdotem habemus ſummum, ipſos coelos ingreſſum, v. 14—16. *C. V*. Quemadmodum inter homines nemo ſibi dignitatem ſacerdotii ſponte vindicat, ſed, qui divinitus eſt conſtitutus, ita Chriſtus mandato divino in libris V. T. adumbrato dignitatem accepit ſacerdotii aeterni, ad rationem Melchiſedeci, v. 1—10. Qua de re ſermo nobis habendus eſt prolixior, ſed explicatu difficilis. Sunt enim multi veſtrum ad audiendum tardiores, inſtitutione tenuiori, quae prima repetat elementa, iterum indigentes, v. 11—14. *C. VI*. Agedum, ad altiora tendite. Cavete, ne quisquam a veritate divina pridem cognita deficiat, damno quidem irreparabili. Imitemini eos, qui per fiduciam et patientiam promiſſorum divinorum participes facti ſint (praeſertim Abraamum). Teneatis ſpem propoſitam felicitatis, in coelis paratae per Chriſtum ſacerdotem aeternum. v. 1—20. *C. VII*. Melchiſedecus, rex Salemi, ſacerdos fuit Dei Celſiſſimi (praeeunte V. T.) ita ut decimas ab ipſo Abraamo (eiusque poſteritate, Levitis) acciperet, vivitque in perpetuum, v. 1—10. Quum Chriſtus ad rationem huius Melchiſedeci ſacerdos fuerit conſtitutus, neque electus ad rationem Aaronis (ex mandato legis Leviticae), patet inde, ſacerdotium Leviticum non habuiſſe vim expiationem Dei hominumque perficiendi, immo tempus adeſſe, quo legislatio illa et oeconomia antiquior, inbecillis et inperfecta, ſpei cedat praeſtantiori per Chriſtum propoſitae, v. 11—19. Quam novi foederis praeſtantiam inſuper teſtatur, quod Chriſtus, huius foederis ſponſor, iureiurando divino interpoſito (Pſ. 110.) ſacerdos conſtitutus eſt, v. 20. 21. 22. Et hic quidem ſacerdos manet in aeternum, ſacerdotio terreſtri ab uno ad alterum tranſeunte, v. 23. 24. 25. Neque ſacerdotis humani inſtar victima indigebat pro *ſuis* ipſius peccatis offerenda, ſanctus quippe et intemeratus, v. 26. 27. 28. *C. VIII*. Sacerdotio Chriſtus fungitur in ſanctuario coeleſti, cuius imaginem et adumbrationem

sanctuarium terrestre exstare Deus voluit, v. 1—5. Ipsumque foedus, cuius mediator ille exstitit, promissis melioribus sancitum est; antiquius illud non omni vituperio caruit, testante V. T. v. 6—13. — *C. IX.* Oeconomia ipsa sanctuarii terrestris (templi Hierosol.) typice declaratur, nondum patere viam ad sanctuarium sanctissimum coeleste (ad cultum Dei perfectissimum), quamdiu in illo terrestri dona et munera offerantur, quae nequeant hominem sacris operantem prorsus talem reddere, qualis esse debeat, Deo probatum, v. 1—11. Quaecunque victimae in sanctuario terrestri per sacerdotem summum offeruntur, quum solam carnis munditiem (quae ad cultum externum spectet) efficiant, quotannis repetendae sunt. Christus *semel* offerendo ipsius sanguine peccatorum veniam nobis paravit aeternum valituram, v. 12. 13. 14. Qui *foederis* novi (διαθήκης) mediator exstitit, Christus, veluti *testamento* (διαθήκη) cultoribus suis hereditatem destinavit, in cuius possessionem integram morte demum testatoris venirent, v. 15. 16. 17. Et, quemadmodum antiquius illud foedus (s. testamentum) non sine sanguine animalium initiatum est, ita haec nova sacra *coelestia* victima praestantiori consecrari oportebat, ipso Christo victimam sese offerente, aeternum valituram, v. 18—28. *C. X.* Oeconomia Mosaica, quum sacrificia praecepta quotannis offerri debeant, non potest homines reddere tales, quales esse oporteat. Testatur hoc insuper locus *Psalmi* 40. Itemque ex *Ieremiae* c. 31. patet, Deum voluisse, ut foedere novo sacrificia pristina tollerentur, v. 1—18. Proinde, quum eiusmodi sacerdotem summum, perfectum atque aeternum, habeamus, agedum, Deum adeamus animo fiduciae plenissimo, nostramque spei praestantissimae professionem immotam teneamus, recte factis operam indefessam navantes, probe memores, iis, qui ultro peccaverint, quum veritatis cognitionem accepissent, aliud pro peccatis sacrificium superesse nullum, sed poenam instare gravissimam, v. 19—32. Recordemini temporum priorum, quibus ingens certamen adflictionum pro evangelio constanter sustinuistis. Nolite confidentiam vestram abiicere, quae remunerationem certam habebit, adventu Domini prope instante, v. 32—39. *C. XI.* Fide Deo habenda permulti maiorum nostrorum laudem consequuti sunt, et optima quaeque praestiterunt, quanquam bona promissa (per Christum inpetranda) contingere iis nondum poterant.

Docetur hoc longa exemplorum serie v. 1—40. *C. XII.* Imitemini illos, animo ad Christum converso. Obsequium Deo praestate, inter ipsas vexationes, quae animos vestros explorent, emendent, stabiliant, amorem suum paternum declaranti, v. 1—11. Mentes vestras erigite et confirmate. Studiosi estote concordiae et sanctimoniae. Homines vos gerite foederis novi participes factos, regni divini cives, v. 12—29. *C. XIII.* Proponuntur diversissimi generis praecepta, adnexa interdum iis, quae priori epistolae parte uberius tractata fuerant, v. 1—19. Sequuntur precationes faustae et salutationes, v. 20—26.

§. 80.

Hominibus Iudaeo-Christianis scriptam esse epistolam praeter inscriptionem [1]) vulgarem argumentum ipsum docet et indoles universa. Quo minus vero epistolam putemus encyclicam [2]), Iudaeo-Christianis omnibus missam, regionum diversissimarum, quae Cap. XIII. v. 23. 24. leguntur, omnino impediunt. Immo argumenta interna eademque gravissima [3]) testantur, coetum quendam pluresve coetus Palaestinenses fuisse, quorum desideriis auctor satisfaceret docendo et cohortando. Aliorum coniecturae, ingeniose quidem defensae, difficultatibus premuntur haud exiguis [4]).

1) Quanquam auctorem inscriptionis: ἡ πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολὴ ignoramus, certum tamen habemus, admodum esse antiquam. Vd. *Clemens Alex.* apud *Euseb.* h. e. l. 6. c. 14. Nomen Ἑβραῖοι a) sensu *latiori* omnes, ab Abraamo (propter migrationem suam עִבְרִי olim appellato, *Genes.* 14. 13.) stirpem ducentes, Iacobitas quidem complectitur (*Genes.* 39, 14. II. *Corr.* 11, 22. *Philipp.* 3, 5. *Euseb.* h. e. l. 3. c. 4.) b) sensu *angustiori* Abraami posteros *Palaestinenses* s. Iudaeo-Christianos *Palaest.* qui Hellenistis opponuntur, cfr. intt. ad *Actt.* 6, 1. 9, 29. *Iren.* adv. haerr. 3, 1. *Euseb.* h. e. 3, 24.

2) Defendunt hoc Io. *Braun*: commentarius in ep. ad Hebraeos, Amstelod. 1705. 4. p. 29. *Baumgarten* Erklärung

des Briefs P. an die Hebräer mit *Maschens* Anmerkk. und *Semmler's* Beyträgen, Halle, 1763. 4. Einl. p. 14. *Heinrichs:* N. T. graece perpetua adnot. illustr. ed. Kopp. Vol. VIII. contin. Heinrichs, Gotting. 1792. 8. prolegg. p. 12. ff.

3) Verissime hanc sententiam tuentur *Clemens Alexandr.* apud *Euseb.* h. e. l. 6. c. 14. *Theodoretus* prooem. comment. in ep. ad Hebrr. T. III. ed. Noesselt, p. 543. *Chrysost.* prooëm. ep. ad Hebrr. *Theophylactus* in argumento huius ep. *Michaelis* Erklärung des Briefs an die Hebr. Franckfurt und Leipzig, 1780. 4. (Einl.) *Idem:* Einleit. in die göttlichen Schriften des N. B. Vol. II. p. 1343. ff. ed. IV. *Hug* Einl. Vol. II. p. 415. ff. ed. II. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 2877. ff. F. *Bleek* Versuch einer vollständigen Einleit. in den Brief an die Hebr. Berlin, 1828. p. 28. ff. a) Quum auctor nihil omnino dixerit, quod ad homines Ethnico-Christianos, *lites*que notissimas utriusque Christianorum partis respiceret, in promtu est, epistolam eiusmodi coetibus scriptam esse, qui ex *solis Iudaeo-Christianis* constarent, quales, historia praeeunte, in *Palaestina* tantum versarentur. b) Quae de vexationibus dicuntur, quas *olim* Christiani, quibus haec epistola mittitur, perpessi fuerint (10, 32. ff.) Christianos *Palaestinenses* innuunt. Cfr. *Actt.* c. 8. in. c. 12. in. Extra Palaestinam cultores Christi, primis quidem temporibus, talia non experti sunt. c) Totius epistolae argumentum et oeconomia docet, scriptorem maxime eiusmodi Christianis meliora docendis inservire voluisse, qui pompam sacrificiorum Leviticorum dignitatemque sacerdotii in religione Christiana desiderarent (cfr. argumenti descriptio §. 79. nota 5.), et usu diuturno cognovissent, quaecunque ad cultum Leviticum, ad structuram templi, ad ipsam urbem Hieros. pertinerent (8, 4. ff. 13, 12. ff.) — Qui sententiam nobis probatam reiiciunt a) monuerunt quidem, locum c. 12. v. 4. parum convenire Christianis Palaestinensibus, persecutionem cruentam *pridem* expertis (*Actt.* c. 7. c. 12. in.) posthac *iterum* vexatis (*Iosephus* antiqq. Iudd. l. 20. c. 9. §. 1.) Verum, quae locis laudd. enarratur, vexatio *cruenta*, eorum tantum Christianorum, qui *Hierosolymis* versabantur, plures adflixit. Alii coetus Palaestinenses, extra Hieros. versantes, quos auctor ep. l. l. prae ceteris ante oculos habuisse videtur, quanquam et ipsi variis modis perturbati, nondum tamen *ad sanguinem usque* decertaverant. b) Obiiciunt, lectores huius

epistolae c. 2. v. 3. tanquam Christianos describi, quibus doctrina evangelii per discipulos tantum Servatoris (τοὺς ἀκούσαντας) *neque per ipsum Christum* innotescere potuerit. Sed nihil inpedit, quo minus illud ἡμᾶς *universe* tantum *Christianos illorum temporum* innuere arbitremur (h. s. doctrina Christiana, primum ab ipso Domino nuntiata, per eos, qui illum audiverant, ad nostra tempora transiit). Nec inprobabile dixerim, quo tempore haec epistola scriberetur, in regionibus Palaestinae *remotioribus* coetus fuisse Christianorum, qui vel omnes vel maximam partem Servatorem de facie non cognovissent. c) Lectores Palaestinenses recte intelligi propterea negant, quod locum c. 13. v. 24. ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἀπὸ Ἰταλίας de Aquila et Priscilla (quos Palaestinam adiisse in libris N. F. nusquam legimus) interpretari solent. At neque certa est haec verborum interpretatio, neque salutatio quaevis ponit, eum, cuius nomine aliquis salutetur, alteri de facie innotuisse. d) Obstare dicunt, quod auctor lectores propter liberalitatem aliis Christianis praestitam laudaverit, c. 6, v. 10. eosque, ut hanc virtutem porro exercerent, cohortatus fuerit, c. 13. v. 1. 16. (quamvis inter persequutiones bonorum iacturam fecissent, c. 10, v. 34.) Verum, etsi Iudaeo-Christiani, qui in ipsa urbe Hierosoll. et regione vicina versabantur, in fortunarum conditione admodum tenui constituti fuerint, ceteri tamen, in aliis Palaestinae regionibus viventes, illam bonorum rapinam minus experti esse videntur. Ceterum liberalem recte praedicaveris, qui *pro viribus* aliorum inopiae succurrat. e) Ad usum sermonis graeci, quem auctor fecerit, provocant. Sed vd. quae de cognitione linguae graecae Iudaeis Palaestinensibus haud deneganda §. 22. nota 3. observata sunt.

4) Iudaeo-Christianis *in Macedonia*, praesertim *Thessalonicae* versantibus scriptam esse epistolam, quum Paulus Corinthi versaretur (*Actt.* 18, 1. ff.), defendit *Noesselt* opuscc. ad interpretationem sacrarum scriptt. fascic. I. ed. II. Hal. 1785. p. 291. ff. Cfr. *Semmler* in l. nota 2. laud. *Baumgarten* Erklärung u. s. w. p. 82. ff. Haec sententia et ponit (qua de re sub iudice lis est), *Paulum* fuisse epistolae auctorem, et nonnullis eius effatis (c. 10, v. 34. c. 13. v. 23. 24.) de quibus recte intelligendis alii interpretes haud temere aliter iudicaverunt, superstructa est. Premitur etiam difficultate chronologica. Quo minus

enim epistola Hebraeis inscripta ad Thessalonicenses *prius* data existimetur, quam Paulus illam ad Thessalonn. scriberet, quae in canone nostro locum priorem obtinet, impedit, quod Paulus in hac ipsa I. ad Thess. epistola cum lectoribus ita agit, ac si tum temporis prima vice litteris eos adierit. Sin eam, quae ad Hebraeos dicitur, *post* epistolam I. ad Thess. exaratam conieceris, difficile dictu est, quomodo Paulus ad Hebrr. 13, 23. (secundum Noesselti interpretationem) de Timotheo, ad Thessalonicenses legato, ita loqui potuerit, ac si nondum rediisset ad Apostolum. Redierat enim, quum prior ep. ad Thessall. scriberetur (I. *Thess.* 3, 6) De aliis argumentis huic sententiae oppositis cfr. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 2857. ff. — Maluerunt alii epistolam dicere Iudaeo-Christianis *in Asia minori* viventibus scriptam, v. c. *Bengel* gnomon ad hanc ep. F. *Schmid* observationes super epistola ad Hebrr. Lips. 1766. p. 16. sq. *Galatis* potissimum (i. e. iis Christianorum Galatarum, qui *olim Iudaei* fuissent) destinatam esse docuit *Storr:* Pauli Brief an die Hebr. erläutert etc. Tübingen, 1809. ed. II. Einleit. probante P. *Mynster:* kleine theolog. Schriften, Kopenhagen, 1825. p. 122. ff. cfr. *eiusd.* comment. über den Verfasser des Hebräerbriefs: theolog. Studien und Kritiken herausgeg. von *Ullmann* und *Umbreit* 2. B. 2. H. 1829. p. 339. ff. Locus vero II. ep. *Petri* 3, 15. sq. cui haec sententia superstruitur, minime demonstrat, Petrum ad eam, quae vulgo Hebraeis inscribitur, epistolam, tanquam iisdem lectoribus, quibus epistolae Petrinae scriberentur (I. *Petri* 1, 1. in Ponto, *Galatia* etc. versantibus) destinatam provocasse. Quae in ep. ad Hebrr. c. 10. v. 19. ff. c. 11, v. 39. 40. leguntur, cum iis, quae II. Petri 3, 14. obveniunt, nexu tantum cohaerent remotiore. Alia omnino intelligi videtur epistola, Paulo tributa, nobis incognita. Cfr. *Bleek* in l. nota 3. laud. p. 82. ff. Deinde sententiae Storrii obstat, a) quod doceri non potest, epistolam Pauli, quae *Galatis* inscribitur, iis tantum Galatarum, qui ex *paganismo* ad sacra Christiana transiissent, destinatam fuisse, exclusis Iudaeo-Christianis (cfr. ad *Gal.* 1, 1. 2. 3. et §. 52. observata), b) quod Paulus, ubi litteras dedit ad coetus *mixtos*, in *eadem* epistola *utrique* Christianorum parti dicere solebat, quae dicenda essent, c) quod epistola Hebraeis inscripta, si vere missa fuisset Iudaeo-Christianis in Galatia versantibus, (sive a Paulo, sive ab alio quodam exarata), silentio omittere non po-

tuisset perversa multorum huius generis Christianorum studia, Ethnico-Christianis legem Mosaicam cerimonialem iniungendi (§. 52.) Cfr. quae Storrio opposuerunt *Ziegler:* vollständige Einleitung in den Brief an die Hebräer, Göttingen, 1791. 8. p. 126. ss. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 2842. ss. *Hase* comment. inserta: *Winer* und *Engelhard* neues krit. Journal der theol. Litter. 2. B. 3. St. 1824. p. 268. ss. — Iudaeo-Christianis *Corinthi* versantibus scriptam esse epist. coniecit Mich. *Weber* in commentt. de numero epistolarum ad Corr. rectius constituendo (Viteb. 1798—1806.) p. 123. ss. Quanquam effata haud pauca epistolae Hebraeis inscriptae iis similia apparent, quae in epp. ad Corr. leguntur, in nostra tamen omnino desideramus, quae maxime desideriis *Corinthiorum* (quales ex epistolis ad eos datis cognovimus) inserviant. Vd. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 2866. ss. — Iudaeo-Christianos *Alexandriae* viventes ante oculos habuisse scriptorem contendit Chr. *Schmidt* Einl. Vol. II. p. 284. 293. observandis potissimum eiusmodi cogitationibus et formulis in hac ep. usurpatis, quales apud Philonem Alexandrinum obveniant. Attamen cognitio quaedam placitorum Theologiae Alexandrinae tum temporis non amplius intra fines Egypti continebatur. Neque probari potest, canonem N. F. antiquum per *Muratorium* primum typis expressum (in antiquitatibus Italicis aevi medii T. III. p. 854.) sub ea, quae l. l. dicitur epistola ad Alexandrinos *nomine* Pauli ficta, nostram intellexisse. Apud veteres nostra ubique inscribitur Hebraeis. Itemque parum probabiliter, qui Alexandriae versabantur, Iudaei, cultus Levitici et hierarchiae Iudaicae studiosiores fuisse existimantur. Cfr. quae de his verissime *Boehme* observavit: epistola ad Hebrr. latine vertit atque commentario perpetuo instruxit, Lips. 1825. 8. prolegg. p. 30. ss. — Multa habet, quibus commendetur ipsius *Boehmii* sententia, epistolam ecclesiae *Antiochenae* in Syria scriptam existimantis. Obstat, quod ad coetum Antiochenum, quo tempore haec epistola exarabatur, haud dubie praeter Iudaeo-Christianos (qui initio soli hanc ecclesiam constituerant, *Actt.* 11, 19. sq.) multi etiam pertinuerunt ex paganismo conversi, testantibus quippe controversiis de lege Mosaica Ethnico-Christianis iniungenda Antiochiae excitatis *Actt.* 15, 1. ss. ad *Gal.* 2, 11. ss. — Hebraeos, quibus epistola inscribitur, singularem constituisse societatem (theosophicam et mysticam) ingeniose

coniecit Dav. *Schulz*: Brief an die Hebräer, Einleitung, Uebersetzung und Anmerkungen, Breslau, 1818. Einleit. Attamen loca laudd. c. 5. ex. c. 6. in. c. 13, v. 9. 13. satis commode ad Iudaeo-Christt. Palaestinenses, quales §. 79. descripsimus, universe referuntur. Facilius omnino liceat (praeeunte *Hase* in comment. supra laud.) de familiis *Nazaraeorum* et *Ebionitarum* (§. 6. nota 2.) cogitare, si epistola recte existimetur post eversionem demum Hierosoll. litteris consignata. Certum est, lectores primos huius epistolae fere eandem habuisse, quae illarum esset familiarum, de rebus Iudaicis et Christianis cogitandi sentiendique rationem. — Utrum epistola ecclesiae *Hierosolymitanae*, *aliisve coetibus Palaestinn.* missa fuerit, non ausim certius definire. Verba quippe c. 13. v. 24. ἀσπάσασθε πάντας etc. non demonstrant, ecclesiam, cui haec epistola destinata esset, ceteris omnibus Palaestinae coetibus *numero* praevaluisse.

§. 81.

De auctore epistolae ecclesiae veteres Christianae earumque doctores diversimode iudicaverunt [1]). Patres quidem apostolici suam hac de re sententiam non diserte professi sunt [2]). In ecclesia Alexandrina quanquam Saec. II. III. doctores prodierunt illustres [3]), qui Paulinam esse contenderent, testantur tamen eorundem patrum effata, non defuisse, qui aliter sentirent. Seriori demum tempore post Origenem, in coetibus graecis, et alexandrinis [4]), et aliarum Orientis regionum [5]), dubitationes illae magis evanuisse videntur, agnovitque ecclesia graeca ubivis locorum Paulum epistolae auctorem, decretis quoque concilii Laodiceni Saec. IV. addicentibus [6]), praesertim, quum Eusebius hanc persuasionem suffragio comprobasset [7]). In ecclesia vero Occidentali Saeculo quidem II. et III. origo eius Paulina negari solebat [8]). Neque argumentis utuntur idoneis, qui coniecerunt, doctores

huius eccleſiae vel propter Montaniſtas ad epiſtolam illam provocantes [9]), vel Marcionis iudicio cedentes [10]) noluiſſe Paulum agnoſcere auctorem. Defuerunt iis haud dubie teſtimonia externa, quae originem Paulinam aſſererent. Inde a Saeculo demum quarto medio et plures exſtiterunt [11]) inter doctores latinos, qui eccleſiae graecae Paulum auctorem iudicanti conſentirent, aliis quidem haud paucis aliter ſtatuentibus [12]), et ſynodi quaedam Africanae hanc ſententiam comprobaverunt [13]). Praeſertim vero exempla Hieronymi [14]) et Auguſtini [15]), qui uterque epiſtolam ſaepenumero tanquam Paulinam uſurpavit, itemque eccleſiae Romanae [16]) decreta effecerunt, ut haec perſuaſio a ſaeculo inde quinto inter Latinos invaleſceret [17]), quanquam nec poſthac, qui contradicerent, prorſus defuerunt [18]). Itaque argumenta, quae dicimus, externa omnino non ſufficiunt, ut epiſtola ad Hebraeos Paulo recte vindicetur [19]).

1) De loco ep. *Iacobi* c. 2. v. 25. magnopere dubitatur, utrum Iacobus effatum ep. ad *Hebrr.* 11, 31. ante oculos habuerit, an illud Rahabae exemplum propterea attulerit, quod probe noſſet, Apoſtolum Paulum eiusve diſcipulos *ſermonibus* ſuis haud raro πίστιν Rahabae commendaſſe. Poſteriorem *Petri* ep. 3, 15. ſq. parum recte dici mentionem feciſſe epiſtolae Hebraeis inſcriptae §. 80. nota 4. docuimus.

2) Videmus tamen *Clementem Romanum* ſuae ad *Corr.* epiſtolae I. c. 9. 12. 17. 27. 36. 45. effata plura ep. ad Hebrr. eadem ratione inſerentem, qua omnino inſerere ſolet loca epiſtolarum Paulinarum.

3) *Pantaenus*, presbyter Alex. S. II. teſtante *Clemente Alex.* in l. ὑποτυπώσεων apud *Euſeb.* h. e. l. 6. c. 14. *Clemens Alexandr.* ipſe ſtromm. l. 2. p. 362. 364. 420. l. 4. p. 514. ſq. 525. l. 6. p. 645. ed. Sylb. et in l. υποτυπωσεις apud *Euſeb.* l. l. *Origenes* plura epiſtolae loca tanquam Paulina laudavit, v. c. περὶ ἀρχῶν praef. itemque l. 3.

c. 1. §. 10. l. 4. c. 13. c. 22. contra *Celsum* l. 7. c. 29. l. 3. c. 53. homilia I. in *Ierem.* ed. *Huet.* T. I. p. 58. hom. IX. ib. p. 104. hom. XVIII. ib. p. 165. praefatio in ev. *Io.* ed. *Huet.* T. II. p. 3. comment. in Io. ib. p. 18. 22. 56. 64. 140. 162. Testatur idem, scripsisse Paulum *quatuordecim* epp. homilia VII. in *Iosuam* T. II. ed. de la Rue p. 412. hom. XIII. in *Gen.* ib. T. II. p. 95. Innotuit tamen ex *Orig.* comment. in *Matth.* 23, 27. sq. Opp. T. III. p. 848. sq. ed. de la Rue (coll. epistola ad *Africanum* c. 9.) itemque ex loco homiliarum Orig. in ep. ad Hebr. apud *Euseb.* h. e. 6, 25. non defuisse in ecclesia Alexandrina, qui aliter sentirent. Eiusmodi dubitationes *Pantaeno* quoque (apud *Euseb.* l. l.) haud incognitae fuisse videntur. Quo sensu Origenes epistolam Paulo vindicaverit (sententias quidem esse Apostoli, elocutionem vero alius cuiusdam, qui *dicta* Pauli hac epistola commentari voluerit) ex loco patet laud. *Eusebii* h. e. 6, 25. — Ceterum versionem Syriacam *Peschito* (Saec. II.) recte contendimus epistolam ad Hebr. agnovisse apostolicam. Vd. *Hug* Einl. T. 1. p. 337. ss. ed. II.

4) Paulinam habuerunt epistolam S. III. med. *Dionysius Alexandr.* apud *Euseb.* h. e. 6, 41. *Hieracas* Leontopolitanus in fragm. apud *Epiphan.* haer. 67. *Alexander* episc. Alex. in epp. apud *Theodoretum* hist. ecclef. l. 1. c. 3. (p. 736. T. III. ed. Nösselt.) et *Socratem* hist. eccles. l. 1. c. 6. — Saeculo *IV.*: *Athanasius* epist. festalis 39. Opp. ed. Patav. 1777. T. I. p. 767. de incarnatione verbi Dei c. 3. de decretis synodi Nic. c. 17. c. 18. orat. I. contra Arian. c. 12. c. 24. c. 53. al. *Auctor synopseos* sacrae script. in Opp. *Athanasii* ed. Patav. T. II. p. 95. ss. *Didymus* monachus contra Manichaeos c. 8. de spiritu sancto c. 13. enarrationes breves in epp. canonn. ad I. ep. Io. c. 3. *Macarius* Magnus de orat. c. 13. de libertate mentis c. 14. c. 27. homil. 49. — *Saeculo* V.: *Isidorus* Pelusiota epp. l. 1. ep. 7. 94. 444. l. 3. ep. 58. 184. al. *Cyrillus Alex.* Opp. ed. Lutet. 1638. T. I. P. I. p. 61. 63. sq. 71. 87. 107. sq. 294. P. II. p. 60. 407. T. II. p. 17. 80. 130. 266. al.

5) Vindicarunt eam Apostolo S. III.: epistola *synodi Antiochenae* in: *Mansi* collectio concill. T. I. p. 1038. *Saeculo IV.*: *Iacobus*, episcopus Nisibeos Syriae in sermonibus armenicis, serm. II. c. 13. serm. VIII. c. 3. serm. XII. c. 7. c. 9. (*Gallandi* bibl. patrum. T. V.) *Ephraëm Sy-*

rus Opp. gr. ed. Rom. 1732. sqq. T. I. p. 7. 102. 128. 133. T. II. p. 90. 203. T. III. p. 189. 202. al. *Eusebius* qui effata haud pauca ep. ad Hebrr. tanquam Paulina attulit (v. c. *commentt.* in Pss. vd. *Montfaucon* collectio nova patrum, Paris. 1706. T. I. ad Ps. 2. p. 15. Ps. 44. p. 191. Ps. 47. p. 201. Ps. 64. p. 313. Ps. 67. p. 360. Ps. 68. p. 388. etc. *praepar. evangel.* l. 4. c. 15. l. 12. c. 19.) eamque epistolis Paulinis adnumerandam esse diserte professus est, hist. eccles. l. 2. c. 17. l. 3. c. 3. c. 38. *Ex iudicio quippe Eusebii* ep. ad Hebraeos una cum ceteris Paulinis inter scripta ὁμολογουμένα referenda est, h. e. l. 3. c. 25. quanquam eandem l. 6. c. 13. γραφαῖς ἀντιλεγομέναις accensuit, *quatenus auctoritati eius apostolicae in ecclesia Romana* (inprobante quidem Eusebio) *contradicebatur*, l. 3. c. 3.

6) Cfr. canon 60. concilii Laod. *Mansi* collectio concill. T. II. p. 574.

7) Post Eusebium (vd. nota 5.) hanc epistolam absque ulla dubitatione Paulinam agnoverunt Saec. *IV.*: *Cyrillus* episc. Hieros. Catech. IV. c. 36. Cat. X. c. 18. al. *Gregorius Nazianz.* Opp. (ed. Colon. 1690.) T. II. p. 98. *Epiphanius* haer. 76. haer. 26, c. 16. haer. 47, c. 2. haer. 59, c. 2. al. *Basilius Magnus* adversus Eunom. l. 1. c. 14. l. 4. c. 6. constitutt. monast. c. 22. §. 1. al. *Gregorius Nyssenus* Opp. (ed. Morellius Paris. 1615.) T. I. p. 834. 836. T. II. p. 113. al. *Chrysostomus* homiliarum in hanc ep. editarum auctor (ed. Montfauc. T. XII.) Saec. *V.*: *Theodoretus* Opp. ed. Noesselt. T. III. p. 3. 7. 541. sq. alii.

8) *Tertull.* S. III. de pudicitia c. 20. hanc ep. *Barnabae*, socio Pauli ita tribuit, ut persuasionem ecclesiae Africanae tum temporis vulgo probatam sequi videatur. *Irenaeus* S. III. in reliquiis scriptorum servatis epistolae ad Hebrr. mentionem nullam iniecit, etsi omnino usum eius dogmaticum multiplicem facere potuisset. In uno tantum libro deperdito: βιβλίον διαλέξεων διαφόρων effata quaedam ep. laudavit, testante *Eusebio* h. e. l. 5. c. 26. (An *Paulinam* dixerit? *Eus.* non professus est.). Eundem pariter ac discipulum *Hippolytum* origini eius Paulinae contradixisse, *Stephanus Gobarus* Saec. VI. perhibuit in *Photii* bibliotheca cod. 232. cod. 121. *Caius* presbyter Rom. S. II. ex. III. in. tredecim tantum agnovit Pauli epistolas, neque hanc ipsius persuasionem ab iis, quae

vulgo eccleſiae ſuae probentur, deflectere cenſuit, *Euſeb.* h. e. 6, 20. *Hieron.* catal. ſcriptt. eccl. c. 59. *Photii* bibl. cod. 48. *Canon*, qui *Muratorius* dicitur (ſcriptoris incerti Saec. II. ex. aut III. in.) epiſtolam ad Hebr. omiſit. *Muratori* antiquu. Ital. aevi medii T. III. p. 854.

9) De uſu epiſtolae ad Hebrr. (praeſertim c. 6. v. 4—6.) quem *Montaniſtae* fecerint, cfr. *Tertull.* de pudicitia c. 20. *Hieron.* adv. Iovinian. l. 2. c. 3. Verum, qui hanc ep. *Barnabae* tribuit, eiusque uſus eſt auctoritate, *Tertullianus*, ipſe fuit Montaniſta. Neque omnino ſolebant doctores veteres eccleſiae orthodoxae eiusmodi ſcriptorum, quae iis antiquitus tanquam apoſtolica tradita fuerant, authentiam *dogmatum cauſa* inpugnare.

10) Neque compertum habemus, unde factum ſit, ut ep. ad Hebrr. in canone Marcionis deeſſet (*Tertull.* adv. Marc. l. 5. ex. *Hieron.* praef. comment. in ep. ad Titum), nec probabile dixerim, unius Marcionis, qui haereticus haberetur (§. 8. nota 1) iudicium eccleſiae occidentali ſententiam de ep. ad Hebr. perſuadere potuiſſe vulgari oppoſitam.

11) *Saec. IV.: Hilarius* Pictavienſis de trinitate l. 4. c. 11. comment. in Pſ. 13. 118. 128. *Lucifer* epiſc. Calaritanus, de non conveniendo cum haereticis c. 11. *Fabius Marius Victorinus* adv. Arium l. 1. c. 59. l. 2. c. 3. *Ambroſius* epiſc. Mediolan. de fuga ſaeculi c. 3. enarr. in Pſ. 61. de myſteriis c. 8. de fide ad Gratianum l. 4. c. 11. l. 5. c. 1. al. de poenitentia l. 2. c. 3. *Philaſtrius* epiſc. Breſciae haereſ. 88. 89. adeo haereticos dicit, qui originem epiſtolae Paulinam negaverint. *Saec. V.: Rufinus* presb. Aquileiae expoſitio ſymboli apoſtolici in Opp. *Hieronymi* T. IX. ed. Pariſ. 1693. p. 70. coll. p. 63. 68. Quanquam idem profitetur, non deeſſe qui aliter ſentiant, in *Opp. Hier.* ib. p. 145.

12) *Novatianus* epiſc. Rom. Saec. III. (cuius ſcripta exſtant in *Gallandi* bibl. patrum T. III.) *Cyprianus* epiſc. Carthag. S. III. (adverſus Iudaeos l. 1. c. 20. de exhortatione martyrii c. 11.) *Victorinus* S. III. (vd. fragmentum de fabrica mundi: *Routh* reliq. ſacr. T. III. p. 235. eiusque comment. in Apocal. in bibliotheca magna patrum T. I. Pariſ. 1654.) ep. non habuerunt Paulinam.

13) Synodus Hipponensis a. 393. Carthaginensis III. a. 397. Carthag. V. a. 419. Vd. *Mansi* collectio concill. T. III. p. 924. 891. T. IV. p. 430.

14) *Hieronymus* S. V. epistola ad Hebr. *tanquam Paulina* usus est epist. 26. et 61. ad Pammach. ep. 34. ad Iulian. l. 1. adversus Iovinian. c. 3. l. 2. c. 1. aliisque locis multis, praesertim commentariorum in libros IT. Alibi quidem Latinos multos de origine ep. Paulina dubitare profitetur, catal. scriptt. eccl. c. 5. comment. ad Ies. 6, 9. 10. in ep. ad Titum prooem. in Matth. c. 26. epist. 125. ad Evagrium. Idemque consuetudinem latinam hanc ep. inter canonicas scripturas non recipere perhibet, nihilque interesse dicit, *cuius sit*, quum ecclesiastici viri sit, et quotidie ecclesiarum lectione celebretur, comment. in Ies. c. 6. epistola ad *Dardanum* 129. Quum ipsius Hieronymi hac de re persuasio parum certa esset, interdum septem tantum coetus Christianos commemoravit, ad quos Paulus litteras dederit, v. c. ep. 103. ad Paulinum, comment. in Zachar. 8, 23. laudavitque epistolam eiusmodi formulis usus: qui ad Hebrr. scripsit epistolam, s. Paulus sive quis alius scripsit epistolam etc. comment. in Ies. c. 57. in Amosi c. 8. in Ierem. 31, 31.

15) *Augustinus* S. V. epistolam perhibet Paulinam de doctrina Christ. l. 2. c. 8. eamque saepenumero usurpat tanquam Paulinam, v. c. serm. 55. c. 5. serm. 82. c. 8. serm. 159. c. 1. serm. 177. c. 11. expos. inchoata epist. ad Romm. §. 19. Testatur quidem aliis locis, haud paucos auctoritati eius apostolicae contradicere, de peccatt. meritis et remissione l. 1. c. 27. de civit. Dei l. 16. c. 22. expos. inchoata in ep. ad Rom. §. 11. neque negari potest, epistolam ad Hebr. ab Augustino *plerumque* ita laudari, ut nulla vel Apostoli vel Pauli potissimum mentio fiat. Cfr. locus prae ceteris insignis de civit. Dei l. 16. c. 32.

16) Cfr. epistola *Innocentii* I. episc. Rom. a. 405. in *Gallandi* biblioth. patrum T. VIII. p. 563. sq.

17) Cfr. (Saec. *V.*) *Salvianus* presb. Massiliensis contra avaritiam l. 4. p. 299. Opp. ed. Baluz. Paris. 1669. 8. *Vigilius* episc. Tapsensis contra Nestor. et Eutych. l. 2. c. 5. c. 8. l. 3. c. 5. contra Arium dial. l. 2. c. 8. *Fulgentius* episc. Ruspensis Opp. ed. Paris. 1684. de fide p. 500. ad Trasimund. reg. l. 3. p. 126. alii. Idem testatur canon concilii Rom. a. 494. *Mansi* collect. conc. T. VIII. p.

145. sq. Saec. *VI. VII.*: *Vigilius* episc. Rom. constitutum de tribus capitulis, *Mansi* l. l. T. IX. p. 84. *Cassiodorus* de divinis lect. c. 8. *Gregorius Magnus* episc. Rom. Opp. ed. Bened. T. I. p. 1166. al. *Isidorus Hispalensis* episc. Sevillae Etymolog. l. 5. c. 24. §. 2. in Genes. c. 31. §. 29. sententt. l. 6. c. 10. §. 18.

18) Cfr. quae *Primasius* S. 6. in praef. commentarii in epp. P. et *Isidorus Hispal.* S. 7. Etymol. l. 6. c. 2. de officiis l. 1. c. 12. hac de re testati sunt.

19) Singulari diligentia hanc insignem testimoniorum ecclesiae antiquioris diversitatem recensuit *Bleek* in l. §. 80. nota 3. laud. p. 82—272.

§. 82.

Argumentis vero internis, quibus haud pauci interpretes originem epistolae Paulinam probari voluerunt, ex indole sententiarum totaque docendi ratione desumtis [1]), haud temere opposuerunt alii [2]), plura omnino deesse, quae Paulus, si ad Hebraeos epistolam dedisset, intacta reliquisse parum probabiliter existimetur [3]), eorumque loco alia apparere singulari diligentia pertractata, quae Paulus in epistolis suis vel obiter tantum tetigerit, vel omnino non tractaverit [4]), nec eandem prorsus argumentationis indolem inesse, qua Apostolus usus fuerit [5]).

1) Cfr. praesertim: *Flacius Illyricus* clavis scripturae Basil. 1628. T. II. p. 516. ff. Io. *Gerhard* commentar. super ep. ad Hebr. Ienae, 1641. 4. prolegg. Abr. *Calovius* biblia illustr. N. T. T. II. Francof. 1676. p. 1095. ff. Io. *Braun* comment. in ep. ad Hebr. Amstelod. 1705. 4. prolegg. *Mill* prolegg. in N. T. §. 83. ff. A. *Cramer*: Erklärung des Briefs an die Hebräer, Kopenhagen, 1757. Einleit. *Storr* in l. §. 80. nota 4. laud. Einleit. *Meyer* über einige innere Gründe für die Abfassung des Briefs an die Hebr. von Paulus in: *Ammon* und *Bertholdt* krit. Journal der neuesten theol. Litter. 2. B. 3. St. Sulzbach, 1814. *Hug* Einl. Vol. II. p. 424. ff. ed. II. (quanquam in ed. III. p. 492. ff. iis assentitur, qui Lucam hanc epistolam,

sententiis quidem Pauli praeeuntibus, exarasse conii-ciunt.) *De Groot* disputatio, qua ep. ad Hebrr. cum Paulinis epp. comparatur, Traiecti ad Rhenum, 1826. 8. Oeconomiam novam Christianam, aeternum valituram, quae hominibus viam tutissimam muniverit, ad pietatem veram Deo probatam animique tranquillitatem perveniendi, multum praestare oeconomiae Mosaicae per Christum abrogatae, quae prima tantum elementa aetati rudiori accommodata tradiderit, nec unquam homines Deo probatos, veros Dei filios, laetissima quaeque cum fiducia sperantes reddere potuerit, nemo Apostolorum tanta, quanta Paulus, et perspicuitate et gravitate in epistolis docuit, v. c. ad *Gal.* c. 3. 4. *II. Corr.* c. 3. c. 5. ad *Romm.* c. 3. 8. 11. al. Huic persuasioni ita consentit epistola *ad Hebraeos*, ut dignitatem summam atque praestantiam novi foederis et sacerdotii Iesu Christi uberius illustret, v. c. c. 6. 7. 9. 10. Paulus *fidem* commendat (πιστιν), praesidium salutis certissimum. Eandem ep. ad *Hebrr.* (praesertim c. 11.) praedicavit. Paulus instituta veteris oeconomiae bonis praestantioribus per Christum suppeditatis veluti adumbrandis inserviisse dicit, ad *Coloss.* 2, 17. Cfr. ad *Hebrr.* c. 8. 9. 10. Quam in Paulo praecipue admiramur dexteritatem accommodate ad ingenia indolemque lectorum disserendi, eiusdem usum fecit egregium epist. ad Hebraeos. Interpretationis personarum rerumque V. T. allegoricae Paulo saepenumero usurpatae (*Romm.* 5, 14. *Gal.* c. 4. I. *Corr.* 10, 2. ss. II. *Corr.* 3, 14. al.) exempla multa obveniunt in ep. ad *Hebrr.* c. 7. c. 8, v. 5. c. 9, v. 9. 23. c. 10, v. 1. c. 13, v. 11. sq.

2) Vd. de his aliisque argumentis internis origini Paulinae oppositis: *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 2939. ss. p. 2935. ss. *Schulz* in l. §. 80. nota 4. laud. p. 74. ss. (quocum cfr. censura huius libri, auctore *Steudel*, promtuario *Bengelii* inserta: Archiv für die Theologie 4. B. 1. St. p. 89. ss. itemque: Ienaische allgem. Litter. Zeit. N. 218. a. 1819.) A. *Seyffarth* de epistolae, quae dicitur ad Hebraeos indole maxime peculiari, Lips. 1821. (quocum cfr. Leipziger Litter. Z. N. 95. 96. a. 1824.) *De Wette* Einl. in das N. T. p. 290. ss. *Bleek* in l. §. 80. nota 3. laud. p. 285—387.

3) a) Quanquam epistola ad Hebrr. satis perspicue profitetur, oeconomiam Mosaicam sublatam esse foedere novo per Christum in perpetuum stabilito (7, 12. 18. 29. 8, 7.

10. 13. 10; 1. 8. 12, 27.) *studiosius* tamen *Paulus* hanc Mosaismi abrogationem praedicavit *contra Iudaeos circumcisionem iactitantes*. b) Quod Paulus Iudaeis, regnum Messianum sibi, Abraami posteris, potius quam aliis omnibus destinatum esse opinantibus acriter opponere solet, *consortium regni divini hominibus ethnicis per Christum pariter offerri atque Iudaeis*, huius quidem epistolae auctor haud dubie verissime *intellexit* (2, 9. 10. 13. 3, 14.) *attamen diserte nunquam inpugnavit illam et Iudaeorum, et Iudaeo-Christianorum opinionem praeconceptam*, immo interdum de consilio adventus Iesu Christi formulas usurpavit, quae eum tanquam *Messiam Iudaeorum* describere viderentur, 2, 16. 17. 13, 12. c) *reditum Christi ex mortuis* Paulus saepenumero ita celebravit, ut huic rei gestae exspectationes Christianorum sanctissimas adnecteret. Epistola ad Hebrr. resurrectioni Servatoris c. 13, v. 20. obiter commemoratae nunquam immoratur, etsi mentes nostras perpetuo ad Christum in coelis apud Deum versantem convertat. d) ubi Paulus persuasionem firmam Christianam (πιστιν) commendat, quae hominem Deo vere probatum reddat, *fiduciam in illa Dei gratia, quam Christus generi humano nuntiavit obtulitque, positam intelligere solet*. Auctori ep. ad Hebraeos πιστις sensu *latiori* dicitur *fiducia in Deo, promissisque divinis collocanda*, quae rem futuram, velut praesentem, persuasione firma amplectitur (vd. praesertim c. 11. v. 1. ss.) De qua quidem πιστει latius dicta Paulus non disseruit nisi *II. Corr.* 5, 7. ubi de exspectatione vitae futurae sermo est, itemque ad *Gal.* 3, 6. ss. *Romm.* 4, 3. ss. ubi ipsa de illa πιστει sensu *angustiori* dicta disputatio secum ferebat, ut doceretur, aliquid huic πιστει simile in Abraamo fuisse. Praesertim vero desideratur in ep. ad Hebrr. *oppositio* illa *Paulina* πίστεως et νόμου s. ἔργων τοῦ νόμου. e) doctrinae *de resurrectione mortuorum futura*, cui epistolae Paulinae saepenumero immorantur, obiter tantum mentio facta est ad *Hebrr*. 6, 2. 11, 35.

4) a) Uberius docetur ad *Hebrr.* c. 1. c. 3. Iesum Christum et angelis et Mosi dignitate multum praestare. Eiusmodi comparatio apud Paulum nunquam instituitur (etsi nequaquam aliena fuisset a Christologia Apostoli.) Nec unquam praeter illam epist. (3, 1.) Christus appellatur ἀπόστολος. b) *Una haec ep.* ad Iesum Christum, olim pro hominibus cum Deo reconciliandis mortuum, eundem-

que porro in coelis salutem hominum aeternam efficacia invisibili potentissime adiuvantem, imaginem transfert *sacerdotis summi perfecti, in aeternum constituti,* eamque diligentia singulari persequitur. Apud Paulum nonnisi ad *Ephess.* 5, 2. *Romm.* 8, 34. quaedam obveniunt his *similia*: c) Singularis est sententia *Hebrr.* 5, 7. enunciata, Christum in his terris *preces* et supplicationes *tanquam victimam* Deo obtulisse, itemque, Christum esse τὸν ἀρχηγὸν et τελειωτὴν πίστεως nostrae 12, 2. (quanquam Paulus ad exemplum Christi imitandum lectores saepenumero cohortatur), et, *Christi pietatem virtutemque ipsis malis tolerandis increvisse*, 5, 8. sq. 2, 10. 7, 28. (*Similia* tantum obveniunt ep. ad *Philipp.* 2, 7. ss.) d) Provincia *iudicii olim exercendi* in ep. ad *Hebrr.* 10, 27. ss. 12, 23. ss. 13, 4. *Deo* tribuitur. Epistolae *Pauli Christum* praedicare solent *iudicem* olim venturum (quod ep. ad *Hebrr.* obiter tantum innuit 9, 28.) e) *Morte Christi foedus novum esse sancitum, fractamque Satanae potestatem* ep. ad *Hebrr.* perspicue docet 2, 14. 10, 29. 13, 20. Concedimus sane, Paulum *similia* docuisse, *Romm.* 5, 9. ss. al. — Nolim vero contendere, auctorem ep. ad Hebrr. persuasionem elocutum esse de mundo visibili *igne* aliquando interituro. Alius quippe generis sunt effata, quae laudantur 6, 8. 10, 27. 12, 29. (neminem fugit, poenam divinam cum igne consumente ex usu loquendi V. T. comparari) 8, 13. 12, 26. ss. (de abrogatione oeconomiae Mosaicae) 1, 10—12. (aeternitas et immutabilitas Dei sermone poetico Ps. 102. celebratur), 13, 14. (vita aeterna in coelis futura terrestri opponitur.)

5) Nolim eiusmodi loca urgere (cfr. *Bleek* in l. l. p. 329. ss.) quae unam sententiam alteri minus commode nectant, quum Paulus simillima habeat. Attamen negari non potest, a) auctorem epistolae ad Hebrr. haud raro operam dedisse amplificationi sententiarum oratoriae, quum Pauli epistolae universe spectatae argumentationis subtilitate et acumine magis emineant (vd. ad *Hebrr.* 4, 12. ss. 6, 4. ss. 9, 11. ss. 10, 19—25. 11, 32. ss. 12, 18. ss.) b) Paulum, etsi permulta ex libris V. T. et probaverit, et illustraverit, *breviorem* tamen fuisse in usu horum locorum. Auctor quippe ep. ad Hebrr. fere per totam epistolam argumentationem suam effatis V. T. haud raro serie continua propositis et explicatis superstruere solet (*homiliarum* more), suamque sententiam lubentissime verbis V. T. enuntiat.

Neque omittendum est artificium singulare, quo auctor epistolae ad Hebrr. haud raro sententiam quandam vel argumentationem *innuit* et *praeparavit*, deinde, pluribus interpositis, repente enuntiatam. Cfr. *Boehme* in comment. §. 80. nota 4. laud. ad ep. c. 2. v. 1. v. 17. p. 84. 132. ad c. 3. v. 3. p. 142. ad c. 4. v. 3. p. 184. ad c. 5. p. 220. 236. ad c. 7. p. 325.

§. 83.

Quaecunque in canone nostro exstant Pauli epistolae, et nomen auctoris profitentur, et salutationem sollennem praemittunt. Utrumque in epistola Hebraeis inscripta desideratur [1]). Deinde, quae c. 2. v. 3. leguntur, Apostolo, qualem Paulum fuisse et inter omnes agnosci voluisse neminem fugit, parum conveniunt [2]). Neque omnino probabile apparet, Apostolum, qui gentilibus potissimum ad Christum convertendis operam suam addixisset, epistolam exarasse solis Iudaeo-Christianis destinatam [3]). Ceterum, quae c. 13. v. 23. de Timotheo dicuntur, minime eiusmodi argumentum exhibent, quo demonstretur, neminem, nisi Paulum, has litteras scribere potuisse [4]). Neque locus c. 10. v. 34. exigit, ut de Paulo in vincula coniecto cogitemus [5]).

1) Coniecturae *Clementi Alex.* (cfr. *Euseb.* h. e. 6, 14.) aliisque probatae, Paulum consulto nomen suum omisisse, ne forte homines Iudaeo-Christiani (quorum permulti Apostolo libertatem Christianorum a lege Mosaica acriter defendenti succenserent), nomine Pauli cognito, confestim repudiarent epistolam, adversatur a) quod auctor c. 13. v. 18. sq. 23. sq. satis aperte innuit, se haud incognitum esse lectoribus suis, b) quod Christiani, quibus haec epistola mittebatur, etsi auctor nomen suum dissimulasset, per eum, qui epistolam iis tradiderat, facile huius rei certiores fieri poterant.

2) Negari quippe non potest, verba εἰς ἡμᾶς in hac orationis serie ita se habere, ut auctor epistolae se ipse iis

omnibus adnumeret, qui *non* fuerint auditores Servatoris (ἀκούσαντες) et Apoſtoli. *Paulus* vero diſerte profitetur, ſibi quoque Chriſtum apparuiſſe, munerisque ſui apoſtolici dignitatem vindicat, v. c. ad *Gal.* 1, 1. 12. 17. 2, 6. *I. Corr.* 9, 1. *Ephh.* 3, 2. 3. al. (Quae de aliis effatis dicuntur ex ἀνακοινώσει explicandis I. *Corr.* 10, 8. 9. II. *Corr.* 7, 1. *Romm.* 13, 11. ſſ. *Hebrr.* 6, 1—3. 12, 1. non omnino eiusdem ſunt generis, ſiquidem, quae locis laudd. proponitur, cohortatio, quanquam lectoribus admonendis inſerviit, *quodammodo* tamen etiam ad ſcriptorem loquentem, perſonam 1. plur. uſurpantem referri poterat.)

3) Ceterarum Pauli epp. nulla coetui ſcripta eſt, quem *ſoli* Iudaeo-Chriſtiani conſtituerent. Tales plerumque nolebant Paulum verum agnoſcere Apoſtolum, nec facile Paulo cum coetu quodam Iudaeo-Chriſtiano eiusmodi familiaritas intercedere potuit, qualem auctori huius epiſtolae cum lectoribus interceſſiſſe ex effatis pluribus (praeſertim c. 13.) eluceſcit. Certe ſi Paulus eiusmodi litteras dediſſet ad Hebraeos, dicere quaedam haud omiſiſſet de animi ſenſu, quo erga populares adfectus eſſet (*Romm.* c. 9. al.) et de auctoritate, quam ſibi, Ethnicorum quidem (non Iudaeorum) Apoſtolo, attamen ceteris Apoſtolis haud inferiori, revelatione divina inſtituto, recte vindicaret.

4) Fieri utique potuit, ut idem Timotheus, quem Pauli ſocium comitemque aſſiduum fuiſſe ſupra §. 71. vidimus (niſi loco ep. ad Hebrr. alium eiusdem nominis virum intelligere volueris) ſeriori tempore, praeſertim poſt obitum Pauli, etiam alius cuiusdam doctoris Chriſtiani familiaritate interiori uteretur.

5) Lectio τοῖς δεσμίοις 10, 34. argumentis criticis praeſtat vulgatae: τοῖς δεσμοῖς μου. Patet inſuper ex c. 13. v. 23. auctorem, quo tempore hanc epiſtolam exararet, non fuiſſe in vincula coniectum. Verba c. 13. v. 18. 19. diverſimode intelligi poſſunt. Praeterea nemo facile incredibile dixerit, alium quendam doctorem Chriſtianum ſortem captivitati Paulinae ſimilem ſubiiſſe. — Ceterum nolim urgere (contra originem epiſtolae Paulinam), quod auctor c. 9. v. 4. eorum, quae *tum temporis* in templo Hieroſolymitano fuerint, cognitionem parum accuratam prodiderit, Paulo (diutius quippe ſaepiusque Hieroſolymis verſato) minime convenientem. Quanquam V. *Bleek* l. l. p. 382. ſſ. veriſſime monuit, arcam foederis praeeunti-

bus locis *I. regg.* 8, 9. II. *Chronn.* 5, 10. nihil continuisse nisi tabulas legis (etsi Israelitae olim urceum quoque Manna repletum, virgamque Aaronis iuxta arcam foederis reposuerint, *Ex.* 16, 33. sq. *Numerr.* 17. 10) atque omnino testante *Iosepho* de bello Iud. l. 5. c. 5. §. 5. in sanctuario sanctissimo *illo tempore* nihil fuisse collocatum; crediderim tamen, quicunque epistolam ad Hebrr. exaraverit, eum de his rebus omnino non uberius expositurum fuisse, nisi structuram templi vel *videndo* vel *audiendo* accuratius cognovisset. Immo, quae *olim* fuerant, *consulto* ante oculos posuit, quo lectoribus persuaderetur, etiam antiquiorem illam rerum sacrarum oeconomiam, quum adhuc *integra* esset, symbolo tantum inserviisse oeconomiae Christianae perfectioris. Urceus Manna repletus Aaronisque virga non amplius exstabant illo tempore, poteratque auctori epistolae (sive Paulus sive alius fuerit) facile accidere, ut res illas sacras *olim* (εἶχε v. 1.) *in ipsa* foederis arca fuisse diceret, quum effata laudd. *Ex.* et *Numerr.* (non prorsus perspicua) vel non accuratius contulisset, vel in hanc sententiam fuisset interpretatus. Sub θυμιατηρίῳ v. 4. thuribulum intelligi potest quotannis in sanctuario sanctissimo *sollenniter usurpatum*, nisi coniicere malis, scriptorem, non prorsus accurate locutum, altare suffitus, propterea ad sanctuarium sanctissimum retulisse, quod ara illa, sanctuario sanctissimo *proxime adiacens*, coram Iehova sensu eximio posita diceretur, et res *praecipue sancta* haberetur. *Ex.* 30, 10. *Levit.* 16, 12. 18. 20. Vd. *Mynsteri* commentatio: theolog. Studien und Kritiken von *Ullmann* und *Umbreit*, 2. B. 2. H. 1829. p. 343. sq.

§. 84.

Quod modum attinet, quo effata librorum V. T. laudantur, epistolae quidem Paulinae pariter atque epistola ad Hebraeos versionem usurpant alexandrinam. Attamen auctor huius epistolae verba interpretum alexandrinorum pressius tenet [1]), nec dubitat, argumentationem suam eiusmodi locis vocibusque singulis versionis LXX. superstruere, quae sententiam fundunt ab ipso textu hebraico alienam [2]).

1) Hoc non tantum facere solet, ubi versio LXX. textum hebr. accurate exprimit, sed etiam in eiusmodi locis V. T. laudandis, quorum versio LXX. (quod sententiam attinet) a textu hebr. deflectit, 1, 6. 7. 2, 6—8. 10, 5—7. 12, 5. sq. Rarius obveniunt in ep. ad Hebraeos, quae *leviter* discrepent a versione LXX. Unus exstat locus (10, 30.) qui ad textum hebr. propius accedat, quam ad versionem LXX. (pariter atque *Romm.* 12, 19.) Cfr. *Bleck* l. l. p. 358. ss. Epistolae *Pauli*, quanquam saepenumero verba versionis LXX. accurate tenent (vd. *Bleck* p. 339. ss.), haud raro tamen ab ea longius discedunt, eiusmodi immutatione, quae partim consulto usurpata esse videtur, sententiae causa, quam Apostolus ex V. T. illustraturus esset (*Romm.* 10, 6. ss. *I. Corr.* 1, 31. 3, 20. 15, 45. *Gal.* 4, 30.), partim, quod Paulus verba τῶν LXX. non accurate memoria tenuerat, *Romm.* 14, 11. *II. Corr.* 6, 16. *Ephess.* 4, 8. Textum quidem hebraicum ipsum ab Apostolo accurate collatum fuisse, demonstrari non facile potest, quum ea quoque effata, quae V. *Bleck* laudavit (p. 352. ss.), cum hebraicis non omnino conveniant, ususque versionis LXX. vestigia luculentissima contineant. Cfr. quae Censor isagoges Bleeckii verissime observavit: Hallische allgem. Litter. Zeit. 1829. Nr. 104. 105. Solebat Paulus, lectione assidua codicis hebraici versionisque LXX. imbutus, effata V. T. et memoriter laudare, et argumentationi suae quodammodo accommodare.

2) Ad *Hebrr.* c. 1, v. 6. c. 2, v. 6. ss. c. 10, v. 5. ss. Talia apud Paulum non obveniunt. — Ceterum nolim urgere (cfr. *Bleeckii* disputatio diligentissima l. l. p. 369. ss.) versionem LXX. in epistolis Pauli secundum codicem Vaticanum, ab auctore vero ep. ad Hebrr. secundum Alexandrinum usurpatam esse. Plura quippe effata obveniunt, quae doceant, hanc laudandi rationem non fuisse utrique, tanquam *legem*, propositam. Vd. Hallische allgem. Litter. Z. 1829. Nr. 105.

§. 85.

Elocutio denique epistolae Hebraeis inscriptae, sive totum dicendi genus magis tranquillum et compositum [1]), sive indolem sermonis graeci purioris [2]),

sive subtilitatem et elegantiam in usu et collocatione verborum insignem, ornatumque orationis ex variis sententiarum verborumque luminibus oriundum, artificii cuiusdam haud expertem [3]), sive formulas vocesque permultas singulas [4]) a consuetudine Pauli alienas spectaveris, parum patrocinatur iis, qui epistolam existimant Paulinam.

1) Oratio *Pauli* plena est adfectuum diversissimi generis. Observetur praesertim πάθος Paulinum in oppugnandis adversariis. Epistola ad *Hebrr.* fere semper sermone placido et aequabili decurrit, etsi multa habeat, quibus lectores admoneantur atque corrigantur.

2) Quantopere ep. ad *Hebrr.* λέξει ἑλληνικωτέρᾳ differat a Paulinis, probe senserunt *Clemens Alex.* et *Origenes*, vd. *Euseb.* h. e. 6, 14. 25.

3) Cfr. v. c. c. 1. in. c. 2, v. 2. ss. v. 14. sq. c. 3, v. 7—13. c. 4, v. 1. 2. 12. c. 5, v. 7. ss. c. 6, v. 4. ss. c. 7. in. c. 9, v. 11. 12. c. 10, v. 19. ss. c. 11. c. 12, v. 1. 2. v. 18. ss. Aliam esse indolem eloquentiae Paulinae §. 49. nota 17. 18. 19. vidimus.

4) a) *citandi formulae singulares* in ep. ad *Hebrr.* obveniunt. Plerumque: θεὸς εἶπε (s. λέγει s. εἴρηκε), etiam, ubi effata V. T. allegantur, quae Deum ipsum loquentem non exhibent, 1, 6. sqq. 4, 4. 7. 7, 21. Aliquoties: πνεῦμα ἅγιον μαρτυρεῖ s. λέγει, 3, 7. 10, 15. Interdum loca V. T. tanquam effata *filii Dei* adferuntur, 2, 11. 13. 10, 5. 8. sq. Semel dicitur: διεμαρτύρατο πού τις, 2, 6. *Paulus* plerumque phrases usurpat: γέγραπται, καθὼς γέγραπται, γέγρ. γάρ, κατὰ τὸ γεγραμμένον, ἡ γραφὴ λέγει, ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται, κατὰ τὸ εἰρημένον, ὁ λόγος οὗτος s. ὁ γεγραμμένος, *neque libro, cuius effatum laudatur, neque auctore accuratius indicato.* Eiusmodi quoque effata V. T. quae Deum ipsum loquentem exhibent, haud raro simpliciter tanquam effata *scripturae sacrae* laudantur, *Romm.* 4, 17. sq. 9, 9. 13. 17. 33. 10, 5. 20. sq. 11, 26. 12, 19. 14, 11. *I. Corr.* 1, 19. 14, 21. ad *Gal.* 4, 30. al. quanquam non prorsus desideratur phrasis λέγει s. εἶπεν ὁ θεὸς (s. ὁ κύριος) *Romm.* 9, 15. 25. *II. Corr.* 6, 2. 16. sq. *Gal.* 3, 16. Interdum tamen *utriusque mentio facta est:* ὁ

Μωϋσῆς γράφει f. ἐν τῷ Μωϋσέως νόμῳ γέγραπται, Δαβὶδ λέγει f. Ἡσαΐας λέγει, etc. b) de *Iesu Christo* in ep. ad *Hebrr.* phrases obveniunt Paulo nunquam adhibitae: ἀρχιερεὺς (saepenumero), ἀπόστολος (3, 1.), κληρονόμος πάντων (1, 2.), ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ (τοῦ θεοῦ) 1, 3. (Paulo eandem *persuasionem* aliis vocibus profitente: εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος τῆς κτίσεως, κεφαλὴ ὑπὲρ πάντα, *Col.* 1, 15. 18. *Romm.* 8, 29. *Ephh.* 1, 22. 4, 15. al.) αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου *Hebrr.* 5, 9. (in ceteris N. F. libris σωτὴρ dic.) πρόδρομος 6, 20. ὁ ποιμὴν τῶν προβάτων ὁ μέγας 13, 20. Locutio *plena*: ὁ κύριος ἡμῶν ἰησοῦς semel ad *Hebrr.* 13, 20. legitur. Apud *Paulum saepissime*: ὁ κύριος ἡμῶν ἰησοῦς χριστός. De conditione sublimiori Iesu Christi ad coelos evecti apud *Paulum* breviter dicitur: ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ καθήμενος *Col.* 3, 1. *Ephh.* 1, 20. Epistola ad *Hebrr.* phrases adhibet ampliores 1, 3. 8, 1. 12, 2. c) *in singulis omnibus huius epistolae capitibus voces phrasesque leguntur, quas recte negamus ad usum loquendi Paulinum pertinuisse, quum Apostolus, opportunitate eas adhibendi minime destitutus, maluerit tamen easdem simillimasve sententias aliis dicendi formulis enuntiare.* C. *I.* v. 1. πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως. v. 2. ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων (locutio *Petrina* I. *Petri* 1, 20. *II.* P. 3, 3.) v. 3. καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν (Paulus dixisset καθαρίσας ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμ. *Ephh.* 5, 26.) — ἐν ὑψηλοῖς: in coelis (in ceteris libris N. F. hoc sensu sollenne est ἐν ὑψίστοις.) De praedicatis, quae Christo v. 2. 3. tribuuntur, supra b. vidimus. v. 4. τοσούτῳ κρείττων — ὅσῳ etc. Haec formula comparationis in argumentando adhibitae, epistolae ad Hebrr. admodum familiaris (3, 3. 7, 20. ff. 8, 6. 10, 25.) praeterea non legitur in N. F. — παρ' αὐτοὺς παρά nunquam apud Paulum, sed in hac ep. saepius (9, 23. 11, 4. 12, 24.) *comparationi* inservit sequente accusativo, *addito insuper comparativo quodam.* Eodem modo 4, 12. ὑπέρ struitur. v. 13. εἰπεῖν πρός τινα non Paulinum. Apostolus hoc verbum simpliciter dativo iungit. v. 14. λειτουργικὰ πνεύματα de angelis. *C. II.* v. 1. παραῤῥυεῖν. v. 2. μισθαποδοσία (10, 35. 11, 26.) pro Paulino μισθός. Item μισθαποδότης Hebrr. 11, 6. v. 3. ἀρχὴν λαμβάνειν sequente infinitivo quodam non recurrit in N. F. v. 4. συνεπιμαρτυρεῖν ἅπαξ λεγόμενον in N. F. Paulus nun-

quam habet ἐπιμαρτυρεῖν, quamquam συμμαρτυρεῖν Romm. 2, 15. 8, 16. 9, 1. — θέλησις (alibi in N. F. θέλημα, βουλή, βούλημα, εὐδοκία θεοῦ.) v. 9. ὅπως χάριτι θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. Singularem πᾶς magnopere diligit haec epistola (2, 2. 15. 8, 4. 4, 12. 5, 1. 8, 3. 10, 11. 12, 6.) eumque pluribus locis distributive posuit, ubi Paulus (cfr. v. c. *II. Corr.* 5, 15.) aliique numerum pluralem adhibuissent. vd. 5, 13. 9, 19. γεύεσθαι θανάτου apud *Paulum* non legitur. v. 10. ἄγειν εἰς δόξαν ἅπαξ λεγόμ. in N. F. Paulus dicit: καλεῖν εἰς δόξαν, διδόναι δόξαν. ἀρχηγὸς non Paulinum. v. 14. τὰ παιδία κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος. vb. κοινωνεῖν alias in N. F. cum *dativo* obiecti iungitur, vd. *Boehme* comment. I. p. 120. v. 15. ἀπαλλάσσειν non Paulinum. v. 16. δήπου vox bene graeca ἅπαξ λέγομ. in N. F. ἐπιλαμβάνεσθαι nonnisi in ep. I. ad *Tim.* (de cuius origine Paulina disceptatur) c. 6, v. 12. 19. recurrit, nec eodem *sensu* (*opitulari*) quo h. l. dicitur. v. 17. ὅθεν (quod epistola nostra diligit, 3, 1. 7, 25. 8, 3. 9, 18. 11, 19.) nunquam apud Paulum. Nec ἐλεήμων et ἀρχιερεὺς Paulina sunt. *C. III.* v. 1. μέτοχος huic epistolae familiare (3, 14. 6, 4. 12, 8. ut μετέχειν 2, 14. 5, 13. 7, 13.) Verbum quidem μετέχειν aliquoties apud Paulum I. *Corr.* 9, 10. 12. 10, 17. 21. 30. legitur. V. 3. κατασκευάζειν, quod haec epistola frequenter usurpat (3, 4. 9, 2. 6. 11, 7.) apud Paulum non legitur. v. 5. θεράπων ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 6. ἐάνπερ (ut v. 14. 6, 3.) a dictione Paulina, formulam potius εἴγε, quae in ep. ad Hebrr. desideratur, usurpante, prorsus alienum. v. 8. (coll. v. 15. 16.) παραπικρασμός et παραπικραίνειν praeter ep. ad Hebrr. non recurrit in N. F. *Rem* ipsam *Paulus* habet I. *Corr.* 10, 5. ss. aliis verbis enuntiatam. v. 10. (coll. v. 17.) προσοχθίζειν ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 12. καρδία πονηρὰ ἀπιστίας: animus malus diffidentiae plenus. Eiusmodi coniunctio vocabuli καρδία cum *genitivo qualitatis* non legitur aliis locis N. F. *C. IV.* v. 2. ἐσμεν εὐηγγελισμένοι (coll. v. 6. εὐαγγελισθέντες.) Quanquam *Paulus* εὐαγγελίζειν et εὐαγγελίζεσθαι usurpat, nunquam tamen formam passivam *de hominibus* adhibet, *qui nuntium laetum acceperunt.* — ib. λόγος μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασιν. locutio huic ep. peculiaris. v. 9. σαββατισμὸς ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 11. ὑπόδειγμα (coll. 8, 5. 9, 23.) *Paulus* non usurpat. v. 12 τομώτερος, ἁρμοὶ, μυελοὶ, διϊκνεῖσθαι,

κριτικὸς απαξ λεγομενα in N. F. δίστομος Apocalypsis tantum habet 1, 16. 2, 12. v. 13. ἀφανὴς απαξ λεγ. in N. F. Quanquam Matth. Lucas, Io. ἀφανίζειν habent. γυμνά hoc sensu *metaphorico: aperta, perspicua*, non recurrit in N. F. itemque τραχηλίζειν απαξ λεγ. in N. F. v. 16. προσερχώμεθα (τῷ θεῷ) phrasis Petrina I. ep. 2, 4. βοήθεια *Paulus* non habet. Tota phrasis: χάρις εἰς εὔκαιρον βοήθειαν huic ep. peculiaris. *C. V. v.* 1. λαμβάνεσθαι hoc sensu: *eligi* non Paulinum, neque (quod haec ep. frequenter habet 5, 3. 7. 8, 3. 4. 9, 7. 9. 14. 25. 28. 10, 1. 2. 8. 11. 12. 11, 4. 17. 12, 7.) verbum προσφέρειν, quanquam substantivum προσφορά *Ephh.* 5, 2. *Romm.* 15, 16. occurrit. v. 2. μετριοπαθεῖν απαξ λεγομ. in N. F. v. 5. (de Christo): οὐχ ἑαυτὸν ἐδόξασε γενηθῆναι ἀρχιερέα. δοξάζειν ἑαυτὸν *sequente accusativo cum infinitivo* (suppl. ὥστε) non recurrit in N. F. v. 7. ἱκετηρία απαξ λεγ. in N. F. itemque εὐλαβεία (coll. 12, 28.) quanquam Lucas εὐλαβὴς habet. v. 9. αἴτιος *substantive positum* non Paulinum. v. 10. προσαγορευέσθαι απαξ λεγομ. in N. F. v. 11. δυσερμήνευτος et νωθροὶ τῇ ἀκοῇ απαξ λεγ. in N. F. v. 13. ἄπειρος in N. F. non recurrit. v. 14. αἰσθητήρια et ἕξις απαξ λεγ. in N. F. *C. VI.* v. 1. ἀρχὴ τοῦ χριστοῦ apud *Paulum* non dicitur *de initiis doctrinae Christianae.* φέρεσθαι ἐπὶ, τι (ad aliquid studiosius se convertere) απαξ λεγ. in N. F. καταβάλλεσθαι θεμέλιον *Paulus* non habet (sed τιθέναι θεμέλιον I. *Corr.* 3, 10. 11.) v. 4. 5. γεύεσθαι *hoc sensu tropico* (de bonis animi praestantissimis sensu interno percipiendis) non Paulinum. v. 6. παραπίπτειν απαξ λεγ. in N. F. Item ἀνακαινίζειν (quanquam Paulus formam cognatam habet ἀνακαινοῦν *Coloss.* 3, 10.) et ἀνασταυροῦν. παραδειγματίζειν semel tantum *Matth.* 1, 19. leg. v. 7. εὔθετος non Paulinum. βοτάνη et γεωργεῖσθαι απαξ λεγομενα in N. F. (γεώργιον *Paulus* habet I. *Corr.* 3, 9.) v. 8. ἐκφέρειν *hoc sensu* (de terra aliquid proferente), ἐγγὺς κατάρας, καῦσις απαξ λεγ. in N. F. v. 9. ἐχόμενα σωτηρίας: quae saluti propiora sunt. Hic usus participii ἐχόμενος sequente Genit. exemplis in N. F. destituitur. v. 13. ὀμνύναι κατὰ τινος praeterea non dic. in N. F. v. 16. ἀντιλογία semel tantum in N. F. recurrit ep. *Iudae* v. 11. v. 17. ἀμετάθετον (coll. v. 18.) απαξ λεγ. in N. F. itemque μεσιτεύειν (quanquam *Pau-*

lus habet μεσίτης Gal. 3, 19. 20.) v. 18. *Pluralis* πράγματα *non Paulinus*. Nec verbum προκεῖσθαι *Paulus hoc sensu* usurpavit (προκειμένης ἐλπίδος.) v. 20. πρόδρομος ἅπαξ λεγ. in N. F. C. *VII*. v. 3. ἀφομοιοῦσθαι non recurrit in N. F. neque (quod ep. nostra diligit, 10, 1. 12. 14.) εἰς τὸ διηνεκές v. 4. θεωρεῖν non Paulinum, neque πατριάρχης. v. 5. ἱερατεία ἅπαξ λεγ. in N. F. Phrasis: ἐξεληλυθότας ἐκ τῆς ὀσφύος huic ep. peculiaris. v. 6. γενεαλογεῖν ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 9. ὡς ἔπος εἰπεῖν ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 11. τελείωσις in epp. *Paulinis* deest. ἱερωσύνη (coll. v. 12. 14. 24.) praeterea non recurrit in N. F. νομοθετεῖν ἅπαξ λεγ. in N. F. quanquam νομοθεσία *Romm*. 9, 4. leg. v. 12. μετάθεσις ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 14. ἀνατέλλειν non Paulinum. v. 15. Compositum κατάδηλον incognitum est ceteris N. F. scriptoribus, δῆλος s. φανερός usurpantibus. v. 16. ἀκατάλυτος ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 19. ἐπεισαγωγή ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 20. 21. ὁρκωμοσία non recurrit in N. F. v. 22. ἔγγυος huic epist. proprium. v. 24. ἀπαράβατος ἅπαξ λεγ. in N. F. (nec παραβαίνειν Paulo usitatum.) v. 25. παντελές non Paulinum. v. 26. (13, 4.) ἀμίαντος non Paulinum. v. 27. ἀναφέρειν de *victima offerenda* Paulus non usurpavit. C. *VIII*. v. 2. Christus dic. λειτουργὸς τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς: minister tentorii (templi) *verissimi* i. e. *praestantissimi*. Vocem ἀληθινός *Paulus semel* habet, de uno Deo vero I. *Thess*. 1, 9. *neque eodem sensu*, quo in ep. ad Hebrr. et h. l. et 9, 24. itemque apud *Ioannem* ev. 1, 9. 6, 32. 15, 1. dicitur, de eiusmodi re, quae, quum ad coelum pertineat, sensu perfectissimo (sublimiori) nomine suo gaudeat (cuius typo inserviat res terrestris sic appellata.) — Pro σκηνή quod ep. nostra usurpat (8, 5. 9, 2. 3. 6. 8. 11. 21. 11, 9. 13, 10.) *Paulus* σκῆνος posuit II. *Corr*. 5, 1. 4. v. 13. παλαιοῦν et ἀφανισμός ἅπαξ λεγ. in N. F. γηράσκειν praeter hunc l. tantummodo *Io*. ev. 21, 18. leg. *C. IX*. v. 1. Phrasis τὸ ἅγιον κοσμικόν: *sanctuarium terrestre* huic epistolae peculiaris. κοσμικός similiter usurpatur in una ad *Titum* ep. 2, 12. de cuius origine Paulina disceptatur. v. 5. Phrasis λέγειν κατὰ μέρος ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 7. ἀγνόημα ἅπαξ λεγ. in N. F. quanquam ἀγνοεῖν et Paulo et aliis N. F. auctoribus dic. v. 8. στάσιν ἔχειν ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 10. διόρθωσις in N. F. non recurrit. v. 13. ῥαντίζειν (coll. v. 19. 21. 10, 22.) et καθαρότης ἅπαξ λεγ.

in N. F. quanquam καθαρὸς et Paulo et aliis itemque ῥαντισμὸς I. *Petri* 1, 2. dic. v. 16. φέρεσθαι *hoc sensu:* sermone ferri (constare) alibi non occurrit in N. F. v. 18. (coll. 10, 20.). ἐγκαινίζειν ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 22. αἱματεκχυσία ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 24. ἀντίτυπον praeter hunc l. semel in N. F. I. *Petri* 3, 21. Ib. ἐμφανίζεσθαι *non Paulinum.* v. 26. συντέλεια τῶν αἰώνων, in ev. *Matthaei* aliquoties obvium, *nunquam* apud *Paulum*, qui τὸ τέλος usurpat I. *Corr.* 10, 11. 15, 24. C. X. v. 2. καθαίρειν praeter hunc locum semel in N. F. *Io.* ev. 15, 2. leg. v. 8. ἀνώτερον non Paulinum. v. 9. ἀναιρεῖν saepius quidem in N. F. sensu *interficiendi* (hominem) usurpatur (in sermone quoque *Paulino Actt.* 26, 10.) nunquam, ut h. l. *de tollendis s. abrogandis legibus et institutis*, quam notionem *Paulus* voce καταργεῖν exprimere solet. v. 20. πρόσφατος ἅπαξ λεγ. in N. F. Adverbium προσφάτως *semel Actt.* 18, 2. v. 22. Phrasis: ἀληθινὴ καρδία ἅπαξ λεγομ. in N. F. v. 23. ἀκλινὴς ἅπαξ λεγ. in N. F. *Paulus* dicit: ἑδραῖος s. ἀμετακίνητος. v. 27. ἐκδοχὴ praeter hunc l. non recurrit in N. F. (quanquam ἐκδέχεσθαι), neque φοβερὸς (coll. v. 31. 12, 21.) v. 29. τιμωρία et καταπατεῖν *Paulo* non usitata (nec simplex πατεῖν.) Compositum ἐνυβρίζειν ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 32. ἄθλησις alibi non leg. in N. F. v. 33. Phrasis: τοῦτο μὲν — τοῦτο δὲ et θεατρίζειν ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 34. ὕπαρξις praeter h. l. *semel* (numero quidem plurali) *Actt.* 2, 45. leg. v. 35. ἀποβάλλειν *hoc sensu tropico* (missam facere, s. amittere την παρρησίαν) non recurrit in N. F. v. 37. χρονίζειν *non Paulinum.* C. XI. v. 2. οἱ πρεσβύτεροι hoc sensu: *maiores, proavi* non leg. apud *Paulum.* (Etsi epistolas pastorales Paulinas dixeris, in promtu tamen est, πρεσβυτέρους I. *Tim.* 5, 1. 17. 19. ad *Titum* 1, 5. sensu adhiberi ecclesiastico.). v. 5. ἰδεῖν θάνατον *non Paulinum.* v. 10. τεχνίτης *non Paulinum.* δημιουργὸς ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 12. ἄστρον non usitatum *Paulo*, scribenti ἀστὴρ I. *Corr.* 15, 41. ἀναρίθμητος ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 13. παρεπίδημοι *non Paulinum.* v. 17. ἀναδέχεσθαι *non Paulinum.* v. 22. τελευτᾶν et ἔξοδος apud *Paulum* non obveniunt. v. 23. διάταγμα ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 25. μᾶλλον ἑλόμενος συγκακουχεῖσθαι τῷ λαῷ τοῦ θεοῦ, ἢ πρόσκαιρον ἔχειν ἁμαρτίας ἀπόλαυσιν. Eiusmodi coniunctio verbi αἱρεῖσθαι, sequente infini-

tivo rem quam aliquis elegerit indicante, cum μᾶλλον ἦ, in N. F. non recurrit. Itemque συγκακουχεῖν (ut κακουχεῖν 11, 37. 13, 3.) in hac sola ep. occurrit. v. 26. ἀποβλέπειν απαξ λεγ. in N. F. v. 27. καρτερεῖν hic tantum leg. in N. F. v. 28. πρόσχυσις et ὀλοθρεύων non recurrunt in N. F. quanquam Paulus ὀλοθρευτής habet I. *Corr.* 10, 10. v. 29. διαβαίνειν *non Paulinum.* πεῖραν λαμβάνειν τινὸς (v. 36.) praeterea non dic. in N. F. v. 31. συναπολλυσθαι απαξ λεγ. in N. F. v. 32. Tota phrasis: ἐπιλείψει με διηγούμενον ὁ χρόνος exemplis in N. F. destituitur. Verbum διηγεῖσθαι aliis N. F. scriptoribus, *non Paulo,* usurpatur. v. 33. καταγωνίζεσθαι απαξ λεγ. in N. F. v. 36. ἐμπαιγμός απαξ λεγ. in N. F. Quanquam *Paulus* ἔτι frequenter usurpat, de tempore potissimum, nunquam tamen ἔτι δὲ: *praeterea* s. *immo etiam,* v. 40. προβλεπειν απαξ λεγ. in N. F. *C. XII.* v. 1. νέφος, ὄγκος, εὐπερίστατος, τρέχειν ἀγῶνα, απαξ λεγομενα in N. F. v. 2. ἀφορᾶν *non Paulinum.* τελειωτής απαξ λεγ. in N. F. quanquam τελειοῦν aliaeque voces inde derivatae saepius recurrunt. v. 3. ἀναλογίζεσθαι απαξ λεγ. in N. F. v. 4. αντικαθιστaναι et ἀνταγωνίζεσθαι praeterea non obveniunt in N. F. v. 5. ἐκλανθάνεσθαι et ὀλιγωρεῖν απαξ λεγ. in N. F. διαλέγεσθαι τινι *non Paulinum* (Lucae frequenter usurpatum.) v. 8. νόθος απαξ λεγ. in N. F. v. 10. κατὰ τὸ δοκοῦν απαξ λεγ. in N. F. itemque ἁγιότης (*Paulus* ἁγιωσύνη usurpat.) v. 11. πρὸς τὸ παρὸν απαξ λεγ. in N. F. εἰρηνικὸς in N. F. solus habet *Iacobus* ep. 3, 17. alio quidem sensu et nexu. v. 15. ἐπισκοπεῖν *non Paulinum* (vox Petrina.) ἐνοχλεῖν απαξ λεγ. in N. F. v. 17. μετέπειτα απαξ λεγ. in N. F. ἀποδοκιμάζεσθαι *non Paulinum.* v. 20. διαστέλλεσθαι *non Paulinum.* v. 21. φαντάζεσθαι απαξ λεγ. in N. F. quanquam voces cognatae aliquoties obveniunt. v. 23. πανήγυρις απαξ λεγ. in N. F. v. 28. παραλαμβάνειν βασιλείαν praeterea non leg. in N. F. ἀσάλευτος *Lucas* tantum habet *Actt.* 27, 41. v. 29. καταναλίσκειν απαξ λεγ. in N. F. C. *XIII.* v. 2. ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους. Quanquam λανθάνειν saepius recurrit in N. F. nunquam tamen *hic usus* verbi λανθανειν (suppl. ἑαυτὸν), sequente participio, de eo, qui aliquid *inscius* facit. Neque ξενίζειν *Paulinum* est, etsi Apostolus voces usurpavit cognatas. v. 3. μιμνήσκεσθαι απαξ λεγ. in N. F. itemque συνδεῖσθαι. v. 4.

γάμος non Paulinum neque iis locis N. F. quae hanc vocem exhibent, de ipso die, coniugio. v. 5. ὁ τρόπος hoc sensu (de moribus) non recurrit in N. F. Phrasis ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσιν ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 7. (coll. v. 17. 24.) ἡγούμενοι hoc sensu: doctores s. praefecti in N. F. non recurrit nisi Luc. ev. 22, 26. (simili modo Actt. 14, 12. 15, 22.) nunquam apud Paulum, qui verbum ἡγεῖσθαι alio sensu usurpat. v. 9. Pluralis διδαχαὶ non recurrit in N. F. v. 15. αἰνέσις et καρπὸς χειλέων ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 16. εὐποιΐα ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 17. ὑπείκειν et ἀλυσιτελής non recurrunt in N. F. v. 19. ἀποκαθιστάναι non Paulinum. v. 22. διὰ βραχέων ἅπαξ λεγ. in N. F. v. 23. ἀπολύεσθαι non Paulinum, Lucae frequenter usurpatum. [Consulto noluimus omnia enumerare vocabula in ep. ad Hebrr. obvia, quae vel omnino in N. F. vel in epistolis certe Paulinis desiderantur, quum haud pauca eorum in locis singulis τῶν LXX. diserte laudatis obveniant, alia vero cum rebus ipsis in hac tantum epistola tractatis propius cohaerere videantur.] d) vocabula obveniunt non aliena quidem ab usu dicendi Paulino, attamen ab auctore huius epistolae singulari modo usurpata, v. c. αἰῶνες de mundo 1, 2. 11, 2. Paulus notionem totius rerum universitatis vocibus κόσμος et τὰ πάντα exprimit. ἔχειν peculiari modo de rebus vel Christianismo vel Iudaismo propriis frequenter dicitur, ἔχοντες ἀρχιερέα μέγαν, χρυσοῦν ἔχουσα θυμιατήριον, σκιὰν ἔχων ὁ νόμος etc. 4, 14. 15. 6, 19. 7, 5. 6. 24. 8, 1. 9, 1. 4. 8. 10, 1. 13, 10. al. καθίζειν sensu intransitivo 1, 3. 8, 1. 10, 12. 12, 2. Paulus ubique transitive adhibet. μακροθυμεῖν et μακροθυμία de virtute hominis, qui rem divinitus promissam constanter exspectat 6, 12. 15. Apud Paulum partim de clementia Dei, Romm. 2, 4. 9, 22. partim de mansuetudine hominis erga alios, II. Corr. 6, 6. Gal. 5, 22. Ephh. 4, 2. I. Thess. 5, 14. al. dicitur. Soletque Paulus notionem illam exspectationis patientis atque firmae vocibus tantum πίστις s. ἐλπίς, adiuncto hoc illove praedicato, itemque voc. ἀποκαραδοκία, Romm. 8, 19. Phill. 1, 20. declarare. οἰκουμένη μέλλουσα Hebrr. 2, 5. regnum Dei futurum innuit. Alibi in N. F. dicitur ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, s. αἰὼν μέλλων. οἰκουμένη vero et Paulo (Romm. 10, 18.) et aliis N. F. auctoribus de hoc orbe terrarum usurpatur. φέρειν hoc sensu: conservare et gubernare (Hebrr. 1, 3.) non Paulinum. τελειοῦσθαι et

τελειοῦν quanquam apud *Paulum* de eo adhibetur, qui cursum sibi demensum recte absolvit (*Act.* 20, 24. *Philipp.* 3, 12.) sensu tamen prorsus singulari: *consummare aliquem*, i. q. *talem reddere, qualis esse debeat*, in ep. ad *Hebrr.* frequenter occurrit, 2, 10. 5, 9. 7, 19. 28. 9, 9. 10, 1. 14. 11, 40. 12, 23. e) *plures ex iis vocibus formulisque dicendi, quae Paulo admodum familiares fuerunt, in ep. ad Hebraeos vel desunt vel rarissime leguntur.* v. c. Paulinum illud δικαιοσύνη πίστεως s. ἐκ πίστεως in ep. ad Hebrr. desideratur (semel 11, 7. τῆς κατὰ πίστιν δικαιοσ.) δόξα in epp. Paulinis frequenter de salute gloriosa Christianis parata dictum in ep. ad *Hebrr.* semel *sic* leg. 2, 10. κύριος apud Paulum de *Iesu Christo* admodum frequenter usurpatum, in hac ep. ad Christum raro transfertur, 2, 3. 7, 14. 13, 20. saepissime ad Deum. *Semel* in ep. ad Hebrr. (12, 9.) *Deus* appellatur πατήρ, apud Paulum saepissime. Phrases *Paulo* dilectae: οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, θέλω ὑμᾶς εἰδέναι, γινώσκειν δὲ ὑμᾶς βούλομαι, γνωρίζομεν δε ὑμῖν, itemque: τί δὲ ἐροῦμεν; ἀλλ' ἐρεῖ τις, ἐρεῖς οὖν μοι, μὴ γένοιτο, τί οὖν; τί γάρ; etc. in hac ep. desiderantur. f) *Negare nolumus, elocutioni epistolae ad Hebraeos plura inesse, quae recte Paulina appellentur, nec loca desiderari singula, quae vel ipsius sententiae, vel orationis, vel utriusque conformatione effatis epistolarum Paulinarum simillima appareant.* Cfr. ad *Hebrr.* 1, 2. *Coloss.* 1, 16. I. *Corr.* 8, 6. *Hebrr.* 1, 3. *Coloss.* 1, 15. *II. Corr.* 4, 4. *Hebrr.* 1, 4. *Philipp.* 2, 9. 10. *Hebrr.* 2, 2. *Gal.* 3, 19. *Hebrr.* 2, 8. *Ephh.* 1, 22. I. *Corr.* 15, 27. *Hebrr.* 2, 9. *Philipp.* 2, 8. 9. *Hebrr.* 2, 10. *Romm.* 11, 36. I. *Corr.* 8, 6. *Hebrr.* 2, 14. I. *Corr.* 15, 54. sq. 57. *Hebrr.* 3, 6. *Romm.* 5, 2. *Ephh.* 3, 12. *Hebrr.* 3, 13. *II. Thess.* 2, 10. *Hebrr.* 4, 2. *I. Thess.* 2, 13. *Hebrr.* 5, 12. *Gal.* 4, 3. 9. *Romm.* 3, 2. I. *Corr.* 3, 2. *Hebrr.* 5, 13. sq. *Ephh.* 4, 13. sq. I. *Corr.* 3, 1. 13, 11. 14, 20. *Hebrr.* 6, 9. *Romm.* 15, 14. *Hebrr.* 6, 17. *Romm.* 9, 22. *Hebrr.* 8, 5. *Col.* 2, 17. *Hebrr.* 8, 6. *Gal.* 3, 19. sq. *Hebrr.* 9, 14. *I. Thess.* 1, 9. *Hebrr.* 9, 26. *Romm.* 6, 10. *Hebrr.* 10, 12. sq. I. *Corr.* 15, 25. *Hebrr.* 10, 23. I. *Corr.* 1, 9. 10, 13. II. *Corr.* 1, 18. I. *Thess.* 5, 24. II. *Thess.* 3, 3. *Hebrr.* 10, 30. *Romm.* 12, 19. *Hebrr.* 10, 33. I. *Corr.* 4, 9. *Hebrr.* 11, 12. *Romm.* 4, 19. *Hebrr.* 12, 14. *Romm.* 14, 19. *Hebrr.* 13, 1. 2. *Romm.* 12, 10. 13. *Hebrr.* 13, 18. II. *Corr.* 1, 11. sq. *Ephh.* 6, 19. I. *Thess.* 5, 25. II. *Thess.* 3, 1. *Hebrr.* 13, 19. *Philem.* v. 22. *Verum,*

quum alia permulta eademque graviora deprehendantur, quibus epistola ad Hebraeos a Paulinis differat, ex illa locorum similitudine hoc tantum colligi potest, auctorem epistolae nostrae incognitum vel diligenter legisse epistolas Pauli, vel discipulum huius Apostoli et familiarem fuisse.

§. 86.

Prodierunt autem diversissimae interpretum coniecturae de vero huius epistolae auctore. Cogitarunt quippe de Barnaba [1]), de Luca [2]), de Apollonio [3]), de Clemente Romano [4]), de Sila (s. Sylvano) [5]), aliis vel nihil hac de re definientibus, vel in eo acquiescentibus, quod hominem quendam Iudaeo-Christianum, Alexandrinum, hanc epistolam dicerent exarasse [6]). Nos, quamvis eorum sententia, qui epistolam Apollonio vindicaverint [7]), prae ceteris omnibus arrideat, universe tamen malumus profiteri, scriptorem fuisse Iudaeo-Christianum, auctoritate quadam apud Christianos illius temporis insignem, unum ex familiaribus Pauli, decretorum formularumque philosophiae Alexandrinae, praesertim Philonianae gnarum [8]).

1) *Iosen*, cognomine *Barnabam*, Cyprium, Iudaeo-Christianum, aliquamdiu Pauli socium et comitem (*Actt.* 4, 36. 9, 27. 11, 22. ss. 12, 25. 13, 7. 43. 46. ss. 14, 12. ss. 20. 15, 2. 12. 22. ss. 36. ss. *I. Corr.* 9, 6. *Gal.* 2, 1. 9. 13. *Col.* 4, 10.) auctorem esse huius ep. *Tertullianus* de pudicitia c. 20. confidenter pronuntiavit. *Hieronymus* in ep. ad Dardanum, itemque in catal. scriptt. eccl. c. 5. et *Philastrius* haeres. 89. idem multis probari testati sunt. Ex recentioribus defendunt Chr. *Schmidt* Einl. Vol. II. §. 130. *Ullmann:* theolog. Studien und Kritiken herausgeg. v. *Ullmann* und *Umbreit* 1. B. 2. H. Hamburg, 1828. p. 388. ss. Quodsi epistola illa, quae vulgo (praeeuntibus *Clemente Alex.* stromm. l. 2. p. 373. 375. 396. 410. l. 5. p. 571. 577. Sylb. *Origene* adv. Celsum l. 1. c. 13. de princip. l. 3. c. 2.) Barnabae tribuitur, saepius edita (cfr.

patres apostolici ex ed. *Cotelerii* et recens. Io. *Clerici*, Amstelod. 1724. T. I.) huic Barnabae vindicatur, in promtu est, non posse *eundem* epistolae Hebraeis inscriptae auctorem existimari. Quanquam enim utraque ep. consilio *simili* scripta est, illa tamen, quae Barnabae tribuitur, ab epistola ad Hebraeos data eo potissimum differt, quod haud raro interpretandi rationem allegoricam *artificiosius quaesitam*, argutiis minutiisve indulgentem adhibet, loca V. T. frequenter laudata minus accurata cogitationum serie coniungit, in praeceptis tractandis sermonis indolem gnomicam magis sectatur, orationis denique graecae elegantia et concinnitate epistolae Hebraeis inscriptae cedit. [Authentiam epistolae Barn. vindicare nuperrime studuerunt Ern. *Hencke* comment. de ep. quae vulgo Barnabae tribuitur authentia, Ienae, 1827. 8. *Roerdam* comment. de authentia ep. Barn. Hauniae, 1828. 4.] Sin haec epistola, nomine auctoris destituta, *Eusebio* suspecta (hist. eccl. 3, 25.), *Hieronymo* testante (catal. script. eccl. c. 6.) inter scripturas apocryphas relata, omninoque nonnulla continens (praesertim c. V.) quae viro illi apostolico, Pauli socio, tribui vix possint, ab alio quodam profecta existimatur (vd. *Ullmann* loco supra laud. p. 383. ff. *Neander* allgemeine Geschichte der christlichen Religion und Kirche, 1. B. 3. Abtheilung, Hamburg, 1827. p. 1100. ff.); alia tamen inpediunt, quo minus Barnabam illum epistolam ad Hebrr. exarasse dicamus. a) Barnabae, natalibus quidem Cyprio, attamen Hierosolymis sedem fixam habenti (*Actt.* 4, 37. 9, 27. 11, 22.) parum convenire videtur illa religionis doctrinae et philosophiae Alexandrinae cognitio, cuius vestigia luculentissima et universae docendi rationi, quam epistola ad Hebrr. usurpavit, symbolicae atque typicae inhaerent, et locis singulis interpretationem allegoricam (Alexandrinis familiarem) referentibus (9, 8. 10, 20. 13, 10. ff.), multisque effatis, quae docent, scriptorem *Philonis* opera diligenter legisse. Cfr. *Carpzov* sacrae exercitt. in Pauli ep. ad Hebrr. ex Philone Iudaeo, Helmst. 1750. 8. *Eichhorn* Einl. 3. B. 2. H. p. 442. ff. *Bleeck* in l. saepius l. p. 398. ff. *Baumgarten-Crusius:* coniecturae de origine ep. ad Hebrr. Ienae, 1829. p. 19. sq. b) *Oratorem* sese gessit auctor epistolae ad Hebrr. vd. §. 85. De *eloquentia Barnabae* ex libris N. F. nihil compertum habemus, quamvis, quae *Actt.* 4, 36. exhibetur, nominis eius interpretatio omnino ostendat, eum de Christianis *recte edocendis* egregie meritum esse.

Paulus dicendo praevaluit, Actt. 13, 9. ff. 16. ff. 14, 9. 12. [Nolim urgere, quod V. *Mynster* praeterea monuit: theolog. Studien und Kritiken herausgeg. von *Ullmann* und *Umbreit*, 2. B. 2. H. Hamburg, 1829. p. 331. argumentum primarium epistolae ad Hebrr. parum accommodatum videri Barnabae, qui olim Christianis ad Iudaismum proclivioribus nimis indulserit, ad *Gal.* 2, 13. Fieri utique potuit, ut posthac animum suum magis conformaret ad persuasionem Paulinam.) Ceterum ex loco *Tertull.* laud. hoc certe effici nequit, traditionem quandam de Barnaba epistolae Hebraeis inscriptae auctore *illo tempore multis* innotuisse, quum *Origenes* (apud *Euseb.* h. e. 6, 25.) hac de re nihil dixerit. Cfr. quae huic sent. opposuerunt *Michaelis* Einl. T. II. p. 1395. ff. *Eichhorn* Einl. 3. B. 2. H. p. 466. ff. *Bertholdt* Einl. T. 6. p. 2946. ff. *Bleek* in l. saepius l. p. 413. ff.

2) De *Luca* interprete *graeco* epistolae, quam Paulus sermone *hebraico* s. *aramaico* usus ad Hebrr. dedisset, cogitavit *Clemens Alex.* vd. *Euseb.* hist. eccl. 6, 14. Idem posthac alios probasse testantur *Euseb.* h. e. 3, 38. *Hieron.* catal. scriptt. eccl. c. 5. *Euthalius* S. V. (vd. *Zacagni* collectanea monumentorum vett. ecclesiae gr. Rom. 1698. p. 668. ff.) *Io. Damascenus* Opp. ed. le Quien T. II. Paris. 1712. p. 258. Defendit nuperrime *Hug* Einl. ed. III. §. 149. Traditionis Lucam simpliciter *auctorem* huius ep. perhibentis mentionem fecit *Origenes* (cuius sententiam supra §. 81. nota 3. ex. cognovimus) apud *Euseb.* h. e. 6, 25. Eadem fuit persuasio *Artemonii* in l. initium evangelii Io. restitutum p. 98. et *Grotii* adnotatt. in N. T. prolegg. ad hanc ep. Nec mirum videri potest, quod epistolam graecitate sua et perspicuitate orationis insignem Lucae vindicaverint (cfr. de sermone *Lucae* observata §. 34. nota 10.) praesertim, quum in ep. ad Hebrr. permultae voces ac formulae loquendi obveniant, quae apud ceteros N. T. auctores, *praeter scripta Lucae et epistolam ad Hebrr.* vel omnino non legantur, vel rarius certe appareant, v. c. ἱλάσκειν, βοηθεία, αἴτιος, πατριάρχης, παντελής, ἀνώτερος, προσφάτως, ἄστρον, ἀστεῖος, ἀφορᾷν, σαλεύοντες, ἀπαλλάσσειν, μέτοχος, εὐαγγελίζεσθαι (hoc s. accipere nuntium laetum), εὔθετος, τελείωσις, λύτρωσις, διαβαίνειν, διαλέγεσθαι, etc. Attamen, quam epistola nostra refert, diligentia in collocatione verborum, totiusque sermonis indoles oratoria, eandem non praestitit Lucas. Deinde ex

iis vocibus phrasibusque bene graecis, quae in *una* ad Hebrr. ep. usurpantur, haud paucae ita sese habent, ut doceri omnino nequeat, *Lucae* nullam fuisse opportunitatem easdem adhibendi in evangelio et Actis App. Denique ex argumento et consilio epistolae ad Hebrr. patet, scriptam esse ab homine natalibus Iudaeo. Lucas haud dubie extra Palaestinam natus fuerat *parentibus ethnicis*. Vd. §. 31. Cfr. quae huic sententiae opposuerunt *Eichhorn* Einl. 3. B. 2. H. p. 464. ff. *Bertholdt* Einl. T. VI. p. 2954. ff. *Boehme* in comment. laud. prolegg. p. XXXVII. ff. *Bleek* l. l. p. 405. ff.

3) *Apollonio* s. Apollini (de quo cfr. §. 54. nota 8.) post *Lutherum* comment. in *Genes.* 48, 20. serm. de sectis I. *Corr.* 3, 4. explic. *Hebrr.* 1, 1. 11. (Opp. Lutheri ed. Walch. T. I. p. 2776. T. XII. p. 1996. p. 204.) hanc epistolam plures vindicarunt: *Clericus* histor. eccles. p. 459. Laurent. *Müller* diss. de eloquentia Apollinis viri apostolici, Schleusing. 1717. *Ziegler* vollständige Einleitung in den Brief an die Hebr. Göttingen, 1791. 8. p. 255. ff. *Anon.* exegetische Bruchstükke, zweiter Prodromus etc. Leipzig und Rostock, 1812. 8. Selecta e scholis Valquenarii ed. *Wassenbergh*, T. II. Amstelod. 1817., p. 351. *Bleek* l. l. p. 423. ff., Admodum probabilem coniecturam existimat *De Wette* Einl. p. 296.

4) *Clementem Romanum* (quem plerique intelligi existimant loco ep. ad *Philipp.* 4, 3.) alii auctorem ep. ad Hebrr. fuisse coniecerunt, testantibus *Origene* apud *Euseb.* h. e. 6, 25. *Philastrio* haeres. 89. alii interpretem certe graecum vel sententiarum quas ille ex Pauli sermonibus accepisset, vel epistolae Pauli hebraice s. aramaice exaratae, vd. *Hieron.* catal. scriptt. eccl. c. 5. et ep. ad Dardanum, *Euseb.* h. e. 3, 38. *Theodoretus* Opp. T. III. ed. Nösselt. p. 544. *Euthalius* (*Zacagni* in libro nota 2. laud. p. 523. ff.) Io. *Damascenus* Opp. ed. le Quien T. II. Paris. 1712. p. 258. Ex recentioribus cfr. *Erasmus* adnotatt. in N. T. Basil. 1509. p. 517. Quanquam Clementis Romani epistola *I.* ad Corr. sive sententias pertractatas, sive dicendi rationem spectaveris, omnino habet, quo similis appareat epistolae ad Hebraeos, haud pauca tamen animadvertimus, quibus utraque ab altera differat, desideramusque in epistola Clementis et illam, quae epistolam ad Hebraeos insignivit, doctrinam Alexandrinam, et illas verborum comprehensiones, ornatumque sermonis

Consensus locorum quorundam propemodum verbalis (*Clementis* ep. c. 9. *Hebrr.* 11, 5. 7. *Clem.* c. 12. *Hebrr.* 11, 31. *Clem.* c. 17. *Hebrr.* 11, 37. *Clem.* c. 36. *Hebrr.* 6, 4. 1, 3. 4. 5. 7. 13. 4, 15. sq. *Clem.* c. 45. *Hebrr.* 11, 32. ss.) multo potius addicit sententiae eorum, qui ex usu epistolarum Paulinarum apud Clementem frequenter obvio recte colligunt, eum lubenter effata epistolae ad Hebrr. suae inseruisse. Cfr. *Bertholdt* Einl. T. VI. p. 2957. ss. *Bleek* l. l. p. 410. ss.

5) Coniectura de *Sylvano* epistolae auctore, recentius pluribus probata (vd. *Boehme* in comment. laud. prolegg. p. XLI. ss. *Mynster* kleine theol. Schriften, Kopenh. 1825. p. 133. ss. *Idem:* theol. Studien und Kritiken herausgeg. v. *Ullmann* und *Umbreit*, 2. B. 2. H. p. 344. ss.) habet profecto, quo magnopere commendetur, quum vir ille apostolicus et familiaritate Pauli ac Timothei usus fuerit (*Actt.* 15, 40. ss. 16, 19. ss. 17, 4. 14. sq. 18, 5. *II. Corr.* 1, 19. I. *Thess.* 1, 1. II. *Thess.* 1, 1.) et auctoritate insignis (cfr. historia *Actt.* 15, 22. ss. enarrata, itemque loca, ubi Sylvanus ac Timotheus ita commemorantur, ut ille locum teneat priorem, *Actt.* 17, 14. sq. 18, 5. II. *Corr.* 1, 19. al.) liceatque omnino ex *Actt.* 15, 22. colligere, pertinuisse illum ad ecclesiam Hierosolymitanam. [Cfr. §. 83. nota 5. ex.] Obstat, quod huius Sylvani *eloquentia* in libris N. F. nunquam laudatur. Quod V. *Boehme* l. l. ex I. *Petri* ep. 5, 12. acute coniecit, Sylvanum epistolam Petrinam aramaice consignatam in sermonem graecum transtulisse, ideoque, quum elocutio graeca epistolae Petrinae sermoni in ep. ad Hebrr. usurpato similis appareat, recte etiam auctorem haberi epistolae Hebraeis inscriptae, argumentis idoneis destituitur. Nihil quippe inpedit, quo minus locum Petrinum ita intelligamus, ut Petrus per Sylvanum epistolam lectoribus suis *misisse* existimetur. (Cfr. de voc. διὰ *Actt.* 15, 23.) Nec *tanta* apparet sermonis epistolae ad *Hebrr.* illiusque *Petrinae* similitudo, ut eundem prodat auctorem. Cfr. Censor commentarii *Boehm.:* Hallische allgem. Litter. Zeit. 1826. N. 131. p. 212. *Bleek* l. l. p. 408. ss.

6) Cfr. ex recentioribus *Eichhorn* Einl. 3. B. 2. H. p. 442. ss. *Bertholdt* Einl. T. VI. p. 2965. *Cludius* Uransichten des Christenthums, Altona, 1808. p. 262. ss. *Seyffahrt* comment. §. 32. nota 2. laud. Etsi hoc effici nequeat, auctorem epistolae *natalibus* fuisse Alexandrinum, et Ale-

xandriae scripsisse epistolam (cfr. observata Censoris isagoges Eichhornianae: Wiener Litter. Zeitung a. 1816. N. I.) facile tamen agnoscimus scriptorem doctrina alexandrina inbutum. Vd. nota 1.

7) De *Apollonio* quippe *Alexandrino* (*Actt.* 18, 24.) constat, eum prodiisse quidem ex disciplina Paulina (*Actt.* 18, 25. sq.) attamen non omnino eandem, quam Paulus sequeretur, docendi rationem adhibuisse, eiusque singularis praedicatur *facundia*, dexteritati litteras sacras interpretandi coniunctissima, *Actt.* 18, 24. sq. I. *Corr.* 1, 12. 3, 4. ss. 22. Quum satis mature, in Achaiam profectus, praesertim ad *Iudaeos* de Christo edocendos animum appulisset (*Actt.* 18, 28.), licet etiam satis probabiliter coniicere, eundem aliquando Palaestinam adiisse, illisque coetibus accuratius innotuisse.

8) Quod nuper ingeniose et erudite coniecit S. V. *Baumgarten-Crusius:* conjecturae de origine ep. ad Hebrr. Ienae, 1829. 4. *epistolas Pauli ad Ephesios et Colossenses, coniunctas*, ab aliquo disciplinae Paulinae alumno, per epistolam Hebraeis inscriptam *recensitas esse atque expositas*, ut partim sententiae illarum epistolarum uberius describerentur hominibus Iudaeo-Christianis, eorumque ingenio aptarentur, partim nonnulla mitigarentur et vindicarentur, in quibus Iudaeo-Christiani offenderent, id facile mihi quoque persuaderetur (praeeunte potissimum similitudine locorum: *Hebrr.* 1, 1—3. ss. *Col.* 1, 15—18. *Ephh.* 1, 20. ss. *Hebr.* 4, 12. sq. *Ephh.* 6, 17. *Hebrr.* 8, 5. 10, 1. *Col.* 2, 17. *Hebrr.* 10, 22 ss. *Ephh.* 5, 26. sq. *Hebrr.* 10, 25. *Ephh.* 5, 19. *Col.* 3, 16. *Hebrr.* 13, 8. 9. *Ephh.* 4, 13. 14.) nisi et oeconomia illarum epp. universe spectata ab ordine sententiarum in ep. Hebraeis inscripta tractatarum nimis differret (cfr. §. 62. nota 4. §. 79. nota 5.) et plura effata epistolarum ad Col. et Ephh. ab Auctore V. laudata ex mea quidem persuasione cum locis ep. ad Hebrr. nexu tantum remotiore cohaererent (v. c. *Hebrr.* 3, 2—6. ubi οἶκος θεοῦ commemoratur, de *familia* potissimum Dei sermo est, quum Paulus *Ephh.* 2, 19—22. notionem *aedis* divinae, templi Deo consecrati persequatur. Locus *Ephh.* 5, 2. quanquam breviter tangit, quae veluti germina doctrinae de sacerdotio Christi in ep. ad Hebrr. propositae dici possint, nec simpliciter ἱερέα, nec ἀρχιερέα Christum appellat. Quae de angelis proferuntur *Hebrr.* 2, 16. *Ephh.* 3, 10. quodammodo tantum co-

guata dixerim, itemque praecepta *Hebrr.* 8, 8—19. *Ephh.* 4, 30. *Hebrr.* 5, 12. ss. 6, 1. *Col.* 1, 28. 2, 2. *Ephh.* 5, 10.) Praeterea in utraque Pauli ep. plura obveniunt, quibus nihil *accurate* respondeat in ep. ad Hebraeos, v. c. decretum gratiae divinae aeternum, hucusque reconditum (μυστήριον) per Christum eximie patefactum esse, *Ephh.* 1, 8—12. 3, 5. 9—11. *Col.* 1, 26. sq. 2, 2. per fata et instituta Christi, praesertim reditum eius ex mortuis, omnipotentiam Dei eiusdemque gratiam liberam omnibus innotescere, *Ephh.* 1, 19. sq. 2, 4—9. 3, 20. cfr. *Col.* 1, 18. coetum Christianum aedi divinae similem esse *Ephh.* 3, 18. itemque corpori, cuius κεφαλὴ Christus exstiterit, *Ephh.* 4, 15. sq. *Col.* 2, 19. diversissima dona ac munera Christianorum ad unum eundemque finem spectare primarium *Ephh.* 4, 7—13. Christum veluti habitare in animis suorum *Ephh.* 3, 17. veros Christi cultores immotos stare in Christo, s. in amore, s. in persuasione vera *Ephh.* 3, 18. *Col.* 1, 23. 2, 7. cum Christo veluti sepultos esse et vitae restitutos, *Col.* 2, 12. hominem veterem exuisse, novum induisse, *Col.* 3, 9. ss. denique praecepta, quae ad *singula* hominum genera descendunt, *Ephh.* c. 5. 6. *Col.* c. 3. 4. Certius dixerim, sententias illarum Pauli epistolarum auctori ep. ad Hebrr. saepius ante oculos esse obversatas.

§. 87.

De tempore, quo haec epistola exarata fuerit, parum consentiunt interpretes [1]). Etsi de anno non audeamus certius quidquam definire, universe tamen, praeeuntibus vestigiis, quae in ipsa epistola obveniunt, verissime adfirmamus, scriptam esse intra annum 62. et 70. priusquam templum Hierosolymitanum dirueretur [2]). De loco nihil constat, nisi, scriptorem neque in Italia [3]), neque in Palaestina [4]) fuisse, quum epistola consignaretur. Quo minus vero ab ipso auctore hebraice sive aramaice scriptam, deinde per alium graece translatam cum pluribus scriptorum veterum [5]) existimemus, argumenta prohibent interna,

ex toto dicendi genere [6]), variisque locis et vocibus ſingulis [7]) depromta.

1) Plerique eorum, qui originem ep. *Paulinam* afferunt, vel de captivitate Pauli Romana, vel de tempore liberationem P. ex captivitate proxime inſequuto cogitaverunt, ad effata 10, 34. 13, 18. ſq. 24. (de quibus cfr. §. 85. nota 4. 5.) provocantes. Quanquam nec defuerunt, qui, de locis laudd. aliter ſentientes, dudum ante captivitatem Rom. ſcriptam coniicerent, v. c. *Storr* in comment. §. 80. nota 4. laud. *Noeſſelt* in opuſcc. ib. laud. *Semmler* Beiträge zur genaueren Einſicht des Hebr. Briefs in *Baumgarten* Erklärung dieſes Briefs, Halle, 1763. 4. Maior eſt diſſenſus eorum, qui Paulum auctorem agnoſcere nolunt.

2) Originem epiſtolae ad eam aetatem referri non poſſe, qua Apoſtoli *initium* facerent coetus Chriſtianos in Palaeſtina colligendi, loca docent 2, 3. 5, 12. 10, 32. 13, 7. Eadem vero perſpicuitate cognoſcimus, cultum templi Hieroſolymitani incolumem adhuc ſtetiſſe, quum haec epiſtola ſcriberetur. 8, 4. 9, 6—10. (cfr. praeſertim v. 9. εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα, καθ᾽ ὃν δῶρά τε καὶ θυσίαι προσφέρονται), 13, 11—13. Praeter eas perſequutiones, quas Chriſtiani, quibus epiſtola mittitur, *olim* perpeſſi fuiſſent, 10, 32. ſſ. (vd. §. 80. nota 3.), c. 12, v. 1—13. eiusmodi vexationum mentio facta eſt, quibus *tum temporis* obnoxii eſſent. His lucem adfundit, quod *Ioſephus* antiquitt. Iudd. l. 20. c. 9. §. 1. de pluribus Chriſti cultoribus Hieroſolymitanis (in quibus eſſet Iacobus minor) auctoritate Anani, ſacerdotis ſummi, lapidatione occiſis perhibuit. Unde ſatis probabiliter colligere licet, Iudaeo-Chriſtianos Palaeſtinenſes iterum vexationem ſuſtinuiſſe *a.* 62. poſt C. N. (Cui ſententiae non contradicere locum ep. 12, 4. §. 80. nota 3. vid.) — Quodſi Timotheus ille, qui 13, 23. vinculis exſolutus dicitur, idem exiſtimatur, quem Paulus II. *Tim.* 4, 21. cohortatus eſt, ut ipſum vinculis Romae detentum viſitaret, coniici poſſit, hunc Timotheum, propter familiaritatem quae ipſi cum Paulo intercederet, poſtquam Romam veniſſet, eandem captivitatis ſortem ſubiiſſe, eumque, liberatum, poſt martyrium Pauli, alii cuidam doctori Chriſtiano (auctori huius ep.) ſe comitem adiunxiſſe; dummodo *duplicem* agnoverimus Pauli captivitatem Romanam (§. 48, §. 74.) Sequitur, his

probatis, epistolam *post obitum Pauli* (§. 48.) scriptam esse, anno demum 68. aut 69. quo tempore bellum Iudaicum exarsisset. Quae sententia hac una difficultate premitur, quod in ipsa ep. parum perspicua appareant eiusmodi temporis *turbulenti* vestigia.

3) Subscriptio *vulgaris* epistolae: πρὸς Ἑβραίους ἐγράφη ἀπὸ τῆς Ἰταλίας διὰ Τιμοθέου (quae verba postrema δια Τιμ. loco ep. 13, 23. plane contradicunt) ex interpretatione perversa verborum 13, 24. originem duxit. Illi quippe οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, quorum nomine auctor lectores salutat, ex usu loquendi (vd. *Matth.* 15, 1. coll. *Marc.* 7, 1.) minime dicc. Christiani *illo tempore una cum auctore epistolae in Italia versantes*, sed *ex Italia oriundi, tum temporis extra terram illam, eo quidem loco, ubi haec epistola scripta est, vitam degentes.* Proinde locus laud. 13, 24. et subscriptioni repugnat, et *Chrysostomo* (praefat. homiliarum in ep. ad Romm.) atque *Theodoreto* (Opp. T. III. edit. Nösselt. p. 7.) epistolam *Romae* scriptam perhibentibus.

4) Auctorem, quum haec epistola Iudaeo-Christianis Palaestinensibus mitteretur, extra Palaestinam fuisse, effata docent 13, 19. ἵνα τάχιον ἀποκατασταθῶ ὑμῖν, et v. 23. μεθ' οὗ (Τιμοθέου) ὄψομαι ὑμᾶς. — De coniecturis probabilibus vd. *Bleek* l. l. p. 436.

5) *Clemens Alex.* apud *Euseb.* h. e. 6, 14. *Eusebius* h. e. 3, 38. *Hieron.* catal. script. eccl. c. 5. *Theodoretus* Opp. T. III. ed. Nösselt. p. 544. *Euthalius* (*Zacagni* collectanea monumentorum vett. eccl. gr. p. 668.) *Primasius* praef. comment. ad hanc ep. *Io. Damasc.* Opp. ed. le Quien T. II. Paris. 1712. p. 258. *Theophylact.* comment. in c. 1. ep. Diversitatem quippe elocutionis graecae epistolae ad Hebrr. ceterarumque Paulinarum hac ratione probabiliter explicari plures doctorum eccl. antiquiorum existimaverunt, vd. *Orig.* apud *Euseb.* h. e. 6, 25. Eandem coniecturam probaverunt *Hallet* differt. de auctore et lingua originali ep. ad Hebrr. apud *Wolfium:* curae philol. et crit. in N. T. T. IV. et *Michaelis* Einl. Vol. II. ed. IV. p. 1359. ff. In promtu est, huic argumento vim nullam tribui posse, nisi Paulum auctorem existimaveris. Vidimusque §. 80. nota 3. ex. epistolam *graece* exaratam Iudaeo-Christianis Palaestinensibus mitti omnino potuisse.

6) Parum recte intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut, qui epistolam aramaice scriptam graece transferret, eiusmodi diligentia, qualem in ep. ad Hebrr. animadvertimus, et hebraismos evitaret, et membra singula periodosve necteret.

7) Huc pertinent, quae §. 84. de usu versionis LXX. observata sunt. Nec raro auctor ep. ad Hebrr. ad effata V. T. ita *alludit*, ut pateat, eum non textum hebraicum, sed verba graeca τῶν LXX. ante oculos habuisse, 3, 2. 17. 6, 13. 7, 1. sq. 10, 3. 7. ss. 11, 5. 8. 12. 13. 21. 23. sq. 28. 12, 12. 13. 15. 29. 13, 11. 18. Obveniunt item vocabula graeca composita, eiusmodi notionibus brevitate summa enuntiandis aptissima, quae in lingua quidem hebraica s. aramaica nequeant, nisi amplioribus dicendi formulis, exprimi (v. c. πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, ἀπαύγασμα, μετριοπαθεῖν, δυσερμήνευτος, ἕξις, ἀνασταυροῦν, εὐπερίστατος, etc.) et paronomasiae, quae manifesto auctorem prodant *sua* proferentem, nec aliena vertentem, 2, 8. 5, 8. 14. 7, 3. 19. 22. sqq. 8, 7. 8. 9, 10. 28. 10, 29. 34. 38. sq. 11, 27. 13, 14. Cfr. Fr. *Spanheim* de auctore ep. ad Hebrr. Heidelb. 1659. *Braun* comment. laud. prolegg. p. 21. ss. *Carpzov* exercitt. laudd. p. LXXXI. ss. *Cramer* comm. Einl. *Storr* comment. laud. §. 12. 13. *Ziegler* vollständ. Einl. (§. 86. nota 3. l.) p. 187. ss. 227. ss. G. *Neidel* dissert. (sub praesidio *Semmleri* defensa) quod graece epistolam ad Hebrr. Paulus exaraverit adfirmans, Halae, 1761. 4. *Hug* Einl. T. II. p. 420. ss. ed. II. *Eichhorn* Einl. 3. B. 2. H. p. 498. ss. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 2971. ss. *Bleek* Einl. p. 6. ss.

Interpretationi epistolae ad Hebrr. *praeter multos eorum*, qui ad §. 49. sub finem notae 21. laudati sunt, hi inserviunt: Ion. *Schlichting* comment. in ep. ad Hebr. Racov. 1634. 8. Phil. a *Limborch* commentarius in Acta App. et in epp. ad Romanos et Hebrr. Roterod. 1711. fol. *Carpzov* Uebersetzung des Briefs an die Hebräer mit philol. und theol. Anmerkungen, Helmstädt, 1795. 8. Dav. *Michaelis* Erklärung des Briefs an die Hebräer, Frankfurt und Leipzig, 1780. 4. 2 Th. ed. II. Ad. *Struensee* Erklärung des Briefs an die Hebr. Flensburg, 1763. 4. Der Brief an die Hebr. übersetzt von *Morus*, Leipz. 1786. 8. ed. III. Fr. *Hezel* neuer Versuch über den Brief an die Hebr. Leipzig, 1795. 8. *Zachariae* paraphrast. Erklärung des Briefs an die Hebr. von neuem herausgeg.

und mit Anmerkungen vermehrt von K. *Rosenmüller*, Göttingen und Leipzig, 1793. 8. A. *Ernesti* lectiones academicae in ep. ad Hebrr. ed. *Dindorf*, Lipſ. 1795. 8. itemque ſcripta, quae huc pertinent, exegetica Io. *Gerhardi*, A. *Crameri*, *Carpzovii* (exercc. ſſ.), *Braunii*, *Baumgartenii*, *Schmidii*, *Storrii*, *Heinrichſii*, Dav. *Schulzii*, *Böhmii*, *Valquenarii*, quae ſupra §. 82. nota 1. §. 86. nota 1. et nota 3. ex. §. 80. nota 2. et 4. commemoravimus. [Ex his potiſſimum Limborchii, Braunii, Carpzovii, Crameri, Michaelis, Mori, Schmidii, Storrii, Heinrichſii, Schulzii, Boehmii opera commendanda.] *Iſagogen* in hanc ep. ſeparatim illuſtraverunt, quos paſſim §. 79. nota 3. §. 80. nota 3. et 4. §. 82. nota 1. §. 86. nota 1. et 3. laudavimus.

ISAGOGES SPECIALIS

PARTIS SECUNDAE CAPUT TERTIUM.

DE EPISTOLIS CATHOLICIS.

§. 88.

Exhibentur in codice noſtro N. F. ſeptem epiſtolae, una Iacobi, duae Petrinae, tres Ioanneae, una Iudae, a ſaeculo inde IV. communi appellatione comprehenſae; ἐπιστολαὶ καθολικαὶ [1]). De vera huius formulae ſignificatione, ex uſu loquendi aliquid indicantis, quod ad multitudinem quandam ſive univerſitatem pertineat [2]), magnopere diſſentiunt [3]) interpretes, quorum plures veriſſime intellexerunt [4]), vocem καθολικὸς apud ſcriptores eccleſiae antiquioris non uno eodemque ſenſu uſurpatam eſſe. Prioribus quidem ſaeculis καθολικη dicebatur epiſtola vel Chriſtia-

nis omnibus, vel pluribus diversorum locorum coetibus scripta (encyclica) [5]. Attamen huic notioni facile adnectebatur altera eiusdem vocabuli potestas, aevo certe Eusebii cognita, qua epistolam innuit, quae vel in tota ecclesia, vel in multis Christianorum coetibus diversorum locorum propter argumenti utilitatem atque dignitatem diligenter legi et publice recitari soleat [6]. Seriori tempore, quum omnes illae septem epistolae canoni adscriptae fuissent, vocabulum: epistolae catholicae, origini quoque earum apostolicae significandae inserviisse videtur [7]. Denique terminus exstitit technicus, quo collectio tota harum epistolarum, quae pridem iisdem codicibus ecclesiasticis coniungi coepissent, a collectione epistolarum Paulinarum distingueretur [8].

1) *Euseb.* hist. eccl. 2, 23. ex. 6, 14. in. *Cyrillus* Hierosol. catech. IV. §. 36. Auctor (S. IV.) libri: iambi ad Seleucum in *Gallandi* biblioth. patrum T. 6. p. 495. *Hieron.* ad Paulinum de studio scripturarum T. IV. Opp. P. 2. p. 568. ed. Bened.

2) De voc. καθολος (totum aliquod, s. omnes omnino) et adverbio καθόλου cfr. v. c. *Diod. Sic.* 17, 13. *Xenophon* de re equestri c. 8. §. 1.

3) Alii quippe καθολικαι idem esse volunt q. *canonicae*, *apostolicae*, s. ὁμολογουμέναι. Vd. *Nässelt* coniecturae ad historiam catholicae Iacobi ep. in eius opusc. fascic. II. *Ziegler* comment. de sensu nominis epistolarum cathol. adiecta commentationi *Dahlii* de αυθεντια epistolarum Petri II. atque Iudae, Rostoch. 1807. 4. Existimant quippe, hoc vocabulum eo, quem dicunt, sensu, initio quidem de I. tantum Petrina et I. Ioannea (vel etiam de ep. Iudae) usurpatum, seriori tempore ad ceteras quoque transiisse. Cfr. quae his opposuit *Bertholdt* Einl. Vol. I. p. 221. Alii hanc vocem simpliciter omnibus iis, quae praeter Paulina consignata fuissent, Apostolorum scriptis epistolicis communi nomine comprehendendis inserviisse putant. *Hug* Einl. T. II. ed. II. p. 451. ff. Alii eiusmodi episto-

iam sub καθολικη intelligi maluerunt, quae cum doctrinae formula orthodoxa s. catholica consentiat, eamve argumento suo adiuvet, v. c. *Schmidt* Einl. T. II. §. 134. Alii huic praedicato idem fere inesse censuerunt, quod vocab. epistola *encyclica* indicetur. Vd. *Oecumenius* prolegg. in ep. Iacobi Opp. T. II. p. 439. Paris. 1631., *Leontius* de sectis c. 2. *Michaelis* Einl. Vol. II. p. 1404. ss. ed. IV.

4) *Eichhorn* Einl. 3. B. 2. H. p. 556. ss. *Bertholdt* Einl. Vol. I. p. 216. ss. *Pott* prolegg. in epp. catholicas in comment. infra laud. *De Wette* Einl. p. 299. ss.

5) *Clemens Alex.* stromm. I. 4. p. 512. Sylb. ubi καθολικὴ dic. epistola illa (*Act.* 15, 24. ss.) auctoritate Apostolorum Ethnico - Christianis Antiochenis, itemque in Syria et Cilicia versantibus scripta. (Quae nonnullis h. l. probatur illius praedicati interpretatio: epistola omnium Apostolorum opera sive consensu scripta, exemplis certe destituitur.) *Origenes* contra Celsum l. 1. c. 63. *Barnabae* epistolam eodem sensu dicit καθολικην. Nec aliter intelligi potest significatio eiusdem vocab. loco *Apollonii* apud *Euseb.* h. e. 5, 18. testantis, *Themisonem* Montanistam Apostolum quendam (Ioannem, cuius epistola prima multis certe haberetur encyclica, Christianis vel omnibus, vel Asiaticis diversorum locorum scripta) ita imitatum esse, ut et ipse epistolam scriberet καθολικην. [Quo minus epistolam intelligamus fidem catholicam argumento suo adiuvantem, inpediunt omnino, quae l. l. de hoc Themisone dicuntur.]

6) *Euseb.* h. e. 4, 23. καθολικας appellat epistolas *Dionysii*, episc. Corinth. in quibus *plures* fuerunt *non encyclicae*, sed coetibus singulis (Atheniensi, Lacedaemonio, etc.) inscriptae. Quanquam lubenter profiteor, *potuisse* illas propterea hoc praedicato insigniri, quod fidem orthodoxam adiuvarent, malim tamen cum *De Wettio* (p. 300.) eam, quae in §. indicata est, vocabuli interpretationem praeferre, Eusebio ipso praeeunte, quippe qui l. l. de Dionysio praedicat, eum non de Corinthiis tantum, sed etiam de aliis Christianis egregie meritum esse, eiusmodi epistolis scribendis, quae Christianis omnibus utilitatem summam praestarent. Idem valet de loco *Eusebii* h. e. 3, 3. ubi scripta quaedam apocrypha, sub nomine Petri venditata, nunquam fuisse dicuntur εν τοις καθολικοις, haud dubie hoc sensu: nunquam in coetibus Christianis publice usurpata et recitata (opponuntur quip-

pe l. l. secundae Petri epistolae, quae pridem inter Christianos propter magnam argumenti utilitatem *diligentissime lecta* fuerit, etsi eam non agnoverint γραφὴν ἐνδιάθηκον.) Sed haec vocab. significatio probe distinguenda est a notione epistolae *canonicae*, cuius *originem apostolicam* omnes agnoverint. Quo quidem sensu praedicatum καθολικαι ipsius Eusebii aetate *nondum* usurpatum esse, loca docent *Eusebii* h. e. 2, 23. ex. 6, 14. in. Non dubitavit enim l. l. omnes illas septem epistolas appellare καθολικας, quanquam ipse ibidem profitetur, Iacobi et Iudae epistolas, in plurimis quidem coetibus publice usurpatas, iis adnumerandas esse, quarum origo apostolica fuerit inpugnata. Cfr. etiam locus *Euseb.* h. e. 3, 3. supra illustratus. Neque contrarium demonstrant effata *Origenis* apud *Euseb.* h. e. 6, 25. itemque comment. Or. in Matth. T. XVII. Vol. III. p. 797. ed. de la Rue, et comm. in Io. T. II. Vol. IV. p. 76. coll. fragmm. comm. in Io. Vol. IV. p. 95. Nexus quippe sententiarum locis laudd. minime ita se habet, ut epistola καθολικη iis, quae *non sint* ὁμολογουμεναι, neque γνησιοι, *opposita* existimari debeat. Nil prohibet, quo minus et apud *Origenem* (quum de I. Petrina et I. Io. loquatur) notionem epistolae encyclicae teneamus (vd. nota 5.), et apud illum, cuius effata *Euseb.* h. e. 7, 25. protulit, *Dionysium Alexandrinum*, ubi omnino nulla est oppositio praedicati φερομενη (quod Eusebius ipse h. e. 3, 25. de prima Io. ep. inter ὁμολογουμενα relata adhibet) et epistolae catholicae, tanquam canonicae. — Ceterum, quomodo factum sit, ut praeter epistolam I. Ioanneam etiam II. et III. (*non encyclicae*) epistolarum καθολικων nomine (olim quidem encyclicas indicante) comprehenderentur, facile intelligitur ex similitudine, quae utrique epistolae brevissimae cum I. Io. intercedit, praesertim, quum non defuerint, qui illud ἐκλεκτῇ κυρίᾳ II. Io. v. 1. de *ecclesia* interpretarentur.

7) *Cassiodorus* S. VI. institut. divinarum litt. c. 8. Apud *Theodoretum* quoque T. V. Opp. ed. Nösselt. p. 924. ἐπιστολαι καθολικαι ita usurpari videtur, ut universe distinguantur ab epistolis Pauli, cuius locus antea fuerat laudatus.

8) De epp. catholicis *universe* conferendi sunt, earumque interpretationi rectae inserviunt (praeter plures eorum interpretum, quos §. 49. ad finem notae 21. n. 2. comme-

moravimus): *Didymi* Alex. (Saec. IV.) enarratio in epp. catholl. (*Lücke* commentatio critica: quaestiones ac vindiciae Didymianae, sive Didymi Al. enarratio in epp. cath. latina graeco exemplari magnam partem e graecis scholiis restituta, part. prima, Gott. 1829. 4.) *Euthalii* (Saec. V.) comment. in Acta, quatuordecim epp. Pauli et epp. cathol. per *Zacagninum* Romae, 1698. *Conr. Hornii* in septem epp. cath. expositio litteralis, Brunsvigae, 1652. 54. 2. Voll. 4. Ge. *Benson* paraphast. Erklärung und Anmerkk. über einige Bücher des N. T. 3. und 4. B. aus dem Englischen übers. von *Bamberger*, Leipzig, 1761. 4. *Zachariae* paraphrast. Erklärung der Briefe Iacobi, Petri, Iudae und Johannis, Göttingen, 1776. 8. F. *Schirmer* die Briefe der Apostel Jacobus, Judas und Petrus, übers. und erklärt, Breslau, 1778. 8. E. *Bengel* erklärende Umschreibung der kathol. Briefe und der Offenb. Joh. Tübingen, 1788. 8. Epistolarum catholl. septenarius graece cum nova versione et scholiis opera B. *Carpzovii*, Hal. 1790. 8. Die sogenannten kathol. Briefe der Apostel übers. mit Anmerkk. v. G. *Göpferdt*, Zwickau und Leipzig, 1791. 8. Die kathol. Briefe neu übers. mit Excursen und einleitenden Abhandlungen von W. *Augusti*, Lemgo, 1801. 1808. 2 Th. 8. N. T. graece perpetua adnot. illustratum ed. *Kopp*. Vol. IX. epp. catholl. fascic. I. contin. *Pott* (s. Epistolae cathh. graece perpet. adnot. illustr. a *Pott*, fascic. I.) ed. III. Gott. 1816. 8. fascic. II. ed. II. 1810. *Storr* dissert. de catholicarum epp. occasione et consilio in eius opuscc. acadd. ad interpretationem librorum sacrorum pertin. Vol. II. Tub. 1797. 8. *Stäudlin* comment. de fontibus epistt. cathh. Gott. 1790. 4.

Epistola Iacobi.

§. 89.

Effata plura librorum N. F. accurate comparata tres potissimum distingui iubent, nomine Ἰακωβος appellatos, qui propius cum Iesu Christo, diversa quidem ratione, fuerint coniuncti: a) Iacobum Zebedaei filium, Ioannis fratrem, familiarem Christi in-

terioris admissionis et Apostolum [1]), b) Iacobum, Alphaei (s. Clopae) [2]) et Mariae, quae soror fuit matris Iesu [3]), filium, Christi et consobrinum, et Apostolum [4]), auctoritate insignem in coetibus Christianis, praesertim Hierosolymitano [5]), c) fratrem quendam Christi germanum eiusdem nominis, Iosephi filium, qui una cum ceteris Iesu fratribus germanis post resurrectionem demum Servatoris eiusve abitum in coelos dignitatem eius Messianam recte agnovit [6]). Quae plures scriptorum ecclesiae veteris de Iacobo fratre Christi germano (sive, ut nonnulli existimant, Iosephi quidem filio, Mariae privigno) perhibent, eum, propter singularem morum integritatem δικαιον appellatum, episcopali munere Hierosolymis functum esse, posthac martyrium subiisse [7]), traditione nituntur, inde oriunda, quod effatum Pauli ep. ad Galatas 1, 19. ubi haud dubie Alphaei filius, Apostolus innuitur [8]), parum recte de illo Iosephi patris Christi filio intellectum est [9]).

1) *Matth.* 4, 21. 10, 2. 17, 1. 20, 20. sq. 26, 37. *Marci* 1, 19. sq. 3, 17. 5, 37. *Lucae* 5, 10. 6, 14. De martyrio eius, quod circa annum 44. post C. N. accidit, cfr. *Actt.* 12, 1. 2.

2) Qui apud *Io.* ev. 19, 25. κλωπας, Mariae maritus, appellatur, idem est, quem *Matth.* 10, 3. *Marcus* 3, 18. *Lucas* ev. 6, 15. *Actt.* 1, 13. Αλφαιον dicunt, Iacobi Apostoli patrem. Nomen quippe proprium aramaicum חַלְפַא utramque admittebat formationem graecam, et Αλφαιος, abiecta aspiratione (cfr. voc. חַגַּי *Haggai* 1, 1. in versione LXX. Αγγαιος) et Κλωπας, π in κ mutato (cfr. voc. פסח 2. *Chronn.* 30, 1. LXX. Φασεκ). De personis *diversis* parum recte cogitari ipse docet locus *Io.* 19, 25. (ubi verba: Μαρια η του Κλωπα *absque* voc. και antecedentibus: και η αδελφη της μητρος αυτου, scil. ιησου, ita coniunguntur, ut oculos incurrat, *eandem* Mariam, matris Iesu sororem, etiam hoc praedicato in-

figniti, ut Clopae uxor appelletur) collatis locis *parallelis Matth.* 27, 56. *Marc.* 15, 40. 47. 16, 1. ubi eadem Maria, quam evangelistae pluribus locis Iacobi et Iosis matrem, Alphaei coniugem dicunt, pariter atque Clopae uxor apud Ioannem, una cum Maria Magdalena commemoratur. Cfr. *Lucae* 24, 10.

3) Magnopere errant, qui sub hac Maria, Iacobi (apud *Marcum* 15, 40. μικρος appellati) et Iosis matre (*Matth.* 27, 56. *Marc.* 15, 40. 47. 16, 1.) ipsius Iesu matrem intelligi voluerunt. Cfr. W. *Clemen* historisch-exeget. Abhandlung über die Brüder Iesu: *Winer* Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie 3. Heft, Sulzbach, 1829. p. 352. sq.

4) *Matth.* 10, 3. *Marc.* 3, 18. *Luc.* 6, 15. *Actt.* 1, 13. (cfr. loca evangell. nota 2. 3. laudd.)

5) *Actt.* 12, 17. 15, 13. ff. 21, 18. ff. ad *Gal.* 2, 7. 9. 12. Quum hic Iacobus Apostolus consobrinus esset Christi, Paulus ad *Gal.* 1, 19. non dubitavit eum ἀδελφὸν τοῦ κυρίου appellare, siquidem ἀδελφὸς sensu *latiori* de eo dicitur, qui alteri necessitudine quadam iunctus est, praesertim de consanguineo, vd. *Morus* ad Isocratis panegyr. c. 20. *Fischer* ad Platonis Phaedonem c. 57. ut hebr. אָח *Genes.* 13, 8. 29, 15. 31, 23. coll. LXX. Negaverunt quidam (vd. *Clemen* l. nota 3. laud. p. 340.), Paulum l. l. (ad *Gal.*) de Iacobo *Apostolo* esse loquutum, formulae εἰ μὴ vim *simpliciter excludendi* vindicantes: praeter Petrum plane nullum vidi apostolorum, tantummodo *illum Iacobum*, qui frater (germanus) est Domini. Etsi hoc sensu εἰ μὴ usurpari concesserimus I. *Corr.* 8, 4. *Apocal.* 21, 27. alia tamen effata profecto obveniunt, quae monstrent, eidem formulae potestatem inesse *excipiendi*, II. *Corr.* 12, 5. I. *Corr.* 2, 11. eamque *huic* loco unice esse accommodatam (*alium quendam Apostolorum*, praeter Petrum v. 18. *tum temporis non vidi*, *excepto Iacobo Apostolo*, *fratre Domini*) verissime adfirmamus, praeeunte et ipsa orationis forma (ἕτερον δὲ τῶν ἀποστόλων οὐκ εἶδον etc.) et nexu sermonis, siquidem ad consilium Pauli h. l. omnino non pertinuit, ut illius, quem vidisset, Iacobi, fratris Iesu germani, non Apostoli, mentio fieret. Vd. §. 53. nota 4.

6) Qui in *libris historicis* N. F. commemorantur ἀδελφοὶ Christi, eorum nullus fuit Apostolorum coetui adscriptus,

Marc. 3, 21. 31 sqq. *Matth.* 12, 46. ss. *Luc.* 8, 19. ss. *Io.* 2, 12. 7, 3. pateteque ex *Io.* 7, 5. *Actt.* 1, 13. sq. illos, quamdiu Christus inter homines viveret ac doceret, de Messiana eius dignitate dubios certe fuisse ac suspensos, nec prius, quam Christus in vitam rediisset, cum Apostolis familiariter versatos. Nomina horum ἀδελφων: Iacobus, Ioses, Simon, Iudas, proferuntur in sermone Iudaeorum *Matth.* 13, 55. *Marc.* 6, 3. Quo minus vocem ἀδελφοι locis laudd. de *consobrinis* Iesu interpretemur, illosque, Iacobum et Iosen appellatos (*Matth.* 13, 55. *Marc.* 6, 3.) non differre putemus ab hominibus eiusdem nominis, qui aliis locis (vd. nota 2. 3.) Alphaei et Mariae, matris Iesu sororis, filii perhibentur, inpedit, quod hi ἀδελφοι in libris N. F. historicis *ubique* una cum Maria, *matre Iesu*, commemorantur, tanquam comites eius perpetui. Sermo est de *fratribus* Iesu *sensu proprio* dictis, sive Iosephum, priusquam Mariam in matrimonium duceret, ex alia coniuge hos filios suscepisse, sive Mariam, postquam Iesus natus fuisset, plures liberos peperisse dicamus, ita ut Iesus, ratione ceterorum Mariae filiorum habita, πρωτότοκος eius appellaretur *Matth.* 1, 25. *Luc.* 2, 7. Ex loco quippe *Io.* 19, 26. sq. demonstrari minime potest, Mariam praeter Iesum alios habuisse liberos nullos. Cfr. *Clemen* comment. nota 3. laud. p. 359. ss. — Patet inde, quam parum idoneo utantur argumento, qui ex locis laudd. *Matth.* 13, 55. *Marc.* 6, 3. colligunt, non tantum Iacobum Apostolum, Alphaei filium (quem sensu *latiori* ἀδελφον Christi fuisse nota 4. 5. vidimus), sed etiam duos ceterorum Apostolorum, Simonem Κανανίτην et Iudam Thaddaeum s. Lebbaeum pertinuisse ad ἀδελφους Servatoris. Neque enim probari potest, quod illos Christi fratres, Iacobum et Iosen, quos Iudaei locis laudd. una cum matre Iesu commemorant, pro filiis habent Alphaei et Mariae eodem nomine insignitis; neque recte docetur, evangelistas *Simonem* κανανίτην *et Iudam Thaddaeum Iacobi*, Alphaei filii *fratres* unquam habuisse. Quanquam *Matthaeus* in enumerandis Apostolis, c. 10. v. 2. fratres coniungit, quaeritur tamen, an idem fecerit versu 3. ubi nulla omnino necessitudinis fraternae mentio facta est. Idem valet de *Marc.* 3, 18. Et, quod verba apud *Lucam* 6, 16. (*Actt.* 1, 13.) obvia: Ἰουδαν Ἰακωβου supplent per ἀδελφον, quamvis defendi possit locis similibus, ubi vel μήτηρ (*Marci* 16, 1.) vel γυνη (*Io.* 19, 25.) vel ἀδελφος (vd. Lamb. Bos ellipses grae-

cae ed. Schaefer. p. 18.) subintelligitur, locis tamen *Lucae* laudatis, ut ellipsin *magis usitatam* υἱὸς admittamus (ideoque Iudas Thaddaeus *filius* potius *Iacobi cuiusdam*, nobis incogniti, appelletur), suadet eiusdem ellipseos υιος usus in verbis praecedentibus, *Luc. ev.* 6, 15. (*Actt.* 1, 13.) Ἰακώβον τοῦ Ἀλφαίου. Accedit, quod Maria illa, quae soror fuit matris Iesu, Alphaei uxor, ubique Iosis tantum et Iacobi, nunquam Simonis cuiusdam aut Iudae mater dicitur. — Ceterum nemo potest in eo offendere, quod, hac sententia admissa, plures eiusdem nominis viri in evangeliis obveniant: *Iacobus* Christi consobrinus, Apostolus, et *Iacobus* frater Christi germanus; *Ioses*, consobrinus Christi, et *Ioses*, frater Chr. germanus, quorum neuter ad Apostolos pertinuit; *Simon* καναν. et *Iudas* Thaddaeus, Apostoli, quibus nulla cum Christo cognatio intercessit, itemque *Simon* et *Iudas*, fratres Chr. germani. Illa quippe nomina propria inter Iudaeos Palaestinenses admodum usitata fuerunt (quod ipsa docent exempla Apostolorum: Simon καναν. Simon Petrus, Iudas Thaddaeus, Iudas Cariotensis, cfr. insuper de Simonis nomine Matth. 26, 6. 27, 32. *Actt.* 9, 43. al. de nomine Iudae *Actt.* 5, 37. 9, 11. 15, 22. al.) solebantque praesertim in eiusmodi familiis, quae arctiori consanguinitatis vinculo cohaerebant, eadem nomina repeti, *Luc.* 1, 61. — Neque sententiae nostrae, qua *Iacobus*, qui Alphaei filius dicitur, *Apostolus* Christi *consobrinus* fuisse statuitur, repugnat, quod hic Apostolus *in evangeliis nunquam* ἀδελφος Christi appellatur. Evangelistae quippe hanc dicendi rationem semel usurpatam, ut vocab. ἀδελφοι *tantummodo* de *fratribus Iesu germanis* adhiberent, *constanter* retinuerunt. Aliter se habebat cum *Paulo*, sensum voc. αδελφος latiorem sequuto. Item, quod ab hoc Iacobo Apost. Christi consobrino alium eiusdem nominis virum, fratrem Chr. germanum distinguimus, minime hoc tollitur argumento, quod in libris N. F. post mortem illius Iacobi Apost. qui Zebedaei filius fuit (nota 1.) *unus* tantum commemoratur Iacobus, praedicato nullo insignitus, *Actt.* 12, 17. 15, 13. 21, 18. ad *Gal.* 2, 9. Etsi Iacobus ille, quem fratrem Christi germanum fuisse dicimus, tum temporis adhuc in vita esset superstes, facile tamen lectores Actorum et epistolae ad Gal. sponte intelligere potuerunt, quae locis laudd. de Iacobo perhiberentur, de Iacobo Apostolo, *consobrino* Christi, narrata esse, quum ille frater germanus, quanquam nunc Chri-

sto fidem haberet, eiusmodi tamen auctoritatem, qualem loca laudd. describunt, in ecclesia non obtinuisset. — Denique, quod locum Paulinum attinet I. *Corr.* 9, 5. lubentissime quidem concedimus, verba καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ κυρίου inter antecedd. ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἀποστόλοι, et sequentia καὶ Κηφᾶς ita esse interposita, ut h. l. sub ἀδελφοις κυριου nonnisi eiusmodi fratres Domini (consanguinei, ex usu Paulino ad Gal. 1, 19.) intelligi possint, qui simul *Apostoli* fuerint, praesertim quum Paulus, licentiam suam coniugem, si vellet, habendi vindicaturus, ad exempla quidem *Apostolorum*, eorum maxime, qui Christo cognati essent, ipsiusque Petri (non cognati quidem Christo, attamen inter multos Christianorum *Corinthiorum* singulari auctoritate gaudentis §. 54. nota 8.), minime vero ad exempla eiusmodi fratrum vel consanguineorum Servatoris, qui *non essent inter Apostolos*, provocare deberet. Quum vero supra demonstratum fuerit, Apostolos Iudam Thaddaeum Simonemque κανανιτην nec fratres Christi germanos, nec consanguineos fuisse, utique Paulus, ubi *plures* Domini ἀδελφους inter Apostolos commemorat (I. *Corr.* 9, 5.), *praeter Iacobum* Alphaei filium vel alios quosdam Apostolorum, quibus cum Domino cognatio intercesserit nobis incognita, vel *Matthaeum*, olim Levin appellatum, qui *Marci* 2, 14. *Alphaei filius* appellatur, intellexisse recte existimatur. Negarunt quidem plures interpretes, loco Marci laud. *eundem* intelligi Alphaeum, qui pater Iacobi fuerit, propterea quod evangelistae neque necessitudinis fraternae Matthaei illiusque Iacobi mentionem unquam fecerint, neque Mariam Alphaei uxorem matrem appellaverint Matthaei. Utriusque rei caussa forsitan haec fuit, quod Alphaeus hunc filium Matthaeum, priusquam Mariam duceret uxorem, ex alia susceperat coniuge.

7) *Hegesippus* apud *Euseb.* h. e. 2, 23. *Eusebius ipse* h. e. 1, 12. hunc Iacobum ex numero 70 discipulorum Christi (*Luc.* 10, 1.) fuisse existimat, eumque h. e. 2, 1. priusquam loca Clementis Alex. adfert (de quibus cfr. nota 8.) filium Iosephi, patris Christi, appellat. Testante *Origene* ad *Matth.* 12, 46. (vd. Origenis exegetica ed. Huetius P. I. p. 223.) plures illum habuerunt privignum Mariae, matris Christi, praeeunte evangelio apocrypho κατα πετρον. Cfr. insuper *Epiphanius* haeress. XXIX. et LXVI. *Iosephus* quoque antiquitt. Iudd. l. 20. c. 9. §. 1. Iacobum quendam, ἀδελφον Iesu, Procuratore Festo mor-

tuo. Hierosolymis martyrium subiisse testatur, non accuratius quidem definiens, quo sensu eum αδελφον Iesu dixerit.

8) De vera effati Paulini interpretatione cfr. nota 5. Quae de martyrio huius Iacobi δικαίου perhibent (nota 7.) haud dubie Iacobo Apostolo, Alphaei filio acciderunt. Eundemque Iacobum (non illum fratrem Christi germanum, cuius mentio nonnisi *Matth.* 13, 55. *Marci* 6, 3. facta est) haud dubie loca *Actt.* 12, 17. 15, 13. 21, 18. ad *Gal.* 2, 9. (vd. nota 6.) innuunt. Nec defuerunt inter scriptores ecclesiae veteris, qui intelligerent, quem Paulus appellasset Iacobum Domini fratrem, eundem esse, qui filius Alphaei diceretur, Apostolum. *Clemens Alex.* apud *Euseb.* h. e. 2, 1. Verba enim Clementis Al. *hoc sensu*, qui ipsum Eusebium latuisse videtur, haud dubie recte interpretatus est *Guericke:* Beyträge zur historisch-krit. Einl. p. 158. nota. [Hoc unum addimus, Clementem Al. sub illo Iacobo, qui una cum Petro et Ioanne Iacobo δικαιω dignitatem episcopatus Hierosol. contulisse dicitur, illum intellexisse Iacobum Ap. qui Zebedaei esset filius, Christo praecipue familiaris.] *Hieronymus* comment. in ep. ad *Gal.* 1, 18. in *Matth.* c. 12, v. 46. contra Helvidium 1, 7. *Augustinus* tract. 28. in Io. *Theodoretus* in ep. ad *Gal.* 1, 19. T. III. Opp. ed. Nösselt. p. 366.

9) Haud exiguus etiamnum apparet interpretum dissensus de iis, quibus in N. F. nomen Ιακωβος tribuitur. Haud pauci enim concedunt, ab utroque Apostolo tertium quendam, fratrem Christi, distinguendum esse, quanquam et hi de eo dissentiunt, utrum, qui apud *Paulum* αδελφος Iesu dicitur, consobrinus ille Iesu Christi, Apostolus, an frater germanus fuerit. *Grotius* adnotatt. in N. T. *Hammondi* paraphrasis N. T. p. 499. ff. Richard *Simon* krit. Geschichte des N. T. übers. von *Cramer* p. 317. ff. *Herder:* Briefe zweier Brüder Jesu in unserem Canon (Herder sämmtliche Werke zur Religion und Theologie, 8. Th. Tübingen, 1806. p. 200. ff.) *Niemeyer* Charakteristik der Bibel 1. Th. ed. II. Zusätze p. 110. *Michaelis* Einl. T. II. p. 1416. 1423. ff. ed. IV. *Storrii* interpret. epistolae Iacobi in opuscc. eius acadd. Vol. II. p. 2. ff. Singularis est sententia, quam *Clemen* defendit in comment. nota 3. laud. (Iacobum Apost. Alphaei filium *ne consobrinum quidem Christi* fuisse, locisque Actorum et ep. ad Galatas, quae nota 8. laudavimus, eundem intelligi Iacobum.

quem Iudaei apud Matth. et Marcum loquentes inter fratres Iesu germanos retulerint). Quo iure aliter sentiamus, notae antecedd. docuerunt. Alii vero ab illo Zebedaei filio unum tantum distingui volunt Iacobum, Alphaei filium Apostolum eundemque Christi ἀδελφὸν (sensu latiori dictum). F. *Schmid* historia antiqua et vindicatio canonis p. 676. ff. *Pott* prolegomena ad ep. Iacobi: N. T. graece perpet. adnot. illustr. ed. Kopp. Vol. IX. fascic. I. ed. III. Gott. 1816. *Gabler* dissert. de Iacobo epistolae eidem adscriptae auctore, Altorfii 1787. *Eichhorn* (qui loca *Matth.* 13, 53—58. *Marci* 6, 1—6. ad evangelium, quod dicit, primitivum *non* pertinuisse coniicit) Einl. 3. B. 2. H. p. 570. ff. *Hug* Einl. 2. Th. p. 472. ff. ed. II. *Bertholdt* Einl. 5. Th. 2. H. p. 2663. sq. *De Wette* Einl. p. 305. *Jessien* comment. de αὐθεντία ep. Iudae, Lips. 1821. p. 46. sq. Quo iure praeter duos Apostolos, Ἰακωβος appellatos, tertium eiusdem nominis, fratrem Christi germanum, duobus tantum evangeliorum locis obiter commemoratum, exstitisse censeamus, nota 6. ostendimus.

§. 90.

Quum ipsius epistolae consilium coetus ex Iudaeo-Christianis collectos extra Palaestinam versantes (c. 1. v. 1.) edocendi et admonendi, non permittat, ut eo tempore consignatam existimemus, quo Iacobus, Zebedaei filius, in vita esset superstes [1]); plurimi interpretum, qui unum ex iis Iacobis, quorum mentio in libris N. F. facta est, auctorem habent, vel alteri illorum Apostolorum, Alphaei filio [2]), vel fratri cuidam Servatoris germano [3]) vindicare solent epistolam. Quo minus hunc fratrem Iesu germanum auctorem dicamus, inpedit, quod in N. F. nulla omnino vestigia obveniunt auctoritatis [4]), quam hic Iacobus in ecclesia Christiana evangelio praedicando obtinuerit. Quod illum Alphaei filium Apostolum attinet, negari quidem non potest, res ipsas in hac epistola tractatas cum iis probe consentire, quae aliunde de indole, placitis,

moribusque huius Apoſtoli innotuerint [5]). Neque deſunt teſtimonia antiquitatis Chriſtianae, quae doceant, et ſcriptam eſſe epiſtolam ſaeculo primo [6]), et multos originem ei vindicaſſe apoſtolicam [7]), ita ut poſthac canoni adſcriberetur [8]). Attamen nec olim nec recentius haec authentia epiſtolae omnibus fuit perſuaſa [9]). Licetque omnino, an Iacobus ille Apoſtolus epiſtolam, qualem in canone noſtro legimus, conſignaverit, propterea dubitare, quod auctor nec initio, nec alibi Apoſtolum ſeſe profeſſus eſt [10]), et quaeſtio difficilis oritur, unde ſermonis graeci elegantia [11]), quam haec epiſtola refert, vel alterutri eorum, qui Ἰακωβος dicebantur, Apoſtolorum, vel fratri Ieſu germano (in Palaeſtina natis et educatis), contingere potuerit. Itaque alii cuidam Iacobo, doctori Chriſtiano, Helleniſtae, extra Palaeſtinam viventi, cuius mentio in N. F. omnino non facta eſt, haec epiſtola tribuenda eſſe videtur [12]), niſi dixerimus, contineri his litteris epiſtolae, quam Apoſtolus ille Iacobus ſermone aramaico ſcripſiſſet, paraphraſin liberiorem [13]), a viro quodam apud exteros vivente profectam, qui hac ratione deſideriis lectorum ſermonis graeci, quam aramaici, peritiorum conſuleret.

1) Ex verſu 1. pluribusque locis epiſtolae (1, 2. ſſ. 2, 2. 3, 1.) patet, tum temporis extra Palaeſtinam plures exſtitiſſe coetus Chriſtianos, qui ſuos haberent doctores, variisque vexationibus eſſent obnoxii. Tales, excepto coetu Antiocheno, *ante obitum* illius Iacobi, qui Zebedaei filius dicitur (§. 89. nota 1.) exſtitiſſe parum probabiliter exiſtimantur. Neque omnino temporibus primis abitum Chriſti in coelos inſequutis habuiſſe videntur Apoſtoli, quod *epiſtolas* darent ad Chriſtianos. Parumque valet auctoritas ſubſcriptionum, quae in verſione quadam vetuſta latina, itemque in editionibus nonnullis verſionis Syr. Peſchito hanc epiſtolam Zebedaei filio tribuunt. Cfr. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 2996. ſq.

2) Huic Iac. epistolam vindicatam esse *Hieronymus* perhibet catal. scriptt. eccl. c. 2. Cfr. *Augustinus* tract. 28. in Io. Recentiorum *plerique* hanc sententiam amplectuntur.

3) Veterum plures sic indicasse *Eusebius* testatur h. e. 2, 23. Idem recentius plures eorum probaverunt, qui tres Iacobos distinguunt, Grotius, Hammondus, Rich. Simon, Herder, Niemeyer (vd. §. 89. nota 9.)

4) Cfr. §. 89. nota 6.

5) a) Etsi epistola, quae Iacobi nomine inscribitur, Paulinae de πιστει et εργοις doctrinae minime possit opposita existimari, illae tamen opiniones praeconceptae Iudaeo-Christianorum, de lege Mosaica cerimoniali porro observanda ipsisque Ethnico-Christianis iniungenda, ab auctore huius ep. nunquam diserte inpugnatae sunt. De Iacobo Alphaei filio constat, eum hac in re Iudaeo-Christianis magis, quam Paulum, pepercisse. *Actt.* 15, 13. ss. ad *Gal.* 2, 12. b) Fere tota epistola in eo versatur, ut strenuum virtutis verae studium, omniumque legis moralis praeceptorum observationem exactam iniungat, itemque preces commendat assiduas, fiduciae plenas (1, 5—8. 4, 2. ss.) Eiusmodi praecepta egregie conveniunt Iacobo δικαιω, qualem veteres descripserunt (*Clemens Alex.* apud *Euseb.* h. e. 2, 1.) quanquam plures eorum de fratre Christi germano perhibent, quae ad illum potius Alphaei filium pertinuerunt (vd. §. 89. sub finem et nota 7. 8.)

6) *Clemens Rom.* ep. I. ad Corr. c. 10. c. 12. *Hermas* similitudd. 8, 6. mandat. 12, 5. 6. *Irenaeus* contra haer. 4, 16. effatis utuntur ex ep. Iac. desumtis, nulla quidem ipsius epistolae eiusve auctoris mentione facta.

7) *Dionysius Alex.* diserte *epistolam Iac.* commemorat, effatorum eius auctoritate usus, de martyrio c. 6. c. 7. *Origenes* ad epistolam *Iacobi Apostoli* provocat homilia 13. in Gen. cfr. eiusdem hom. 3. et 8. in Exod. hom. 2. in Levit. comment. in ep. ad Romm. c. 5. ex versione Rufini. Neque demonstrari potest, eundem Orig. comment. in Io. Opp. T. XIX. Vol. IV. p. 306. ed. de la Rue authentiam epistolae verbis: εν τη φερομενη Ιακωβου επιστολη *dubiam* pronuntiasse, quum *Eusebius* h. e. 3, 25. idem praedicatum φερομενη de prima Io. epistola (inter ομολογουμενα relata) usurpaverit. Cfr. praeterea *Athanasius* epistola festalis Opp. T. II. p. 38. *Epiphanius*

haer. 76. alii. Mature agnovit auctoritatem epistolae apostolicam ecclesia *Syriaca*, testante et versione *Peschito*, et *Ephraëme Syro* (Saec. IV.) in Opp. graecis T. III. p. 51.

8) Vd. *Rufinus* expositio symboli Apostol. (in Opp. *Cypriani* ad calcem ed. Oxon. p. 26. et in Opp. *Hieron.* T. V.) *Mansi* collectio concill. T. III. p. 891. 924.

9) *Eusebius* hist. eccl. 3, 25. 2, 23. ex. epistolam Iac. refert inter *αντιλεγομενα*, eamque pluribus propterea suspectam haberi perhibet, quod ecclesia antiquior mentionem eius rarius fecerit. Addit tamen, solere hanc ep. una cum ceteris catholicis in plurimis coetibus praelegi. *Hieronymus*, quanquam ipse eam Iacobo Apostolo tribuit, testatur tamen non deesse, qui aliter sentiant, eamque *paulatim* tempore procedente obtinuisse auctoritatem, catal. scriptt. eccl. c. 2. *Theodorum Mopsvestensem* epistolam reiecisse *Leontius* narrat contra Nestor. et Eutych. 3, 14. Fieri utique potuit, ut plures eorum, qui epistolam negarent apostolicam esse, in argumento offenderent, quum doctrinae Paulinae contradicere videretur. *Lutherum* ipsum videmus hac de causa noluisse Iacobum *Apostolum* agnoscere auctorem, Opp. ed. Walch. T. XIV. p. 189. Cfr. *Althammer* Erklärung des Briefs Iac. 1553. N. T. opera et studio *Wettstenii* T. II. p. 658. Recentius dubitationes movit *de Wette* Einl. p. 306. (inprobatas *Guerickio*: Beyträge zur historisch-krit. Einl. p. 160. ff.)

10) Phrasis illa ep. c. 1. v. 1. Ιησοῦ χριστοῦ δοῦλος non aliena quidem ab usu loquendi apostolico (*Romm.* 1, 1. *Philipp.* 1, 1. ad *Titum* 1, 1.) minime tamen per se spectata dignitatem innuit apostolicam (Timotheus quoque sic appellatur *Philipp.* 1, 1. 2. *Timoth.* 2, 24 et quivis Christo vere addictus I. *Corr.* 7, 22.) Nec sufficit, ad exemplum *Ioannis* provocasse, qui et ipse in epistolis se haud appellaverit αποστολον. Ioannes quippe I. ep. c. 1. v. 1. satis aperte familiarem Christi sese profitetur, ac per totam fere epistolam sermonem adhibet Ioanni *Apostolo*, coetibus asiaticis, inter quos ipse vivebat, probe cognito accommodatissimum (cfr. v. c. voc. τεκνία frequenter adhibitum.) In epistola II. et III. se dixit πρεσβύτερον. [Nolim vero urgere, quod nonnulli monuerunt, Iacobum Apostolum, quem Palaestinae fines haud egressum fuisse ex locis *Actt.* 12, 17. 15; 13. 21, 18. ad *Gal.* 1, 19. 2, 9. probari volunt, non potuisse de litteris

cogitare ad coetus *exteros* dandis. Eiusmodi quippe commercium fuit perpetuum Iudaeo-Christianorum Palaestinensium et exterorum, ut Iacobus, etsi ipse coetus exteros nunquam adiisset, per alios facile cognoscere posset, qua ratione Iudaeo-Christianis ἐν τῇ διασπορᾷ scribendo edocendis et admonendis optime consuleretur. Ceterum haec epistola, exceptis forsan iis, quae c. 2. et c. 3. v. 1. leguntur, praecepta continet, quae *aliis omnibus* Christianorum coetibus scribi poterant.]

11) Quicunque scriptorum N. F. natalibus Palaestinenses fuere, graecitatem usurpant hebraismis multis refertam. Nec aliter sese habebat cum elocutione graeca ipsius Pauli, extra Palaest. nati. Iacobi epistola pauca habet, quae sermonis hebraici indolem referant, verbis bene structis utitur et oratione numerosa, scriptorem prodit, cui voces graecae admodum lectae in promtu fuerint.

12) Huic coniecturae praesertim favet, quod auctor ne verbulo quidem auctoritatem sibi vindicavit apostolicam (nota 10.) Nomen Ιακωβος tum temporis haud inusitatum.

13) Iacobum Apost. aramaice hanc epistolam exarasse, posthac per alium quendam graece vertendam curavisse, coniecerunt M. *Faber* observatt. in ep. Iacobi ex Syro, Coburgi, 1770. 4. *Schmidt* Einl. Vol. II. p. 307. sq. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3033. ss. Sed parum probabiliter Apostolus eiusmodi interpretem litterarum suarum elegisse putatur, qui non tam verteret, quam, sermonis graeci elegantioris studiosus (quo eiusmodi epistola, quae *Iudaeis* graece loquentibus scriberetur, facile posset carere) paraphrasin exhiberet liberiorem (etenim, si *vertisset* epistolam aramaicam, haud dubie tota oratio multo propius accessisset ad indolem sermonis hebraici.) Proinde, si epistola nostra graeca ex litteris Apostoli aramaicis exstitisse putetur, coniicere praestat, hominem quendam graece doctum, extra Palaestinam viventem, nullo quidem ipsius Apostoli mandato instructum, hanc paraphrasin adornavisse.

§. 91.

Totius epistolae argumentum et oeconomia [1]) docet, scriptorem partim consolari et erigere voluisse

Christianos vexationibus adflictos [a]), ut his tentationibus recte et sapienter uterentur ad persuasionem suam virtutemque Christianam confirmandam atque perficiendam, partim errores quosdam, quibus illi deciperentur, corrigere, et, quae irrepsissent, vitia emendare [3]). Minime vero Iacobus (quod nonnulla epistolae effata locis Paulinis collata [4]) interpretibus haud paucis persuaserunt) vel ipsius Pauli doctrinam de πιστει et εργοις [5]), vel perversam quandam effatorum Apostoli interpretationem, a discipulis Pauli profectam [6]), inpugnavit. Praeeunte versu primo epistola coetibus Iudaeo-Christianorum [7]) in terris Ethnicorum versantibus scripta est; neque argumenta idonea iis interpretibus suppetunt, qui hanc universam lectorum descriptionem, quod domicilia eorum attinet, accuratius definire voluerunt [8]). Ad indolem epistolae singularem praesertim pertinet, quod, rerum homini Christiano credendarum mentione obiter tantum hic illic iniecta [9]), de virtute perfecta Christiana exponit, iis maxime iniungendis, quae apud ceteros epistolarum N. F. auctores vel omnino non obveniunt, vel minus ex industria tractata videntur [10]); quod in homines potissimum opulentos, eorumque vitia graviter [11]) insurgit; quod sententiis enuntiatis argumenta, quae veritatem dicti probent, diligenter nectit; quod loca scriptorum Iudaicorum sermoni intexere [12]) solet; quod oratio est bene graeca [13]), admodum perspicua, vivida [14]), interdum rapidior [15]), quadam dicendi copia insignis [16]) (etsi nec desunt, quae singularem habeant brevitatem, sublimitati iunctam) [17]), numeris apte composita [18]). Ceterum loca obveniunt, quorum et sententia et ipsa verborum conformatio proxime accedat ad ipsius Ser-

vatoris effata, qualia in evangeliis nostris leguntur [19]). Nec pauca sunt, quae probabilem reddant sententiam eorum, qui auctorem epistolarum Paulinarum lectione inbutum fuisse existimant [20]).

1) Argumenti descriptio. C. *I.* v. 1—18. Ubi in tentationes persuasionis vestrae Christianae virtutisque incideritis (vexationibus adflicti), perpendite, eas conducere animis vestris perficiendis, eamque sapientiam, quae vos idoneos reddat ad sortem duriorem recte perferendam, confidenter a Deo expetite, homines, qui sollicitationem probe superaverint, vita beata olim ornaturo. v. 13—18. Quicunque enim peccaverit, sua abripitur cupiditate. Tantumque abest, ut Deus aliquem ad peccandum seducat, ut nonnisi munera bona et perfecta hominibus contingere iubeat. Huius voluntatis divinae sanctissimae documento inservit luculentissimo doctrina illa (Christiana), cuius ope homines reddimur novi. v. 19—27. Estote igitur promti (celeres) ad hanc doctrinam percipiendam, cauti vero et solliciti in loquendo et agendo, omnem operam navantes, ut doctrinam recte perceptam factis exprimatis, neque in audiendo acquiescatis. *Caput II.* v. 1—9. Nolite in ipsis conventibus vestris sacris homines divites praeferre pauperibus. Eiusmodi quippe partium studium non potest Deo probari, qui pauperes potissimum elegit, heredes regni divini futuros (propter summam divitum multorum perversitatem), prorsusque contradicit praecepto legis primario: alterum dilige ut te ipsum. v. 10—13. Nec legem observare recte dicitur, qui vel in una tantum parte inpegerit. Cogitate, vos olim secundum totam legem iudicatum iri. v. 14—26. Itemque magnopere errant, qui persuasionem suam Christianam (πιστιν) iactitaverint, factis destitutam. Eiusmodi πιστις, quae in vitam et facta non transeat, veluti mortua habenda est. (Provocatur ad exempla V. T.) *Cap. III.* v. 1—12. Docendi vero provinciam nemo cupidius appetat, ne forte, munere male functus, condemnationi gravissimae reddatur obnoxius. Abusu linguae facile multumque peccatur. v. 13—18. Sapientia et intelligentia vera factis probetur honestis, praesertim lenitate et amore, qui ab invidia acerba et studio rixandi abstineat. *Cap. IV.* v. 1—6. Quae inter vos geruntur lites et controversiae perniciosissimae, ex adfectibus malis oriuntur,

quum huius tantum terrae bona et voluptates cupide appetatis, ideoque non possitis animo bene composito preces fundere ad Deum. v. 7—17. Deo vos submittite, sceleribus abstinete, modesti estote, nec, vestra virtute superbientes, alios durius iudicate (contra legem Christianam). Temerarii estis, qui nunquam perpenditis, quaevis consilia vestra irrita fore, nisi Deus sic fieri voluerit. *Cap. V.* v. 1—6. Lugendum vobis plorandumque est, divites, qui, dum laute in terra vivitis, iniurii estis et crudeles erga alios. Evanescet divitiarum splendor, vobisque poena instat gravissima. v. 7—11. Vos autem, malis adflicti et vexati, patientes estote, neque de vobis invicem gravius conqueremini, adventum Domini prope instantem exspectantes, memoresque prophetarum, qui Dei nomine ad vos loquuti sunt. v. 12—20. Abstinete iuramentis. Si quis aegrotaverit, Deum precetur animo confidenti, ut convalescat. Itemque pro aliis aegrotantibus preces fundite ad Deum. Multum quippe valet supplicatio hominis probi. Qui peccantem in tramitem veritatis revocaverit, animum eius salvum praestabit.

2) Vd. 1, 2. ss. 12. 5, 7—11. Cfr. de odio Iudaeorum erga Christianos *Act.* 8, 1. ss. 12, 1. ss. 13, 50. 14, 5. Proceres maxime Iudaeorum hominesque opulentos auctores harum vexationum loca epistolae innuunt: 1, 10. 11. 2, 6. 7. 5, 1—7.

3) Vd. 1, 13. ss. 2, 1. ss. 10. ss. 14. ss. 3, 1. 4, 1.

4) Cfr. ex recentioribus intt. *Pott* prolegg. in ep. Iacobi (in l. §. 89. nota 9. laud.) *Hug* Einl. T. II. p. 468. ss. ed. II. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3029. ss. *Hoyberg* de indole epistolae Iacobi inprimis c. 2, v. 14—26. Hauniae, 1825. *Paulus* quippe summa gravitate docet, hominem minime ἔργοις suis, sed fide Christo habenda (πίστει) Deo probatum reddi, salutis regni divini compotem futurum (δικαιοῦσθαι), v. c. *Romm.* 3, 20. ss. 4, 1. ss. ad *Gal.* 2, 16. *Ephh.* 2, 8. 9. al. *Iacobus* eadem gravitate asserit, πίστιν factis destitutam hominem salvum praestare 2, 14. ss.

5) Evanescit omnino illa contradictionis epistolarum Pauli et Iacobi species, dummodo perpenderimus: a) Paulum sub ἔργοις, quae nequeant hominem Deo probatum reddere, plerisque locis (orationis nexu praeeunte) ἔργα νόμου intellexisse, eiusmodi facta, qualia *Iudaei* tantitare

soleant, Iacobum vero εργα praedicasse, *quae ex persuasione Christ. vera et viva proficiscantur*, vere honesta ac Deo probata, 2, 15. 16. (καρπους αγαθους 3, 17.) b) Paulum ubique *eiusmodi* πιστιν commendasse, *quae per amorem* (facta vere bona) *sese exserat*, ad *Gal.* 5, 6. I. *Corr* 13, 1. I. *Thess.* 1, 11. II. *Thess.* 1, 3. *Coloss.* 1, 3. 4. *Ephh.* 1, 15. 3, 17. 4, 13. 15. 6, 23. eundemque docuisse, quemvis hominem olim secundum facta sua a Deo iudicatum iri, ad *Gal.* 6, 7. *Romm.* 2, 13. al. Consentit effatum *Iacobi* 2, 22. c) etsi Paulus *Ephh.* 2, 8. 9. *universe* pronuntiaverit, neminem habere, quod propter facta sua salutem a Deo inpetrandam postulet (quum homines omnes inperfecti sint, *Ephh.* 2, 1—5. *Romm.* 2, 23. ss.) Iacobum tamen similiter eandem agnovisse virtutis humanae inperfectionem 3, 2. Ceterum πιστις Iacobo 2, 1. et 5. (ubi πλουσιοι εν πιστει και κληρονομοι της βασιλειας praedicantur) eodem sensu dicitur, quo Paulo, ubi de πιστει Christianorum sermo est v. c. *Romm.* 3, 22. 26. 5, 1. al. *Ratione* tantum *docendi* uterque ab altero quodammodo discrepat, siquidem a) Iacobus non diserte pronuntiavit, quod Paulus (ratione potissimum eorum Iudaeo-Christianorum habita, qui propter exactam εργων του νομου observationem, suorumque maiorum merita felicitatem regni Messiani sibi potius, quam aliis gentibus destinatam esse contenderent) saepenumero asseruit, *soli gratiae divinae* (χαριτι) tribuendum esse, quod homo Deo reddatur probatus; b) Iacobus eam πιστιν, quam Christiani quidam ex Iudaeis Iacobo probe cogniti (iis hominibus similes, quorum vanam opinionem et Ioannes baptista *Matth.* 3, 7—10. et Christus ipse *Matth.* 7, 15—27. inpugnavit) perperam iactitarunt, mortuam illam (*Iacobi ep.* 2, 14. 17. 18. 21. 22. 24. 26. coll. v. 19.) *diserte opposuit* πιστει verae, quae εργα habet, 2, 17. 22. sq. coll. v. 5. Paulus vero de πιστει ubique ita locutus est, ut poneret, non posse nisi eiusmodi persuasionem intelligi, quae in vitam quoque et facta transeat; c) Iacobus εργα simpliciter praedicavit, effecta persuasionis verae saluberrima innuens, Paulus vero, quum saepenumero εργα illa Iudaica (εργα νομου, qua formula Iacobus nunquam usus est) πιστει Christianae opponeret, notionem illam factorum, quae Deo vere probarentur (ex πιστει oriunda), accuratius definiit praedicato καλα s. αγαθα, v. c. *Romm.* 2, 7. 10. *Ephh.* 2, 10. al. Uterque *suo* consilio accommodate de his rebus

differuit, in ipsa doctrina alteri consentiens. Neque doceri potest, Iacobum c. 2. v. 21—25. exemplorum Abraami et Rahabae usum fecisse contrarium ei, quem Paulus faceret ad *Romm.* 4, 1. ff. ad *Gal.* 3, 6. et auctor ep. ad *Hebrr.* 11, 17. seqq. 31. Exempla quippe Abraami et Rahabae tam illustria fuerunt, et inter Iudaeos divulgata, ut Iacobus, qui libros V. T. diligenter legisset, facile *sponte* cogitare posset de his potissimum pro sua sententia (quae *doctrinae* Pauli minime repugnaret) commode adhibendis. Praeterea *Paulus* locis laudd. ex ea potissimum de Abraamo narratione quae *Genes.* 15, 6. legitur, *Iacobus* 2, 21. ex historia *Genes.* c. 22. exposita argumentum petiit, addita quidem deinde v. 23. formula Genes. 15, 6. obvia, quippe quae facile etiam ad illud obsequii ab Abraamo praestiti (Genes. c. 22.) documentum posset transferri. Effata autem ep. ad *Hebrr.* laudd. a loco *Iac.* ep. 2, 21. 25. *verbis* omnino differunt.

6) Si Iacobus *eiusmodi* doctores vanos ante oculos habuisset, haud dubie aperte demonstrasset, verba Pauli ab illis vel male intellecta esse, vel interpretando detorta. — Cfr. quae interpretibus nota 4. laudatis opposuerunt (praeter alios): C. *Tittmann* opusc. theol. p. 391. ff. *Knapp* scripta varii argumenti T. II. p. 413. ff. ed. II. Hal. 1823. *Neander:* Paulus und Iacobus, in l. kleine Gelegenheitsschriften, Berlin, 1829. ed. III. *Usteri* Entwickelung des Paulin. Lehrbegriffs, ed. II. Zürich, 1829. p. 94. sqq. *Rauch* über den Brief Jacobi: *Winer* und *Engelhardt* neues krit. Journal der theol. Litter. 6. B. 3. St. 1827. *Gebser:* der Brief des Jacobus übersetzt und ausführlich erklärt, Berlin, 1828. p. 199. ff.

7) Qui epistolam *Iudaeis nondum conversis* scriptam fuisse coniecerunt (*Lardner* supplements etc. c. 17. §. 3.) parum recte α) ad verba δώδεκα φυλαὶ provocant (similiter ἰουδαῖοι de *Iudaeo-Christianis* dic. ad *Gal.* 2, 13.), β) ad συναγωγὴν c. 2. v. 2. commemoratam (quod vocab. ex rebus Iudaeorum sacris ad conventus Christianorum sacros transferri facile poterat), γ) ad locum 5, 1—6. (minime vero de iisdem, quibus epistola scribitur, intelligendum, immo de adversariis evangelii Iudaicis, quos Iacobus tanquam praesentes alloquitur.) Iudaeos *conversos* effata 1, 3. 18. 21. 2, 1. al. aperte innuunt.

8) Coetui *Antiocheno*, ab iis condito, qui, quum Hierosolymis vexatio ingens Christianorum exstitisset, dispersi

fuerant (διασπαρέντες *Actt.* 11, 19.) epistolam destinatam fuisse defendit *Noesselt:* coniecturae ad historiam epistolae Iacobi catholicae, opusc. fasc. II. Sed verba c. 1. v. 1. ταῖς δώδ. Φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ ex usu loquendi tam late patebant, ut auctor, si de Christianis unius certae regionis cogitasset, omittere non posset, quae locum accuratius indicarent (I. Petri 1, 1.)

9) Dogmata v. c. breviter tanguntur 1, 12. 17. 2, 5. 19. 4, 12. 5, 8. 11.

10) Cfr. 1, 13. coll. v. 17. 2, 14. ss. c. 3. 4, 8. 11. 5, 4. 13—20.

11) Vd. 1, 10. 11. 2, 6. 7. 5, 1. ss.

12) Sollennes citandi formulae tantummodo 2, 8. 23. 4, 5. 6. obveniunt. In locis V. T. usurpandis sequitur haec ep. versionem LXX. excepto c. 5. v. 20.

13) Vd. §. 90. nota 11.

14) Similitudinibus haud vulgaribus delectatur 1, 6. 10. ss. 23. ss. 2, 26. 3, 2—6. 10. ss. 4, 14. 5, 7. Adfectus eloquitur et mitiores (c. 1. c. 2. in. c. 3. in. c. 5, v. 7. ss.) et vehementiores c. 4, 1. ss. 13. ss. 5, 1. ss.

15) Subinde lectores in mediam rem rapiuntur 2, 1. ss. 3, 1. 4, 1. ss. 13. ss. 5, 12. sq. Plerumque nexus sententiarum facilis apparet.

16) Lubenter describit singulas eventi cuiusdam partes sibi invicem succedentes, 1, 11. 14. sq. 24. species pro genere ponit, 3, 7. 5, 12. et praedicata et verba cumulat ex lege gradationis oratoriae, 3, 15. 17. 4, 13. 5, 5. 6. antitheses captat (cuius rei exempla quovis capite exhibentur.)

17) Vd. 1, 9. 10. 2, 18. 3, 18. 5, 6.

18) Totius sermonis conformationem recte *oratoriam* dixeris. Immo *poëtica* obveniunt, 1, 14—18. 3, 5—9. 5, 1—6. Ceterum, quod *voces singulas* attinet huic potissimum scriptori familiares, praesertim huc pertinent: ακροατης, κριτης, πταιειν, ποιητης, πειρασμος et πειραζειν, σοφος et σοφια, τελειος (τελειν, τελειουν), υπομενειν et υπομονη. Multa insuper habet απαξ λεγομενα. — Cfr. de his omnibus: E. *Gierig* de virtutibus ep. Iacobi, Duisburgi, 1782. 8. M. *Weber* de epistola Iac. catholica cum epistola atque oratione Iacobi Actis 15, 13—29. inserta et hac utraque cum

illa utiliter comparanda, Viteb. 1795. 4. (Illius quidem orationis et nostrae, quae Iacobo tribuitur, epistolae non *tanta* apparet similitudo, ut argumento inserviat *certo*, quo probetur, Apostolum Iacobum nostram exarasse epistolam. Quae vero *Actis* 15, 23. seqq. inserta est epistola, bene quidem graeca, l. l. non dicitur ab *uno* Iacobo scripta.) F. *Kaiser* de nonnullis ep. Iac. virtutibus, *Hal.* 1797. 8. Dan. *Schulz* der schriftstellerische Charakter und Werth des Petrus, Iudas, und Iacobus, Weissenfels und Leipzig, 1802. 8. *Eiusdem* Nachtrag über die Quellen der Briefe von Petrus, Iacobus, und Iudas (comment. praefixa libro: über den schriftsteller. Charakter und Werth des Iohannes, Weissenfels und Leipzig, 1803. 8.) *Küchler* comment. de rhetorica ep. Iac. indole, Lips. 1818. 8.

19) Vd. *Iac.* 1, 5. (17.) *Matth.* 7, 7. *Iac.* 1, 6. *Matth.* 21, 21. *Marc.* 11, 23. *Iac.* 2, 5. *Matth.* 5, 3. *Luc.* 6, 20. *Iac.* 2, 12. *Matth.* 7, 16. *Iac.* 3, 1. *Matth.* 23, 14. *Marc.* 12, 40. *Luc.* 20, 47. *Iac.* 3, 12. *Matth.* 7, 16. *Iac.* 5, 2. sq. *Matth.* 6, 19. *Iac.* 5, 12. *Matth.* 5, 34. ss. *Iac.* 1, 25. *Io.* 13, 17. *Iac.* 4, 9. *Luc.* 6, 25. Quae quidem convenientia omnino favere possit sententiae eorum, qui hanc ep. Iacobo *Apostolo*, auditori Christi vindicarunt, nisi etiam coniicere liceat, haec effata scriptori nostro vel evangeliis legendis vel per *traditionem* innotuisse.

20) a) effata quaedam huius ep. cum locis Paulinis non sententia tantum sed etiam tota orationis conformatione magnopere consentiunt, *Iac.* 1, 3. *Romm.* 5, 3. *Iac.* 1, 6. *Ephess.* 4, 14. *Iac.* 4, 4. *Romm.* 8, 7. *Iac.* 4, 12. *Romm.* 14, 4. b) lubenter usurpavit Iacobus loquendi formulas Paulinas, v. c. δικαιουσθαι πιστει s. εκ πιστεως s. εξ εργων, πρωτον sequente ειτα s. επειτα, κτισμα θεου, ψυχικος, μη πλανασθε etc. Cfr. potissimum; quae praeter epistolas Iacobi et Pauli in N. F. non leguntur: ηλικος, καρποι δικαιοσυνης, μαχαι, ολοκληρος, παραβατης, παραλογιζεσθαι, ποιητης, τελειν τον νομον. Nolim quidem ex his probare, Iacobum in eo *elaborasse*, ut Paulum imitaretur, eiusve singula effata hic illic epistolae suae insereret. — Ceterum nonnulla etiam locis *Petrinis* similia apparent, *Iac.* 1, 2. 3. I. *Petri* 1, 6. 7. *Iac.* 1, 10. 11. I. *P.* 1, 24. *Iac.* 1, 18. I. *P.* 1, 3. 23. *Iac.* 1, 21. I. *Petri* 2, 1. 2. *Iac.* 5, 20. I. *P.* 4, 8. quanquam non eam dixerim horum loco. convenientiam, quae monstret, vel Iacobum priorem Petri ep. vel Petrum Iacobi litteras legisse.

§. 92.

Quum negari non possit, eo tempore, quo haec epistola scriberetur, in diversis Ethnicorum terris plures fuisse coetus Iudaeo-Christianos [1]), rite constitutos [2]), satisque probabiliter auctor huius epistolae Paulinas plures legisse existimetur [3]), intra annum Saeculi I. 52. et 70. vel (si Iacobus Apostolus a. 62. mortuus [4]) auctor habeatur) intra annum 52. et 62. epistolam exaratam esse recte coniicimus. De loco, ubi scripta fuerit, nihil compertum habemus [5]). Integritatem eius argumentis idoneis vindicamus contra dubitationes authentiae sectionis postremae C. V, v. 12—20. nuper oppositas [6]).

1) Vd. §. 91. nota 7. 8.

2) Habebant quippe conventus sacros sollemnes, cfr. ep. Iac. c. 2, v. 2. doctores 3, 1. presbyteros 5, 14.

3) Cfr. §. 91. nota 20. Anno 52. aut 53. Paulus epistolas *coepit* exarare, vd. §. 50.

4) Cfr. *Iosephus* Antiqq. Iudd. l. 20. c. 9. §. 1.

5) Qui epistolam Iacobo Apostolo vindicant, ponuntque, eum Palaestina nunquam exiisse, *Hierosolymis* scriptam existimant.

6) Vd. *Rauch* comment. erudita §. 91. nota 6. laud. a) sententias huic sectioni postremae dicit insertas, nexu firmiori destitutas, quarum plures aliis huius ep. sectionibus magis fuissent accommodatae, ut 5, 12. (coll. c. 3.) 5, 13. ff. (coll. 1, 5. ff.) Verum enimvero id omnino pertinet ad ordinem epistolae *liberiorem*, ut eadem sententia primaria diversis locis redeat, cfr. 1, 19. 26. coll. c. 3. 2, 6. coll. 5, 1. ff. 4, 11. coll. 5, 9. 4, 3. coll. 1, 5—8. b) auctorem sectionis postremae aliorum N. F. scriptorum narrationes et dicta usurpasse. Sed neque de omnibus iis effatis, quae auctor comment. laudatae protulit, doceri potest, ex aliis N. F. scriptis esse depromta, neque

in iis, quae praecedunt, capitibus desiderantur, quae scriptorem prodant aliorum N. F. librorum lectione inbutum, vd. §. 91. nota 20. c) verba c. 5. v. 14. quae coetus illos Christianos, quibus epistola mittitur, tanquam ecclesias rite constitutas, ab ecclesia Iudaica separatas describant, parum convenire effatis c. 2, 2. 3, 1. quum, his praeeuntibus, Christiani illi *tum temporis* synagogae Iudaicae etiamnum interfuisse, neque leges certas de doctoribus publicis praesidibusque coetuum recte eligendis habuisse videantur. Attamen vocab. συναγωγη 2, 2. eodem iure, quo aliae huius generis voces, ad sacra *Christiana* transferri poterat. Nec inprobabile dixerim, etsi his coetibus doctores legitime constituti non deessent, haud paucos tamen fuisse, qui graviter admonendi essent (3, 1.) ne hanc docendi provinciam cupidius expeterent, iisve doctoribus, qui rite constituti essent, temere se immiscerent. d) quae c. 5. v. 15. ss. de supplicatione pro aegrotantibus, eiusque efficacia saluberrima dicantur, aevum prodere apostolico serius. Audimus vero *Ioannem* I. ep. 5, 16. ss. *similiter* supplicationem pro iis, qui peccaverint, commendantem. e) iis denique argumentis, quae auctor doctiss. ex toto elocutionis c. 5. v. 12—20. genere, orationi capitum praecedentium diligenter comparato petiit, opponere licet, α) non posse mirum videri, quod auctor epistolae permultas earum vocum formularumque dicendi, quae in *ceteris* sectionibus obveniunt (praesertim απαξ λεγομενων) in hac postrema *brevissima* non adhibuerit, quum rebus h. l. tractatis nihil inesset, quod usum earundem formularum *efflagitaret*, β) ab indole et ingenio scriptoris huius ep. non posse alienum existimari, quod pericope brevissima 5. 12. ss. eiusmodi tantum voces exhibeat, quae in aliis quoque libris N. F. legantur (eiusdem quippe generis vocabb. ab initio inde ep. usque ad 5, 12. saepius usurpantur, αληθεια, αμαρτια, δικαιουσθαι, εργα, θανατος, πειρασμος, πιστις, τελειος, υπομονη etc.) γ) alios quoque N. F. auctores non ubique eandem huius illiusve vocab. formam grammaticam constanter tenuisse (v. c. ητω I. Corr. 16, 22. εστω II. Corr. 12, 16.) δ) sectionem postremam, etsi ad illam orationis sublimitatem non assurgat, quae in capitibus antecedd. animos lectorum haud raro percellit, profecto tamen dignitatem sermonis vocesque habere bene lectas, nec discrepare ab aliis eiusdem ep. locis, quae morum praecepta oratione tradunt sedata et tranquilla, 1, 5. 19—21. 27. 2, 9. 10. 11. 23. ss. 3, 17.

nl. Cfr. quae de authentia huius loci verissime monuit H. *Hagenbach:* *Winer* und *Engelhardt* neues krit. Journal der theol. Litter. 7. B. 4. St. 1827.

Ad *isagogen* in hanc ep. praeter libros et commentatt. Gableri, Gierigii, Heybergii, Kaiseri, Küchleri, Noesselti, Schulzii, Weberi §. 89. nota 9. §. 91. nota 4. 6. 8. 18. laudd. cfr. H. *Michaelis* introductio in ep. Iac. cathol. Hal. 1722. 4. Io. *Clausen* differt. continens introductionem in ep. Iac. Gott. 1800. 4. *Explicationi* epistolae praeter commentarios epistolarum catholicarum (§. 88. nota 8.) et libros exegeticos *Faberi*, *Gebseri*, *Herderi*, *Potti*, *Storrii* §. 89. nota 9. §. 90. nota 13. §. 91. nota 6. commemoratos utiliter inserviunt partim commentarii ampliores: H. *Heisen* novae hypotheses interpretandae felicius epistolae Iacobi, Bremae, 1739. 4. *Baumgarten* Auslegung des Briefs Jacobi, Halle, 1750. 4. *Semmler* paraphrasis ep. Iacobi cum notis, Hal. 1781. 8. Iacobi et Iudae epp. latine redd. et perpet. adnot. illustr. *Seemiller*, Norimb. 1783. 8. *Mori* praelectt. in epp. Iacobi et Petri ed. *Donat*, Lipf. 1794. 8. Epp. Iac. et Petri I. cum versione germanica et commentario lat. ed. Iac. *Hottinger*, Lipf. 1815. 8. Ep. Iacobi commentario copiosissimo et verborum et sententiarum explanata a Io. *Schulthess*, Turici, 1824. 8. (cfr. *Schulthess* neueste theol. Annalen und Nachrichten, Junius, 1828. p. 209. ff.) partim breviores: der Brief Jacobi übersetzt mit Anmerkk. von K. *Rosenmüller*, Leipzig, 1787. 8. Der Brief des Ap. Jac. übers. und erläutert von G. *Hensler*, Hamburg, 1801. 8. *Flachs* τα ἁπαξ λεγομενα epistolae Iac. animadversionibus philologicis illustrata, Lipf. 1730. 4 *Schmid* versio Alexandrina optimum interpretationis librorum sacrorum praesidium, specimen secundum in ep. Iac. cathol. Lipf. 1764. 4. Th. *Meyer* observationes ad ep. Iac. Dresdae, 1796. 8. (in commentatt. theoll. coll. a Velthusen, Kuinoel, Ruperti Vol. IV.) *Flatt* spicilegium observatt. ad ep. Iac. Tubing. 1806. 4. *Kuinoel* spicilegium observv. in ep. Iac. Giessae, 1807. 4. *Fritzsche* comment. in: *Winer* und *Engelhardt* neuem krit. Journal u. s. w. 5. B. 1. St. 1826. *Winer* observatt. in ep. Iac. ex versione Syriaca, Erlang. 1827. 4.

Epistolae Petri.

§. 93.

Simon, Andreae frater, olim piscator [1]) Galilaeus, quem Iesus, quum ad sectatores ipsius perpetuos accessisset, cognomine Petrum appellavit [2]), familiaritate Christi, optima quaeque de eo sperantis, praecipua gavisus est [3]), vir animi candidi et ingenii fervidioris [4]). Quanquam ea nocte qua Iesus hostibus tradebatur, incolumitati suae ita consulendum esse putaverat, ut coram pluribus iterata vice negaret, se Christum esse sectatum, ipse tamen protinus huius facti poenitentiam egit, dolore gravissimo correptus [5]). Neque Servator, postquam ex mortuis in vitam redierat, de probitate huius Apostoli, et efficacia insigni, qua causam Christi in his terris adiuturus esset, aliter, quam olim, iudicavit [6]). Satisfecit omnino Petrus mandatis Domini, siquidem non tantum die Pentecostes tanta libertate atque fiducia coram Iudaeis Iesum Messiam verum praedicavit [7]), ut ingens coetus sectatorum Christi Hierosolymis colligeretur, sed etiam posthac, primum in Palaestina, inter Iudaeos tantum [8]), deinde, rectius edoctus [9]) de evangelio hominibus omnium gentium destinato, inter Ethnicos quoque, extra [10]) Palaestinam, doctrinam Iesu studiosissime propagavit, adeoque Romae sub inperio Neronis a. 67. capitis supplicium pro evangelio subiit [11]).

1) *Matth.* 4, 18. 10, 2. *Marc.* 1, 16. 3, 16. *Luc.* 6, 14. *Io.* 1, 41. ss.

2) Vim symbolicam nominis πετρος (aram. כֵּיפָא) illustrat effatum Christi *Matth.* 16, 18. Vid. *Huth* comment. Petrus non petra, Erlang. 1757. 4.

3) Cfr. v. c. *Matth.* 17, 1. (coll. locis parall.) *Matth.* 26. 37. (coll. I. p.) *Marci* 5, 37. De singulari, quae Petro cum Ioanne intercessit, familiaritate, §. 36. nota 4. diximus. Nunquam vero Iesus Petrum discipulis ceteris *imperare* voluit. Etenim, quae *Matth.* c. 16. v. 18. Petro tribuitur auctoritas, eadem ceteris tribuitur Apostolis *Matth.* 18, 18. Cfr. *Luc.* 22, 24. sq. *Matth.* 23, 8—10.

4) v. c. *Matth.* 14, 28. 16, 22. 26, 35. 51. (coll. locis par.) *Io.* 21, 7.

5) Vd. *Matth.* 26, 69—75. coll. v. 34. *Marc.* 14, 66—72. coll. v. 30. *Luc.* 22, 56—62. coll. v. 34. *Io.* 18, 15. ss. 25. ss. Mirum utique videri potest, quod Petrus, qui huc-usque haud exiguam declarasset animi fortitudinem, quum doctorem dilectum armorum vi defendere voluisset (vd. *Matth.* 26, 51. ss. *Marc.* 14, 47. *Luc.* 22, 50. sq. *Io.* 18, 10. ss.) Iesumque ad iudices abductum secutus fuisset (*Io.* 18, 15. ss. *Matth.* 26, 58. ss. *Marc.* 14, 54. ss. *Luc.* 22, 54. ss.) paulo post suam cum Iesu familiaritatem dissimulaverit. Existimatur vulgo timore perculsus hoc fecisse, *de sua tantum vita et libertate sollicitus*, animo vehementer perturbatus, quod Iesus, armorum usu discipulis interdicto, ultro se tradidisset manibus hostium. Attamen constantia illa, qua Petrus doctorem dilectum, *in captivitatem iam redactum*, porro comitatus esse narratur, aliam commendat sententiam. Videtur quippe, quum veritatem laederet neganda sua cum Christo familiaritate (animo tum temporis utique graviter commotus), *officio* duxisse, ut suae ipsius vitae, quam (servo sacerdotis summi vulnerato) discrimini summo expositam esse putaret, si coram illis hominibus sectatorem Christi se libere profiteretur, hac ratione consuleret, *causae Iesu Christi* (qui efficaciam eius insignem olim futuram dudum praedicaverat *Matth.* 16, 18.) *in posterum pro viribus suis profuturus.* Forsitan insuper, quo tempore haec fiebant, etiam-num sperabat Petrus, Iesum singulari modo manibus hostium iri ereptum. Sententia quippe condemnatoria non-dum fuerat pronuntiata. Vd. *Bertholdt* Einl. 5. Th. 2. H. p. 2682. A. *Rudolph* comment.: *Winer* Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie, 1. H. Sulzbach, 1826. Quantopere Petrum huius erroris poenituerit, effata *Matth.* 26, 75. *Marc.* 14, 72. *Luc.* 22, 61. 62. tam diserte testantur, ut de alia lacrymarum causa cogitari omnino nequeat.

6) Cfr. *Io.* ev. 21, 15—19. Quanquam non negaverim, Servatorem, reprehensione leni usum, quaestione illa: diligisne me? *iterum iterumque* proponenda Apostolo errorem nuper commissum in animum revocasse; fiduciam tamen summam in Petro repositam et verbis: βόσκε τὰ πρόβατά μου, et vaticinio v. 18. edito coram omnibus testatus est.

7) *Actt.* c. 2, v. 14—47.

8) *Actt.* c. 4—c. 12. Qua fiducia inconcussa provinciam Apostoli gesserit, nec vincula pro evangelio ferre recusaverit, praesertim loca docent *Actt.* 4, 8—20. 5, 29. ss. 12, 3. ss.

9) *Actt.* c. 10. c. 11.

10) In libro quidem *Actt.* de iis, quae Petrus inter *exteros* fecerit, nihil legitur. *Actt.* 12, 17. quum ex captivitate, cui Hierosolymis iussu Herodis traditus fuerat, singulari modo liberatus esset, profectus esse dicitur εἰς ἕτερον τόπον, ubi nihil certe inpedit, quo minus alium *Palaestinae* locum intelligamus. C. 15, v. 7. ss. *Hierosolymis* (anno 47. aut 48. vd. §. 48. nota 15.) interfuisse narratur conventui Apostolorum. In iis vero, quae sequuntur, capitibus *Actt.* Petri non amplius mentio facta est. Testante *Paulo* ad *Gal.* 2, 11. ss. posthac Antiochiae (in Syria) aliquamdiu commoratus est, ubi nonnullis Iudaeo-Christianis severioribus, qui rituum Iudaicorum tenaciores essent, ita indulsit, ut Paulus eum palam existimaret reprehendendum. [Videtur quippe Petrus, tum temporis, pro sua persuasione, eiusmodi accommodationem necessariam habuisse.] Satis probabiliter, *Antiochia digressus*, terras Ethnicorum adiisse existimatur. Exteris quippe haud dubie evangelium praedicavit. Quanquam hoc nolumus ex solis veterum testimoniis (*Origenis* apud *Euseb.* h. e. 3, 1. *Eusebii* h. e. 3, 4. *Epiphanii* haer. 27.) comprobare, quum disceptetur, utrum, qui hoc testantur, coniecturam sequuti fuerint ex ipso initio I. ep. Petri oriundam, an etiam aliunde rem cognoverint; profecto tamen testem rei idoneum habemus ipsam Petri epistolam I. Scripta est (praeeunte c. I. v. 1.) Christianis in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia (Proconsulari), Bithynia versantibus. Eosque Petrus c. 5. v. 13. nomine *uxoris suae*, quam συνεκλεκτὴν dicit [uxorem habuisse Petrum evangelia docent *Luc.* 4, 38. *Matth.* 8, 14. *Marc.* 1, 30. cfr. I.

Corr. 9, 5.] et *Marci filii* salutat, ex quo patet, Petrum eiusque familiam coetibus illis asiaticis accuratius, non audiendo tantum, sed videndo, innotuisse. Ceterum, quae ex eodem epistolae I. effato de loco, ubi scripta fuerit epistola, inmotuerunt (sive Petrum tum temporis in ipsa urbe Babylon, sive haud procul ab illa urbe remotum fuisse cum *Bertholdtio* Einl. Vol. VI. p. 3059. diximus) indicio inserviunt luculentissimo itinerum, quibus exteros adiit. Attamen, quae *Irenaeus* contra haerr. l. 3. c. 1. *Euseb.* in Chronico ad a. II. Claudii (coll. *Euseb.* hist. eccles. 2, 14.) *Hieron.* catal. scriptt. eccl. sub. v. *Petrus* perhibent, hunc Apostolum *anno inperii Claudii secundo* (a. 44.) *Romam profectum esse*, coetum Romanum condidisse, Simoni Mago fortiter restitisse, per vinginti quinque annos *episcopi Romani* provinciam tenuisse, cum effatis pluribus librorum N. F. conciliari nequeunt. a) paulo ante mortem Herodis Agrippae, qui anno 2. aut 4. Claudii diem obiit, Petrus *Hierosolymis* fuit, *Actt.* 12, 3. ss. coll. v. 23. [De loco *Actt.* 12, v. 17. vd. nota 10. in. obsarvata.] b) anno 10. inperii Claudii *Antiochiam* venit ad *Gal.* 2, 11. c) epistola ad Romanos a. 56. aut 57. litteris consignata [vd. §. 59. nota 1.] demonstrat, Petrum nec Romam venisse, ibique docuisse, *priusquam* haec Pauli epistola scriberetur, nec illo tempore inter Romanos esse versatum. Nolebat enim Paulus iis coetibus Christianis operam dare edocendis atque corrigendis, qui alius cuiusdam Apostolorum institutione et disciplina utebantur. *Romm.* 15, 20. II. *Corr.* 10, 16. d) Si Petrus ante Paulum (a. 60. Romam deductum, vd. §. 48.) in hanc urbem venisset, et episcopi munere functus esset, haud dubie, pro auctoritate sua et alacritate insigni, etiam illos *Iudaeorum Romae viventium principes*, qui teste Luca *Actt.* 28, 17. ss. ad Paulum convocati sermonibus suis declaraverunt, quam parum accurate res Christianas nossent, ad doctrinam Christianam eiusque praecones magis attentos reddidisset. Neque Paulus in epistolis Romae scriptis ullam Petri mentionem iniecit. e) *Lactantius* de mortibus persecutorum c. 2. p. 1373. sq. ed. Bünemanni T. II. diserte testatur, Petrum *sub inperio Neronis* Romam esse profectum. Quae de Petro Simoni Mago *Romae* adversante perhibentur, partim ex narratione *Actt.* 8, 8—25. (de Simone Mago in *Samaria* oratione Petri graviter vituperato), partim ex iis, quae *Iustinus Martyr* Apol. II. p. 69. ed. Colon. de Simone, inter Romanos

miracula magica edente habet (quanquam h. l. de Petro nihil dicit) originem duxerunt. Cfr. F. *Spanheim.* miscell. sacrae antiquitatis l. 3. diss. III. (qui parum recte *universe* negat, Petrum unquam Romam venisse). *Pagi* critica in annales eccles. Baronii (Colon. Allobr. 1705.) ad a. 43. N. II. ad a. 45. N. III. *Valesius* in notis ad *Euseb.* h. e. 2, 12. *Basnage* annales politico - ecclesiastici, Roterod. 1706. p. 522. ss. ex recentioribus: *Hug* Einl. Vol. II. p. 64. sq. ed. II. Auctor (anon.) comment. über den Aufenthalt des Apostel Petrus zu Rom: theologische Quartalschrift herausgeg. von *Drey*, *Herbst*, *Hirscher*, Jahrgang 1820, Tüb. 4. Quartalheft. *Tholuk* Auslegung des Briefs an die Römer, Berlin, 1824. Einl. p. VII. sq. Similiter, quae *Euseb.* chron. ad a. II. Claudii et *Hieron.* catal. scriptt. eccl. sub v. *Petrus* de hoc Apostolo tradiderunt, condidisse eum ecclesiam *Antiochenam*, et aliquamdiu Antiochiae fuisse episcopum, probari non possunt, si modo narrationem *Actt.* 11, 19—21. 22. ss. 25. ss. de originibus et incrementis huius ecclesiae, et, quae *Actt.* 12, 3. ss. de Petro *Hierosolymis* adhuc commorante dicuntur, accurate contulerimus.

11) *Clemens Rom.* ep. I, ad *Corinthh.* c. 5. universe testatur, Petrum martyrium subiisse. Alii accuratius et genus mortis (supplicium crucis) et locum (Romam) ac tempus definiunt. *Origenes* apud *Euseb.* h. e. 3, 1. *Euseb.* h. e. 2, 25. (testimoniis usus et *Caii* presbyteri Rom. S. III. et *Dionysii Corinth.* S. II.) Cfr. eiusd. chronicon ad a. XIV. Neronis. *Lactantius* de mortibus persecutorum c. 2. et institutt. divv. 4, 21. [*Irenaeus*, ad quem provocant, contra haerr. l. 3. c. 1. Petrum et Paulum *una* Romae docuisse et ecclesiam Rom. condidisse perhibet, de modo ac tempore mortis utriusque Apostoli nihil definiens.] Neque est quod huic narrationi fidem denegemus. Illa quippe interpretatio loci I. Petri ep. 5, 13. qua vocab. Βαβυλων olim de Roma perperam intellectum est, ex eo profecta esse videtur, quod omnino constabat, Petrum aliquando Romae fuisse; neque suspectam reddit ipsius historiae veritatem. Cfr. comment. nota 10. laud. theol. Quartalschrift u. s. w. p. 615—626.

§. 94.

Quae prior appellatur Petri epistola, huic apostolo consensu ecclesiae antiquioris vindicatur [1]). Cui testimonio ut fidem habeamus, suadet omnino et sententiarum hac epistola tractatarum, et orationis indoles, quippe quae prorsus refert indolem Petri eiusque doctrinae aliunde cognitam [2]). Nec dubitationes de authentia epistolae recentius motae ita se habent, ut hanc persuasionem evertant [3]).

1) Locus II. Petri ep. 3, 1. etsi haec ep. quae l. l. δευτέρα dicitur, non existimetur ab ipso Petro profecta, testimonio tamen inservit antiquissimo, quo pateat, epistolam I. *Petrinam* fuisse agnitam. Ex patribus apostolicis (ut eiusmodi effata praetereamus, de quibus recte dubitetur, an loca epistolae Petri I. scriptoribus illis ante oculos fuerint obversata, v. c. *Clem. Rom.* ep. I. ad *Corr.* c. 2. c. 38. c. 49. *Barnabae* ep. c. 4.) haud dubie *Polycarpus* usum fecit epistolae nostrae, ep. ad *Philipp.* c. 1. c. 2. c. 5. c. 7. c. 8. c. 10. Idem *Papias* fecisse legitur apud *Euseb.* h. e. 3, 39. ex. Ad effata Petrina provocatur apud *Irenaeum* contra haerr. l. 4. c. 9. §. 2. c. 16. §. 5. (cfr. *Euseb.* h. e. 5, 8.) *Clementem Alexandr.* stromm. l. 3. p. 473. l. 4. p. 493. ed. Sylb. *Origenem* in comment. ad Io. in Orig. exegeticis ed. Huëtius P. II. p. 126. *Tertullianum* in l. Scorpiacus c. 12. Inter ὁμολογουμένα hanc ep. referunt *Origenes* apud Euseb. h. e. 6, 25. et *Eusebius* ipse h. e. 3, 3. 25. Versio Syr. Peschito authentiam eius agnovit. Desideratur quidem in canone Muratorio, forsan, quod haec ep. ecclesiae Rom. serius innotuit. Qua de causa *Theodorus Mopsvestensis* S. V. eam non habuerit apostolicam (si modo hoc ex verbis *Leontii* contra Nestor. et Eutych. l. 3. c. 14. recte colligitur) ignoramus. *Pauliciani* vero Saec. VII. (de quibus praesertim cfr. comment. docta V. *Gieseleri* in theol. Studien und Kritiken herausg. von *Ullmann* und *Umbreit*, 2. B. 1. H. Hamburg, 1829. p. 79. ff.) epistolas Petri propterea reiecerunt, quod in ipso Petro offenderunt, olim (ad *Gal.* 2, 11. ff.) Iudaeo-Christianis severioribus indulgente, vd. *Photius* bibl. l. 1. p. 24. 27.

2) Conferendae potiſſimum cum hac epiſtola *orationes Petrinae Actt.* c. 1. c. 2. c. 3. c. 4. c. 5. c. 10. c. 15. c. 8, v. 20. ſſ. quae eadem docent, eundemque ſpirant ingenii animique fervorem. Vd. Dan. *Schulze* über den ſchriftſtelleriſchen Charakter und Werth des Petrus, Iudas und Iacobus, Weiſſenfels und Leipzig, 1802. 8. p. 41. ſſ. Oratio graeca epiſtolae, ad linguam hebraicam propius accedens, prorſus eſt Petro accommodata, inter Galilaeos nato et educato.

3) Quum Iudaei Palaeſtinenſes tempore Chriſti commercio perpetuo cum Babyloniis uterentur, facile fieri potuit, ut *Babylone* (I. Petri 5, 13.) coetus Chriſtianus mature colligeretur. Patetque ex hiſtoria itinerum Pauli (§. 48.) priusquam I. ep. Petrina ſcriberetur, non defuiſſe coetus Chriſtianos in diverſis inperii Romani provinciis (I. *Petri* 1, 1.) De aliis dubitationibus partim ex uſu, quem auctor huius ep. fecerit, aliorum N. F. ſcriptorum, partim ex difficultate chronologica quaeſtioni de tempore conſignationis huius ep. coniuncta oriundis cfr. §. §. ſequentes. Ceterum alia ſcripta Petro olim vere *ſuppoſita* longe aliter ſeſe habent. Suſpectam ep. habuit *Cludius*: Uranſichten des Chriſtenthums Altona, 1808. p. 296. ſſ. Cfr. quae *Auguſti* progr. nova, quae I. Petri epiſtolae αυϑεντιαν inpugnat, hypotheſis ſub examen vocatur, Ienae, 1808. 4. et *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3042. ſqq. monuerunt. De dubitationibus nuperrime a V. *De Wette* excitatis Einleit. p. 318. ſq. cfr. *Guericke* Beyträge zur hiſtoriſch-krit. Einl. p. 165. ſſ.

§. 95.

Quanquam verba verſus primi ſententiae eorum patrocinari videntur, qui epiſtolam Iudaeo-Chriſtianis tantum ſcriptam exiſtimant [1]), et plura obveniunt [2]), quae ad Chriſtianos huius potiſſimum generis reſpiciant; alia tamen eiusdem epiſtolae effata conditioni ac deſideriis [3]) Ethnico-Chriſtianorum tantopere conveniunt, ut haud pauci interpretes Petrum nonniſi Chriſtianos ex Paganis converſos ante

oculos habuisse defendant [4]). Praestat, de coetibus ex utroque genere mixtis cogitare, in Asia minori versantibus [5]). Quos quidem Christi cultores, vexationibus adflictos, haec epistola, praedicanda summa Dei benignitate, quae saluti hominum aeternae per Iesum Christum consuluerit, ita erigit et consolatur, ut indefessum virtutis verae studium iis commendet, quo coetum Christianum adversus obtrectatores optime defendant, et ipsi felicitate digni evadant in coelis reposita. Quae de virtute universe praecipiuntur, pluribus locis ad officia transferuntur singula, pro diversa, qua Christiani utuntur, vitae conditione externa [6]).

1) *Euseb.* hist. eccl. 3, 4. *Hieron.* catal. scriptt. eccl. sub v. *Petrus.* *Epiphanius* haerr. 27, c. 6. *Grotius* in adnotatt. ad 1. Petri 1, 1. *Augusti:* die kathol. Briefe u. s. w. (vd. §. 88. nota 8.) 1. Th. Einl. *Hug* Einl. T. II. p. 494. ss. ed. II. *G. Hensler* der erste Brief des Ap. Petrus übersetzt und mit einem Commentar versehen, Sulzbach, 1813. 8. Einleit. p. 9. ss. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3041.

2) C. 3. v. 6. cohortatur Petrus lectores, ut *Saram* Abrahami coniugem imitentur, eiusque posteros sese gerant vere sic appellandos. Quae c. 1. v. 10. ss. de prophetis, et c. 3. v. 20. de diluvio Noachico dicuntur, ad lectores potissimum respiciunt, qui olim Iudaei fuerant. Ex antiquo foedere haud pauca proferuntur, ne addita quidem semper formula, qua doceatur, verba laudari *V. T.*

3) Cfr. I. *Petri* 2, 9. 10. (Qui h. l. dicuntur *olim non pertinuisse ad populum Dei*, haud dubie sunt *Ethnico-Christiani*, olim idolis addicti. Vd. *Romm.* 9, 25. ss. coll. *Actt.* 15, 14. 18, 10. et *Ephess.* 2, 13. 17. Iudaeos quoque recte dici λαον του θεου Apostoli nunquam negaverunt, *Romm.* 11, 1. 2. *Hebrr.* 11, 25. *Actt.* 13, 17. quanquam haec formula ad veros Christi cultores ex Iudaeis et Paganis collectos sensu transfertur sublimiori, ad *Titum* 2, 14.) I. *Petri* 4, 3. [Pro eo, qui h. l. apparet, orationis nexu, quum verba praecesserint: ἀρκετὸς γὰρ ἡμῖν ὁ πα-

ρεληλυθὼς χρόνος etc. vocabulum εἰδωλολατρείαις utique de *cultu idolorum proprie dicto* intelligendum est, minime de consortio, quod Christiani plures, testantibus locis I. *Corr.* 10, 14. seqq. licitum sibi existimaverunt, epulorum sacrificalium, quae inter gentiles instituebantur. Quanquam Petrus, *ipse Iudaeo-Christianus*, v. 3. in. persona 1. plur. ἡμῖν usus est, atque omnino, quae de ἀσελγείαις, ἐπιθυμίαις etc. dicuntur, de multis quoque eorum Christianorum, qui *olim Iudaei* fuerant, recte dici poterant, ratione vitae eorum pristinae habita; ex his tamen minime sequitur, non potuisse Apostolum verbis eiusdem vs. postremis και αθεμιτοις ειδωλολατρειαις ad *solos* respicere Ethnico-Christianos in epistola coetibus *mixtis* scripta. Ceterum, quum Petrus ipse eiusmodi vitam, qualem verba: ασελγειαις etc. depingunt, haud dubie non egisset, in promtu est, illud ἡμῖν ex figura satis cognita ἀνακοινώσεως explicandum esse.] Haud dubie etiam c. 1, v. 14. v. 21. de Ethnico-Christianis cogitavit.

4) *Procopius* comment. in Ies. 65, 20. *Cassiodorius* de instit. divinarum litterarum T. II. p. 516. *Wettstenius* in ed. N. T. ad I. Petri ep. *Boehme* comment. in ep. ad Hebrr. (§. 80. nota 4. laud.) prolegg. p. XLVI. sq. alii.

5) Verissime hoc colligitur conferendis locis nota 2. 3. laudatis. Neque adversatur huic sententiae, quod Christiani, quos Petrus c. 1. v. 1. salutat, παρεπιδήμοι dicuntur διασποράς Ποντου etc. Quum Petrus ipse ex Iudaismo ad sacra Christiana transiisset, et olim (vd. §. 93. nota 9. 10.) aliquamdiu multum tribuisset praerogativis gentis Iudaicae; satis probabiliter utrumque vocabulum, quod proprie de Iudaeis s. Iudaeo-Cristianis valebat extra Palaestinam inter Ethnicos viventibus, et διασπορα et παρεπιδημοι (nisi posterius malueris sensu tropico interpretari, coll. c. 2. v. 11.) etiam ad Christianos ex paganis, *quatenus una cum illis Iudaeo-Christianis a Palaestina remotis easdem incolerent provincias, eosdemque coetus constituerent*, transferre potuisse existimatur. Aliter se haberet, si scripsisset (*Iacobi* ep. 1, 1.) δωδεκα φυλαις εν τη διασπορα. Ad coetus mixtos Petri epistolam datam esse recte defendunt *Haenlein* Handbuch der Einl. Vol. III. p. 259. ff. ed. II. *Pott* prolegg. ad epp. Petri in l. §. 88. nota 8. laud. *Eichhorn* Einl. 3. B. 2. H. p. 621. *Guericke* Beyträge zur historisch-krit. Einl. p. 167. sq. — Qui lectores huius ep. Christianos ex *profes-*

lytis Iudaeorum, olim paganis, collectos fuisse coniecerunt (*Benson* in comment. §. 88. nota 8. laud. Vol. 3. *Michaelis* Einl. Vol. II. ed. IV. p. 1452. ff.) hac difficultate premuntur, quod huius generis homines non διασπορά sive ἐν διασπ. ὄντες, sed προσήλυτοι, εὐλαβεῖς, εὐσεβεῖς, σεβόμενοι τὸν Θεὸν appellari solebant.

6) Brevis argumenti descriptio. *C. I.* (salutatione praemissa v. 1. 2.) v. 1—12. Laudibus celebrandus est Deus, qui nobis per Christum felicitatem paravit aeternam in coelis repositam. Qua felicitate perpendenda etiam vos decet bono animo esse, etsi hoc tempore tentationibus variis contristemini. Inserviunt quippe fiduciae vestrae, cui olim praemia contingent uberrima, explorandae et confirmandae, consuluntque animorum vestrorum saluti. Haec salus vere Christiana, quam pridem augurati sunt prophetae antiqui foederis (quanquam ex parte tantum cognoverant), perspicuitate summa vobis est patefacta. v. 13—25. Proinde, animo fiduciae pleno adventum Domini salutiferum exspectantes, nolite cupiditatibus pristinis indulgere, immo vos ad exemplum et voluntatem Dei sanctissimi (*Levit.* 11, 44. 19, 2.) componite. Vitam agite, quae deceat homines, quorum causa Christus et mortuus est, et ex mortuis suscitatus. Gerite vos vere regeneratos per doctrinam divinam, quae in perpetuum manet (*Ies.* 40, 6. ff.) *C. II.* v. 1—10. Depositis vitiis per doctrinam Christi incrementa animi capite ad salutem consequendam, aedis instar, quae exstruitur, Deo consecratae, ut singuli omnes evadatis veluti sacerdotes Dei, dignitate summa conspicui, prorsus alieni ab iis, qui, doctrinae divinae fide deneganda, miseriam incurrunt. (Usurpantur h. l. plura loca V. T.) v. 11—25. Quamdiu in hac terra peregrinamini, paganis exemplum praeite vitae honestae, quo pagani rectius discant de re Christiana iudicare. Nolite magistratibus obsequium iustum denegare. Qui in conditione servili versantur, obediant dominis. Constanter ferte iniurias, quae vobis, recte agentibus, fuerint illatae, eiusmodi contumeliam honori vobis ducentes, animumque ad exemplum Christi convertentes, qui, quum nunquam peccasset, pro peccatis hominum mortem cruentam subiit. *C. III.* v. 1—7. Vos, mulieres Christianae, maritis vestris obsequimini, et, si qui forte ad Christum hucusque nondum conversi fuerint, eos virtutis vestrae exemplo religioni Christianae conciliate. Nolite externum corporis splendorem, sed

vera animi ornamenta captare. Imitamini Saram, aliasque mulieres sanctas. Sed etiam vos, mariti, mulieribus honorem debitum praestate. v. 8—22. Amori fraterno omnes, velim, studeatis, ne iis quidem odio habendis, qui iniuste vos tractaverint. (Adhibentur loca V. T.) Constantia probitatis munimento vobis inserviat praestantissimo adversus criminationes eorum, qui religionem vestram insectantur. Praestat vos bene facientes mala perpeti, quam, prave agentes. Exemplum praeivit Christus, qui, insons, mortuus est pro inprobis cum Deo reconciliandis, adeoque, quum ad inferos descendisset, veritatem divinam ibi praedicavit iis, qui olim immorigeri fuerant tempore diluvii Noachici, ex quo pauci tantum servati sunt (quae quidem aqua, veluti typus, respondet aquae baptismi saluberrimae, salvos nos praestanti per Iesum Christum ex mortuis suscitatum, ad dextram Dei sublatum.) C. *IV.* v. 1—6. Itaque, quum Christus pro nobis mala gravissima perpessus fuerit, reliquum vitae terrestris tempus voluntati divinae prorsus addicite, nec amplius imitamini mores perversos ethnicorum, etsi vos propter mutatam vitae rationem maledictis lacessiverint (quippe qui, tempore iudicii, rationem factorum reddent Deo, iudici iustissimo). v. 7—11. Quum finis rerum omnium instet, sobrii estote ad preces fundendas, et amorem mutuum exercete, ita ut quisque facultate divinitus sibi concessa recte utatur ad salutem aliorum promovendam Deumque illustrandum. v. 12—19. Nolite calamitatibus, quae vobis, animi vestri tentandi causa, acciderint, veluti re nova perturbari; immo laetemini, quod in communionem malorum Christi veniatis. Cavete modo, ne quis vestrum propter peccata mala patiatur, probe perpendentes illam iudicii severitatem, quam olim experientur, quicunque veritati divinae obsequi noluerint. *C. V.* v. 1—5. Vos, praesides coetuum Christianorum, officio vestro strenue fungimini, animo promto, absque lucri studio, et temeraria inperandi cupiditate. Vos, iuniores, praesidibus obsequimini. v. 5—9. Omnes modesti estote, fiduciam inconcussam in Deo collocate, sobrietate et vigilantia animi servanda tentationibus Satanae resistite. v. 10—14. precationes faustae adduntur et salutationes.

§. 96.

Cuivis lectori epistolam nostram cum Paulinis sedulo comparanti et loca plura obveniunt singula, quibus haud exigua intercedat cum Paulinis similitudo [1]), et universe magna apparet orationis horum Apostolorum convenientia [2]). Colligimus inde, Petrum non tantum sermonibus cum Paulo saepenumero conferendis, eiusque orationibus audiendis [3]), sed etiam legendis pluribus Pauli epistolis haud pauca sibi adscivisse Paulina, eique, hanc epistolam exaranti, effata illius Apostoli saepius ante oculos esse obversata [4]); praesertim quum Petrus omnino haberet, quod suum cum Paulo consensum docendo declararet [5]). Nolumus tamen his concedendis adfirmare, institutionem et orationem Petri totam ab illa Paulina pependisse; siquidem et ipsa sententiarum tractatarum indoles atque conformatio [6]), et elocutio Petrina [7]) plura etiam habet, quibus haec epistola a scriptis Pauli ceterorumque N. F. auctorum differat. Ceterum argumenta desunt idonea, quae suadeant, ut Petrum has litteras, posthac graece translatas, aramaice consignasse cum nonnullis [8]) coniiciamus.

1) Cfr. *I. Petri* 1, 3. *Ephess.* 1, 3. I. *P.* 1, 20. sq. *Romm.* 4, 24. 16, 25. *Coloss.* 1, 26. I. *P.* 2, 13. ss. *Romm.* 13, 1—5. I. *P.* 2, 16. sq. ad *Gal.* 5, 13. I. *P.* 2, 18. 3, 1. *Ephess.* 6, 5. *Coloss.* 3, 18. I. *P.* 3, 3. 4. I. *Timoth.* 2, 9. ss. I. *P.* 3, 22. *Ephess.* 1, 20. sq. I. *P.* 4, 10. sq. *Romm.* 12, 6. ss. I. *P.* 5, 1. *Romm.* 8, 18. I. *P.* 5, 8. I. *Thessall.* 5, 6. I. *P.* 5, 14. I. *Corr.* 16, 20. *Romm.* 16, 16. I. *Thess.* 5, 26. In his plura obveniunt, quae non tantum sententia, sed etiam verborum conformatione cum Paulinis magnopere conveniant.

2) Ipsius animi ingeniique Petri indolem Paulinae similem fuisse a) illa ostendit dicendi copia, qua Petrus eandem

ſententiam et adfirmando et negando efferre ſolet, antitheſes uſurpat, non parcus eſt epithetorum et ſynonymorum, universe enuntiatis lubenter adnectit, quae de ſpecie et individuis dicuntur, b) uſus digreſſionum, quae haud raro inſeruntur, occaſione interdum ab uno vocabulo ſumta, c. 1, v. 5. 8. 10. ſſ. 20. ſſ. c. 2, v. 4. 18. c. 3, v. 10. 19—22. c. 5, v. 5. 6. c) ſermo figuratus, ſimilitudinibus metaphoriſque inſignis, ſubinde praecipue lectis, v. c. 1, 7. 13. 19. 23. 2, 5. 9. 5, 8. al. d) periodorum conformatio interdum parum facilis, nec numeris apte compoſita, et longa ſeries enuntiationum, quae ope participiorum, particularum, pronominum connectuntur, vd. c. 1, v. 3—13. 17—22. c. 2, v. 1—5. c. 3, v. 18—22. Cfr. quae de elocutione Pauli obſervata ſunt §. 49. nota 15. ſeqq. Sed etiam voces permultae ac formulae loquendi Paulinae apud Petrum leguntur, a) quae Paulo familiares ſunt, quanquam nec deſunt apud alios N. F. auctores: αναστροφη, ανυποκριτος (*de amore non ſimulato*, I. *Petri* 1, 22. *Romm.* 12, 9. II. *Corr.* 6, 6.) αποκαλυψις του χριστου, ſ. κυριου ſ. της δοξης, γαλα ſenſu tropico *de inſtitutione doctrinae divinae* (I. *Petri* 2, 2. I. *Corr.* 3, 2.) εστηκεναι de *conſtantia in religione* (I. *Petri* 5, 12. I. *Corr.* 15, 1. I. *Theſſall.* 3, 8.) καλειν *de invitatione per Chriſtum facta ad regnum divinum*, κληρονομια de ſalute in regno divino parata, κρυπτος *de iis, quae intus ſunt in homine* (κρυπτος ανθρωπος, I. *Petri* 3, 4. *Romm.* 2, 29. I. *Corr.* 14, 25.), οικονομος θεου de diſpenſatore provinciae ſ. facultatis divinitus datae (I. *Petri* 4, 10. I. *Corr.* 4, 1. ad *Titum* 1, 7.), προγινωσκειν de praeſcientia ſ. decreto Dei aeterno, στηριζειν, συνειδησις αγαθη (I. *Petri* 3, 16. cfr. oratio Pauli *Actt.* 23, 1. 24, 16. I. *Timoth.* 1, 5.), σωτηρια, χαρις al. b) quae praeter epiſtolas Pauli noſtramque Petrinam in N. F. non obveniunt: αγνωσια, αρετη, αθωτια, αφθαρτος, ειπερ, ειτε *repetitum*, ειδωλολατρεια, εκκλινειν, επαινος, επιχορηγια, ευπροσδεκτος, ευσπλαγχνος, ησυχιος, ιχνος, καθο, καταλαλια, κωμος, λογικος, λοιδορια, νηφειν, πνευματικος, συσχηματιζεσθαι, υπερεχειν, υποφερειν, φθαρτος, φιλαξενος φρουρειν, χαρισμα, χορηγειν. Cfr. *Schmid* ταμειον N. T. ſub his vocc.

3) Vd. *Actt.* 9, 26. ſſ. ad *Gal.* 1, 18. 2, 1—3. 14. Ad explicandam elocutionis epiſtolarum Paulinarum et Petrinae

convenientiam non omnino *sufficere* videtur, quod Petrum locis temporibusque diversis consuetudine Pauli usum fuisse concedimus.

4) Sic praeter alios iudicaverunt *Hug* Einl. T. II. p. 494. ss. ed. II. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3054. ss. *De Wette* Einl. p. 316. sq. Dan. *Schulz* Nachtrag über die Quellen der Briefe von Petrus, Jacobus, und Judas. (vd. §. 91. nota 18.) p. 12. ss. *Negavit* nuperrime Car. *Rauch* in comment. Rettung der Originalität des 1. Briefs des Ap. Petrus: *Winer* und *Engelhardt* neues krit. Journal der theolog. Litter. 8. B. 4. St. 1828. Absit omnino, ut dicamus, Petrum, qui ipse ingenii animique esset fervidioris, sive sententiarum, sive verborum inopia quadam coactum, imitationi epistolarum Paulinarum *servili* indulsisse; nec demonstratum est, Petrum loca singula litterarum Paulinarum in suam epistolam verbotenus transtulisse. Attamen facile fieri potuit, ut hic Apostolus, et sermonibus Pauli audiendis, et pluribus eius epistolis studiosius legendis eiusmodi sententiarum conformationibus formulisque dicendi, quae Paulo familiares essent, sensim sensimque adsuesceret, easque *lubenter* usurparet (vd. nota seq.)

5) Epistola Petrina iis coetibus scripta est, qui et ipsius Pauli et discipulorum huius Apostoli ope ad sacra Christiana conversi fuerant. Haud dubie vero iampridem eo tempore, cuius historia in ep. ad *Gal.* 2, 2—10. narratur, Paulum Barnabamque inter et Petrum aliosque Apostolorum sermonibus mutuis constitutum fuerat, qua ratione et Iudaeis et Ethnicis *eandem* veram et incorruptam evangelii doctrinam tradituri essent. Itaque, quum Petrus exemplo Pauli, qui primus inter Apostolos litteras dedisse videtur ad coetus Christianos, excitatus, consilium cepisset, Christianos illarum regionum, in quibus Paulus olim docuerat, hac epistola edocendi et admonendi, utique curae cordique ei esse debebat, ut suum cum Paulo *consensum* etiam scribendo patefaceret. Non defuerunt enim, qui Apostolis constantiam in docendo deesse contenderent, I. *Corr.* 1, 11. ss. 1. *Io.* 2, 7. 3, 11. neque, qui coetibus Christianis dogmata persuadere vellent, quae aliena essent ab institutione apostolica, cfr. v. c. ad *Gal.* 1, 6. ss. c. 3. in. Praeterea constabat, Petrum olim a Paulo dissensisse, ad *Gal.* 2, 11. ss. Cfr. quae verissime observarunt *Censor* doctiss. libri: *Guericke* Beyträge u. s. w.: Leipziger Litteraturzeit. 1829. N. 155. p. 168. et

Bleek Einl. in den Brief an die Hebr. p. 321. sq. Ceterum dubitari non potest, Petro in regiones exteras profecto (§. 93. nota 10.) plures certe Pauli epistolas innotescere facile potuisse. Et, quamvis de origine epistolae *II.* Petr. in utramque partem disceptetur, haud dubie tamen, quicunque hanc epistolam exaraverit, compertum habuit, Petrum de epistolis Paulinis ea dicere *potuisse*, quae II. *Petri* 3, 15: sq. leguntur. Proinde ad explicandam orationis Paulinae et Petrinae similitudinem non indigemus coniectura, ingeniose quidem defensa ab *Eichhornio* (Einleit. 3. B. 2. H. p. 606. ff.) Marcum, olim Pauli discipulum, orationi Paulinae adsuetum, tum temporis Petri comitem atque interpretem, sententias a Petro suppeditatas sermone graeco elaborasse. An vero Petrus *Iacobi* epistolam legerit et usurpaverit, incertum dixerim. vd. §. 91. nota 20. ex.

6) Cfr. quae I. *Petri* 1, 8. de amore Christi *invisibilis* et fiducia in Christo *invisibili* posita, c. 1, v. 19. ff. c. 2, v. 22. ff. c. 3, v. 18. de exemplo *patientiae summae* quod Christus praeivit, c. 1. v. 10. ff. de prophetis Hebraeorum, c. 3. v. 19. de descensu Christi ad inferos, c. 3. v. 20. ff. de aquis diluvii Noachici typo baptismi inservientibus obveniunt. Quod praecepta attinet, praecipue elaborat Apostolus in commendanda patientia (c. 1, v. 6—11. c. 2, v. 21. ff. c. 3, v. 9. 14. c. 4, v. 7. 12—19. c. 5, v. 7. sqq.) atque eiusmodi vitae ratione, qua sedulo caveant, ne hominibus ethnicis offensam praebeant iustam (c. 2, v. 12—20. c. 3, v. 1—13. c. 4, v. 14—16. c. 5, v. 7—9.) Cum epistola *Iacobi* (vd. §. 91. nota 19.) commune habet haec Petrina, quod plura obveniunt, quae ad effata ipsius Servatoris, qualia in evangeliis exstant, propius accedant. Vd. Dan. *Schulze* der schriftstellerische Charakter und Werth des Petrus, Judas, und Jacobus, Weissenfels und Leipzig, 1802. p. 5. ff.

7) a) Videmus hunc Apostolum, si epistolas Paulinas comparaverimus, procliviorem ad eandem sententiam vel iisdem verbis, vel simillimis repetendam, c. 1, v. 6. 10. (coll. 4, 13.) c. 1. v. 17. (coll. 2, 11.) c. 1, v. 18. 23. (coll. 4, 3.) c. 1. v. 14. (coll. 4, 2.) c. 1, v. 22. (coll. 4, 8. 2, 17.) c. 2, v. 5. 9. c. 2, v. 12. (coll. 3, 16. 2, 15.) c. 2, v. 19. 20. (coll. 3, 17. 4, 14. sq.) c. 2, v. 21. 24. (coll. 3, 18. 4, 1. 2.) b) plures earum vocum ac dicendi formularum, quae Paulo familiares sunt, in epistola Petrina desideran-

tur, αγιωσυνη, αγαθωσυνη, δικαιοσυνη (eo quidem sensu, quo Paulus *potissimum* usurpat de conditione hominis, quem Deus sibi probatum declaravit, nam I. Petri 2, 24. 3, 14. alio sensu dicitur), δικαιουσθαι, δικαιωμα, δικαιωσις, νομος, μυστηριον, *oppositio* πνευματος s. νοος et σαρκος (Petrus σαρκα et ψυχην sibi invicem opponit, ep. I. c. 2, v. 11.), al. Contra diligit Petrus voces quasdam, apud Paulum vel rarius usurpatas, v. c. αναστροφη, et αγαθοποιειν (quod Paulus semel habet in oratione *Actt.* 14, 17.) vel nunquam obvias, ut κακοποιος. Vd. *Schmid* ταμειον. c) Lubenter Petrus praepositionem εις sequente accusativo personae adhibet, ubi de iis sermo est, quae alicui destinata fuerint, c. 1, v. 4. 10. 11. 25. itemque articulum a substantivo suo seiungit, *inserendis*, quae notionem subiecti substantivo indicati accuratius definiant, c. 3, v. 2. c. 3, v. 3. 16. Haud pauca in singulis obveniunt capitibus, quae neque Paulus habet, nec alius quidam N. F. scriptorum. C. *I.* v. 3. (coll. v. 23.) αναγενναν. v. 4. αμαραντος. v. 9. ανεκλαλητος. v. 10. εξερευναν (alibi in N. F. ερευναν.) v. 11. δοξαι de felicitate gloriosa, quae Christo contigit (quo sensu alibi numerus *singularis* usurpatur.) Ib. προμαρτυρεσθαι. v. 13. Verbum compositum αναζωννυμι. Ib. locutio tropica: οσφυες διανοιας (quanquam substant. οσφυς alibi quoque leg.) Ib. locutio singularis, notioni της σωτηριας circumscribendae inserviens: χαρις φερομενη υμιν εν αποκαλυψει χριστου. v. 17. απροσωποληπτως. v. 18. πατροπαραδοτος. v. 23. σπορα. C. *II.* v. 2. αδολον. Ib. αρτιγεννητα. v. 5. (coll. v. 9.) ιερατευμα. v. 6. Citandi formula: περιεχει εν τη γραφη. v. 9. βασιλειος. Ib. εξαγγελλειν. Ib *pluralis* αρεται, de virtutibus Dei. v. 12. (coll. c. 3, v. 2.) εποπτευειν. v. 13. κτισις *hoc sensu:* institutum humanum (magistratus.) v. 15. αγαθοποιειν (coll. c. 3. v. 6. 17. et αγαθοποιος c. 2. v. 14.) *sensu latiori:* recte agere (alibi in N. F. de *beneficentia* usurpatur.) v. 16. επικαλυμμα. v. 17. αδελφοτης (coll. c. 5. v. 9.) v. 20. κλεος. v. 21. υπολιμπανειν. Ib. υπογραμμος. v. 23. Verbum compositum αντιλοιδορειν. v. 24. απογινεσθαι. C. *III.* v. 3. εμπλοκη. Ib. περιθεσις. Ib. ενδυσις (alibi in N. F. ενδυμα.) v. 6. πτοησις. Ib. γυναικειος. v. 7. συνοικειν. Ib. τιμην απονεμειν. v. 8. ομοφρων. Ib. συμπαθης. v. 15. αιτειν λογον. v. 21. αποθεσις. Ib. ρυπος. Ib. επερωτημα. C. *IV.* v. 1. οπλιζεσθαι. Ib. singularis εννοια (pluralis ad Hebrr. 4, 12. leg.) v. 2. βιοω. Ib. επιλοιπος. v. 3. οινοφλυγια. Ib. ποτος. Ib. αθεμιτος. v. 4. αναχυσις. v. 14. Locutio singularis hebraica: το του θεου πνευμα

εφ' υμας αναπαυεται v. 15. αλλοτριοεπισκοπος. v. 19. αγαθοποιια. Ib. κτιστης. C. *V.* v. 1. συμπρεσβυτερος. v. 2. αναγκαστως. v. 4. αρχιποιμην. Ib. αμαραντινος. v. 5. εγκομβουσθαι. v. 6. κραταιος. v. 8. ωρυεσθαι. v. 9. locutio ſingularis: τα αυτα των παθηματων: mala eiusdem generis. Ib. επιτελεισθαι. v. 10. σθενουν. v. 12. επιμαρτυρειν. v. 13. συνεκλεκτη. Omiſimus voces plures, quibus vel adverbia vel ſubſtantiva vel adiectiva ab eadem ſtirpe derivata apud alios N. F. auctores reſpondent. — De elocutione Petrina diligenter diſſeruit Dan. *Schulze* in libris et hac nota et §. 91. nota 18. laudatis.

8) *Bolten:* Neuteſt. Briefe überſ. mit Anmerk. Vol. III. praef. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3076. ſſ. *Boehme:* epiſt. ad Hebraeos etc. praef. p. XLI. ſſ. (vd. §. 86. nota 5.) Neque hebraiſmi et aramaeiſmi, quos ſermo graecus huius ep. habet, indicio *verſionis* inſerviunt, nec dubitare licet, Petrum, praeſertim ad exteros profectum, eiusmodi ſermonis graeco-hebraici uſum comparare ſibi potuiſſe.

§. 97.

Salutandis lectoribus ſuis nomine coniugis, quae Babylone verſetur (I. ep. 5, 13.) haud obſcure innuit Petrus, hanc epiſtolam ſcriptam eſſe, dum ipſe in regionibus illis commoraretur [1]). Intelligenda haud dubie Babylon illa celeberrima ad Euphraten ſita [2]). Nec deſunt temporis indicia [3]), etſi nemo facile annum accuratius definierit. Etenim quum totius epiſtolae indoles doceat, plures Pauli epiſtolas prodiiſſe, priusquam Petrus ſcriberet [4]); quum Sylvanus, qui olim Paulum, certe ad annum usque 53. comitatus fuiſſet [5]), illo tempore Petro praeſto eſſet (I. Petri 5, 12.); denique, quum Petrus vel tempore perſecutionis Chriſtianorum a Nerone excitatae, vel paulo ſerius a. 67. ſ. 68. martyrium ſubierit [6]); ſequitur, epiſtolam noſtram intra annum Saeculi I. 54. et 64. certe 67. exaratam eſſe.

1) Cfr. §. 93. nota 10.

2) Nihil est, quod nos iubeat de alia eiusdem nominis urbe parum cognita in Aegypto sita (*Strabo* l. 17. p. 555. ed. Casaub.) cogitare. Etsi enim Babylon illa celeberrima Assyria tum temporis, ratione et ambitus sui et splendoris pristini habita, *devastata* dicatur (*Strabo* l. 16. p. 378. ed. Casaub. *Diod. Sic.* l. 2. c. 9. *Plinius* histor. natur. 6, 26.) etiamnum tamen haud exiguo gaudebat incolarum numero, in quibus multi fuerunt Iudaei, cfr. *Iosephus* antiqq. Iudd. l. 15. c. 2. §. 2. c. 3. §. 1. l. 17. c. 2. §. 1. l. 18. c. 9. §. 7. 8. *Philo* legat. ad Caium p. 1023. ed. Francof. *Scaliger* animadverss. in chronol. Eusebii p. 188. ed. Lugd. Bat. 1606. Unde facile fieri potuit, ut in hac urbe et regione circumiacente coetus Christianus mature existeret (vd. §. 94. nota 3.) Quodsi Petrus aliam huius nominis urbem intelligi voluisset, verba εν Βαβυλωνι praedicato situm huius urbis definiente carere non poterant. Itemque olim parum apte vel locis prophetarum poëticis vel effatis similibus *Apocal.* 14, 8. 16, 9. 17, 5. 18, 2. 10. 21. usi sunt plures interpretes, ut probarent, Petrum *hoc loco* (in sermone plane pedestri) vel *Hierosolymas* vel *Romam* propter mores corruptos et idololatriam *tropice* Babylonem appellasse. Vd. *Euseb.* hist. eccles. 2, 15. *Hieron.* catal. scriptt. eccl. sub v. Petrus. *Isidorus* de vita et morte sanctorum sub n. Petrus. De qua sententiarum diversitate cfr. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3060. ff.

3) Nolim quidem contendere, aevi serioris, quo Petrus has litteras ad Christianos dederit, indicia certa vel nomini inesse χριστιανοι I. *Petri* 4, 16. (sic enim adversarios rei Christianae cultores Iesu Antiochiae anno 44. aut 45. appellare coepisse testante Luca *Actt.* 11, 26. utique Petro Antiochiae versanti ad *Gal.* 2, 11. ff. mox innotescere potuit) vel verbis I. *Petri* 5, 13. siquidem non exploratum habemus, *Marcum*, quem Petrus h. l. *filium* suum dixerit, eundem esse, qui Paulum, litteras ad Colossenses et Philemonem dantem (*Coloss.* 4, 10. *Philem.* v. 23.) comitaretur. Vd. §. 26. nota 4.

4) Vd. §. 96.

5) Certum est, hunc Sylvanum (de quo vd. §. 86. nota 5.), quum Paulus *secundo itinere* apostolico *exteros* adiret (ex quo itinere a. 53. Antiochiam rediit, vd. §. 48. nota 15.) in comitibus Pauli fuisse, *Actt.* 18, 5. Quum Aposto-

lus tertio itinere gentes adiisset, non amplius eum sequutus est, *Actt.* 20, 4. 5.

6) Quod epistolam nostram in regione babylonica scriptam dicimus, minime repugnat testimoniis veterum, Petrum *sub inperio Neronis Romae* fuisse et martyrium subiisse perhibentibus. De locis enim I. Petri 1, 6. 2, 12. 3, 12 — 16. 4, 12 — 19. 5, 10. in utramque partem disputari potest, utrum vexationes innuant, quales cultoribus Christi dudum ante Neronem variis locis temporibusque acciderunt (vd. *Actt.* 17, 6. ff. c. 19. interprr. ad *Actt.* 18, 2.) an de persecutione eorum publica per Neronem excitata, cuius acerbitatem coetus quoque Christianos extra Italiam versantes experturos esse Apostolus exspectaverit, intelligi debeant (quod praeter alios *Hug* Einl. Vol. II. p. 500. ff. ed. II. atque *de Wette* Einl. p. 314. defendunt, praesertim locum I. *Petri* 4, 16. cum *Taciti* Ann. 15, 44. comparantes.) Deinde ne certum quidem est, Petrum *ipsius persecutionis Neronianae tempore* Romae fuisse, et cruci esse adfixum. Perhibent enim veteres, Apostolos Paulum et Petrum *eodem tempore* martyrium subiisse. Sed Pauli martyrium plures ad aetatem referunt seriorem, a. 67. vel 68. Vd. §. 48. nota 20. Ceterum nihil prohibet, quo minus Petrum sub finem demum vitae suae, paulo ante martyrium utriusque Apostoli, Romam venisse existimemus. Vd. comment. §. 93. nota 10. laud. theol. Quartalschrift etc. p. 625. sq. *Guericke* Beyträge zur historisch-krit. Einl. p. 171. ff.

§. 98.

Epistola posterior, cuius auctor Petrum Apostolum sese profitetur [1]), iisdem lectoribus Christianis, quibus prior, destinata [2]), hoc agit, ut lectoribus officium commendet beneficia divina per Iesum Christum sibi oblata recte adhibendi, persuasione sua et virtute Christiana constanter tenenda et magis magisque perficienda, eosque iubeat sedulo sibi cavere a doctoribus falsis, opiniones vanas tuentibus, vitae libidinosae indulgentibus, promissiones divinas ludibrio habentibus, quibus poena instet gravissima [3]). Scriptam esse epi-

stolam post illam, quae locum priorem in canone nostro tenet, vita Petri sub finem vergente, effata docent c. 1. v. 14. 15. c. 3. v. 1. [4]). Loci, ubi consignata fuerit, vestigia certa exstant nulla. Quanquam Petrus, si vere auctor epistolae exstitit, haud inprobabiliter Romae scripsisse existimatur [5]).

1) Vd. c. 1. v. 1. v. 16. ff. coll. c. 3. v. 2. 15.

2) Verba c. 3. v. 1. ταυτην ηδη, αγαπητοι, δευτεραν υμιν γραφω επιστολην, quae minime initium novae epistolae innuunt solo cap. III. comprehensae (vd. quae V. *Webero* programm. de numero epistolarum ad Corinthh. rectius constituendo p. 153. ff. opposuit *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3128. sq.) haud dubie ad epistolam respiciunt priorem.

3) Brevis oeconomiae descriptio. *C. I.* (salutatione praemissa v. 1. 2.) v. 3—11. Quum vis divina omnia ad pietatem et felicitatem veram necessaria nobis donaverit per cognitionem rectam voluntatis divinae, operam summam navate persuasioni verae una cum virtute Christiana cuiusque generis perpetuo exhibendae, ut cognitione Domini Iesu Christi magis magisque proficiatis, vobisque late pateat aditus ad regnum divinum. V. 12—21. Equidem diligentissime utar exiguo, quod mihi restat, vitae in terris agendae tempore, ad animos vestros commonefaciendos, sedulo curaturus, ut etiam post obitum meum eorum, quae dixerim, memoriam recolatis. Atque omnino et mihi confidere potestis, vitae, quam Servator in his terris egit, eiusque dignitatis palam declaratae testi oculato, et sermonibus prophetarum divinorum, Servatoris adventum adumbrantibus. *C. II.* V. 1—22. Quemadmodum vero praeter hos vates divinos etiam falsi prophetae inter Iudaeos olim exstiterunt; ita apud vos doctores vani prodituri sunt, Dominum redemtorem hominum negantes. Quorum et sermones fictos et exempla perversa multi sectabuntur. Hos dudum manet miseria aeterna mox futura, iudice Deo, qui ab antiquissimis inde temporibus et hominum proborum servatorem potentissimum, et inproborum punitorem iustissimum sese exhibuit. Iudicio extremo reservantur illi, audaces, superbi, contumeliosi, nihil sanctum existimantes, libidinibus pravis ita indulgentes, ut coetus Christianus per eos male audiat, lucri studio

deditis. Bileam̃o fimiles, iis potissimum, qui nuper ad Christum conversi sunt, admodum periculosi (libertate vana iis promittenda.) *C. III.* v. 1—13. Proinde iterum vos hac epistola commonefacio, ut memores sitis doctrinae verae vobis traditae. Prodibunt quippe diebus postremis eiusmodi homines, qui promissum sanctissimum de reditu Christi futuro ludibrio habeant. Videte, quam temere isti loquantur. Quemadmodum tempus fuit, quo hic terrarum orbis aqua periret, ita etiam, qui nunc sunt, coeli ac terra incendio olim dissolventur. Perpendite, nostram temporum computationem humanam non cadere in Deum et res divinas. Nec tardum se gerit Dominus, quod diem illum nondum apparere iusserit, immo clementem. Curate modo, ut vitam piam agentes exspectetis, immo properetis, diem illum, subito aliquando venturum, quo hic visibilis mundus destruetur, cedetque novis coelis, novae terrae. v. 14—18. Operam date, ut integri coram Deo apparere possitis, eorumque memores estote, quae etiam Paulus, frater dilectus, de his omnibus vobis scripsit. Nolite erroribus illorum hominum abripi. Increscite gratia et cognitione vera Iesu Christi.

4) *Annus*, quo scripta sit, accuratius definiri non potest, etsi concessum fuerit (vd. nota 5.) Petrum, quum has litteras exararet, *Romae* fuisse, siquidem non compertum habemus, utrum Petrus plures annos, an forte unum tantum ante martyrium Romae transegerit (cfr. §. 88. nota 6. ex.)

5) Si verba c. 1. v. 14. ἀποθεσις του σκηνωματός μου recte de morte *violenta* intelliguntur, ita ut Petrus vbb. καθως και ὁ Κυριος ἐδηλωσε μοι ad effatum Christi *Io.* ev. 21, 18. 19. respexisse existimetur; satis probabiliter dicimus, Apostolum eo demum tempore, quo Romam venisset, cognovisse, martyrium illud *nunc sibi proxime instare.*

§. 99.

Authentia vero huius epistolae, saeculo quidem IV. una cum ceteris *αντιλεγομενοις* canoni adscriptae, quovis tempore dubitationibus multis obnoxia fuit.

Ex doctoribus Christianis Saeculi II. et III. paucos tantum excitare licet testes originis eius Petrinae [1]). Contra nec illo tempore nec saeculis sequentibus defuere, qui authentiam dubiam pronuntiarent, eamque aliis multis dubiam haberi testarentur [2]).

1) Parum certa sunt, quae de *Clemente Rom.* ep. I. ad Corr. c. 7. c. 11. de *Iustino Mart.* dial. cum Tryph. p. 308. ed. Colon. de *Irenaeo* adv. haerr. l. 5. c. 23. aliisque ad loca II. Petri ep. respicientibus dicuntur. De *Clemente Alex.* constat (vd. *Euseb.* hist. eccl. 6, 14. in. *Photius* bibl. cod. 109. 111.) eum in libro υποτυπωσεις *omnes*, quae καθολικαι dicebantur, epistolas interpretatum esse. An *Petro* nostram diserte vindicaverit, ignoramus. *Theophilus Antioch.* Saec. II. ad Autolycum l. 2. c. 11. p. 114. ed. Wolf. utique locum II. *Petri* 1, 21. ante oculos habuit (an vero idem l. 2. c. 18. p. 140. Wolf. de verbis Petrinis c. 1. v. 19. cogitaverit, minus exploratum videtur.) Saec. III. *Hippolytus* de Christo et Anti-Christo c. 2. *Methodius* apud *Epiphan.* haer. 64, c. 31. epistolam habuerunt Petrinam. Idem a *saeculo inde IV. Ephraëm Syrus* Opp. syrr. T. I. p. 136. T. II. p. 342. Opp. gr. T. II. p. 387. *Hieron.* ad Hedib. quaest. 11. adversus Iovin. 1, 24. pluribusque locis, et alii multi fecerunt.

2) Deest ep. II. in antiquissima versione Syr. Peschito. Vd. *Hug* Einl. Vol. I. p. 329. ff. ed. II. *Origenes* quanquam homil. VII. in Iosuam, hom. IV. in Levit. et al. huius ep. tanquam Petrinae usum fecit, idem tamen in comm. ad *Io.* (*Orig.* εξηγητικα ed. Huëtius Vol. II. p. 88.) priorem quidem Petr. non dubitavit ομολογουμενην appellare, de authentia vero posterioris addidit: αμφιβαλλεται γαρ. *Eusebius* hist. eccles. 3, 3. II. Petrinam ab aevo inde antiquiori ενδιαθηκον *non* haberi perhibet, etsi hucusque propter utilitatem argumenti diligenter lecta fuerit in coetibus Christianis, eamque h. e. 3, 25. τοις αντιλεγομενοις adnumerat. Idem testatur *Didymus Alexandrinus* Saec. IV. sub finem commentarii sui ad II. Petri ep. nec ipse h. l. epistolae auctoritatem vindicat canonicam, quanquam in scriptis dogmaticis subinde ad eam tanquam Petrinam provocat, de trinit. l. 1. c. 29. c. 32. Cfr. *Lücke* quaestiones ac vindiciae Didymianae partic.

f. Goett. 1829. p. 13. ff. *Hieron.* catal. scriptt. eccl. sub v. *Petrus* plerosque dicit eam non habere Petrinam propter totum dicendi genus ab elocutione prioris ep. diversum.

§. 100.

Quod res ipsas in hac epistola tractatas attinet, nolumus quidem ex iis locis, quae scriptorem tanquam Apostolum et Iesu Christi familiarem describunt, vel argumentum ducere originis vere Petrinae, vel suspicionem movere interpolationis [1]). Concedimus, effata occurrere, quae cum locis prioris epistolae quoad sententiam egregie comparentur [2]). Nec demonstratum esse videtur ab adversariis authentiae, continere epistolam, quae vel ab indole Petri abhorreant, vel scribi non potuerint aevo apostolico [3]). Attamen salutatio illa, quae c. 1. v. 1. ita enuntiatur, ut, si verba sequaris, ad omnes omnino Christi cultores referri debeat, comparata iis, quae in epistola priori c. 1. v. 1. et ep. II. c. 3. v. 1. leguntur, utique habet, quod dubitationes excitare possit [4]).

1) Quae c. 1. v. 14. v. 16. ff. leguntur, neque nexum sermonis ullo modo interrumpunt, nec aliena videri possunt a consilio Petri, tum temporis aetate provectioris, mortem sibi propius instantem praevidentis, memoriam firmam et efficacem eorum, quae auctoritate apostolica docuerat, atque praeceperat, in animis lectorum relicturi. Videmus etiam Paulum haud raro et conversionis suae, et aliarum rerum, quae ad ipsius vitam et fata pertinebant, mentionem iniicientem. Quam probe Petro conveniant, quae c. 3. v. 15. sq. dicuntur, ex iis patet, quae §. 96. nota 4. 5. observata sunt. Haec effata, nisi aliae dubitandi causae exsisterent, omnino persuasionem de origine epistolae Petrina confirmatura essent.

2) Vd. *I. Petri* 1, 10. coll. *II. Petri* 1, 19. ff. (*Actt.* 3, 18. 24. 10, 43.) *I. Petri* 3, 20. coll. *II. Petri* 2, 5.

3) Locus c. 3. v. 4. minime redolet placita ab aevo apostolico aliena, quippe quod, aliis locis praeeuntibus (vd. §. 40. nota 7. 8.), gnosticismi cuiusdam (quaecunque de Christo docebantur, πνευματικως tantum interpretantis) non omnino expers fuisse existimandum est. De *collectione integra* epistolarum Paulinarum, aliorumve scriptorum N. F. auctorem epistolae cogitasse, ex c. 3. v. 15. sq. effici nequit. Nec dubitamus, *Petrum* nunciare potuisse, quae c. 3. v. 7. 10. de hoc praesenti rerum ordine visibili, aliquando per ignem dissolvendo leguntur, locis V. T. (*Ps.* 102, v. 27. *Ies.* 34, 4. 51, 6. 65, 17. *Zephan.* 3, 8.) hoc sensu intellectis. Cfr. de his similibusque argumentis authentiae epistolae oppositis *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3093. ss. *Olshausen* comment. de integritate et authentia posterioris Petri ep. sectio I. et II. Regiom. 1822. 1827. 8. (sect. II. p. 17. ss.) *Bengel* Archiv für die Theologie u. s. w. 6. B. 1. St. p. 84. ss.

4) Quum Petrus hanc epistolam posteriorem, si *Christianis omnium regionum* destinata fuisset, parum commode c. 3. v. 1. δευτεραν appellare posset *iisdem lectoribus scriptam* (siquidem prior ad *certos* Christianorum coetus pertinuerat, *ep. I*, c. 1. v. 1.), plerique interpretes consilium epistolae II. ad eosdem referunt Christianos, qui ep. I. c. 1. in. salutati fuerant. Iam vero quaeritur, qua de causa Petrus ep. II. in. eosdem coetus in Asia minori versantes ita salutaverit, ut ad *Christianos omnes* litteras daturus videretur? (Vd. *Bleek* Einl. in den Brief an die Hebr. p. 85. sq.) Aliter sese habet cum ep. I. Ioannea, et ep. ad Hebraeos, quae utraque nulla omnino usa est salutatione. Praeterea in eo offendimus, quod, qui ep. *I.* in. simpliciter Πετρον se appellasset, ep. *II.* in. cognomen Συμεων addendum putaverit.

§. 101.

Elocutionem huius epistolae sedulo examinanti plura quidem obveniunt singula, quae dixeris Petrina [1]). Nolumus tamen diffiteri, haud exiguum apparere discrimen, quo sermo huius epistolae ab ea oratione differat, quam Petrus in epistola I. usurpa-

verit. Haec enim, universe spectata, maiorem habet perspicuitatem et vim dicendi; posterior pluribus locis περισσολογια quadam laborat, eandemque vocem saepius repetit [2]). Et, quamvis senectutem Apostoli huius discriminis caussam fuisse conücere liceat [3]), gravior tamen dubitatio de auctore epistolae ex vocibus multis formulisque dicendi singulis oritur, quarum usu haec posterior a priori discrepat [4]).

1) Huc pertinet eadem periodorum conformatio *I. Petri* 2, 7. 8. 12. 3, 7. 19. coll. *II. Petri* 1, 3. 5. 2, 4—11. articulus a substantivo suo seiunctus pluribus inserendis, quae ad notionem illius substantivi explicandam et definiendam spectant, I. *Petri* 3, 2. 8, 3. 16. coll. *II. Petri* 1, 4. 3, 7. 3, 2. (της των αποστολων etc.) salutatio: χαρις υμιν και ειρηνη πληθυνθειη *I. P.* 1, 2. *II. P.* 1, 2. usus horum vocabulorum (ex quibus *plura* apud solum Petrum in N. T. obveniunt): αναστροφη et αναστρεφεσθαι sensu tropico, *I. P.* 1, 15. 17. 18. 2, 12. 3, 1. 2. 16. *II. P.* 2, 7. 18. 3, 11. αποθεσις *I. P.* 3, 21. *II. P.* 1, 14. αρετη de Deo *I. P.* 2, 9. *II. P.* 1, 3. ασπιλος και αμωμητος *I. P.* 1, 19. *II. P.* 2, 13. 3, 14. εποπτης *II. P.* 1, 16. cfr. εποπτευειν I. P. 2, 12. 3, 2. ιδιος *I. P.* 3, 1. 5. *II. P.* 1, 20. 2, 16. 22. 3, 16. sq. καλειν de invitatione divina hominum ad veram cognitionem, virtutem, felicitatem Christianam, *I. P.* 1, 15. 2, 9. 21. 3, 9. 5, 10. *II. P.* 1, 3. κομιζεσθαι de praemiis et poenis *I. P.* 1, 9. 5, 4. *II. P.* 2, 13. πορευεσθαι εν επιθυμιαις s. κατ' επιθυμιας *I. P.* 4, 3. *II. P.* 2, 10. 3, 3. Quod de usu vocabulorum *Paulo* familiarium in ep. I. facto §. 96. nota 2. observavimus, idem in hac ep. pluribus locis animadvertitur. Obveniunt quippe voce. αιρεσεις sensu malo, γνωσις, επαγγελειν, επιγνωσις επιχορηγειν, καλειν (sensu, quem supra indicavimus), κλησις, κομιζεσθαι, παρεισαγειν (cfr. παρεισακτοι ad *Gal.* 2, 4.), παρουσια, πλεοναζειν, συναπαγεσθαι τινι. (Vd. *Schmid* ταμειον sub his voce.) Cfr. item tota locutio c. 2. v. 2. δι' ους η οδος της αληθειας βλασφημηθησεται (*Romm.* 2, 24. 14, 16.) et sententia plane Paulina c. 2. v. 19. (ad *Gal.* 5, 13. *Romm.* 8, 21.) — Nec desunt in ep. II. quae vigore et sublimitate orationis emineant, c. 1. v. 19. ff. c. 2, v. 13. sq. v. 17. c. 3. v. 8. 9.

2) Vd. Epistola II. c. 1. v. 3. 4. δια quater occurrit (ibidem v. 3. ως παντα — δεδωρημενης, v. 4. δι' ων — δεδωρηται) v. 3. (coll. v. 3. 5. 6. unde patet, illa ταυτα, de quibus scriptor v. 8. dixerit: *haec vos minime otiosos esse patientur ad veram Iesu Christi cognitionem vobis comparandam*, hanc ipsam γνωσιν una cum aliis virtutibus complecti), c. 2. v. 1. 2. 3. (αιρεσεις απωλειας, επαγοντες απωλειαν, η απωλεια αυτων ου νυστ.) v. 7. 8. (δικαιον λωτ, ο δικαιος, ψυχην δικαιαν, εγκατοικων εν αυτοις), v. 12. (και φθοραν, εν τη φθορα α. καταφθαρησονται), c. 3. v. 3. (εν εμπαιγμοσυνη εμπαικται), v. 12. coll. v. 10.

3) Cfr. quae de tempore consignationis harum epp. §. 97. et §. 98. diximus.

4) a) Vocem κυριος ep. I. saepius de *Deo* adhibet, plerumque (excepto c. 2. v. 13.) in laudandis V. T. effatis. Semel tantum c. 1. v. 3. *Iesus* dic. κυριος, alibi ιησους χριστος, s. χριστος ιησους, s. χριστος simpliciter. Epistola II. frequenter habet κυριος, plerumque (excepto c. 2. v. 9.) de *Iesu*, atque omnino ipsius Dei eiusque efficaciae mentio rarius facta. b) de *adventu Christi olim futuro* epistola I. prae ceteris diligit vocabb. αποκαλυψις et αποκαλυπτεσθαι (σωτηρια ετοιμη αποκαλυφθηναι εν καιρω εσχατω, αποκαλυψις ιησου χριστου, αποκαλ. της δοξης χριστου, δοξα μελλουσα αποκαλυπτεσθαι, quanquam etiam χρονοι εσχατοι, ημερα επισκοπης, τε τελος παντων legitur). Epistola II. hac de re praesertim usum facit vocab. ημερα (ημερα κρισεως, ημ. κυριου s. του θεου, εσχατων των ημερων). Bis dic. παρουσια c. 3. v. 4. 12. c) nihil dicitur in ep. I. de vera γνωσει s. επιγνωσει Dei et Iesu Christi, quae in ep. II. saepenumero commendatur. d) notio *doctrinae divinae* in ep. I. voce. αληθεια, λογος, ευαγγελιον του θεου exprimitur. Ep. II. usurpat: οδος της δικαιοσυνης, αγια εντολη, εντολη των αποστολων. e) Quae in ep. I. proferuntur effata V. T. ipsius Apostoli orationi arcte connexa apparent, citandi formula sollenni rarius (c. 1. v. 16. c. 2. v. 6) adhibita. Epistola II. omnino exiguum facit usum V. T. (c. 2. v. 15. sq. c. 3. v. 8.) citandi formula omissa. Cfr. de his omnibus praesertim *Olshausen* comment. §. 100. nota 3. laud. sectio I. f) Epistola I. haud pauca exhibet απαξ λεγομενα, quae neque in ep. posteriori, neque in ceteris libris N. F. obveniunt (§. 96. nota 7.). Vicissim ep. II. voces *multas* formulasque dicendi *sibi proprias*

usurpat, et nonnullas vocabulorum, quae alibi occurrunt, significationes, *quae ne in I. quidem appareant*. C. *I.* v. 1. ισοτιμος. v. 4. (coll. c. 3, v. 13.) επαγγελμα. Ib. Φυσις Θεια de natura Dei. Ib. αποΦευγειν (coll. c. 2. v. 18. 20.) v. 5. παρεισΦερειν. v. 9. μυωπαζειν. Ib. ληθην λαμβανειν (τινος). v. 13. διεγειρειν τινα sensu psychologico: animum excitare, ac tota locutio: διεγειρειν εν υπομνησει (cfr. c. 3, v. 1.) v. 14. ταχινος. v. 15. μνημην ποιεισθαι (τινος). v. 16. (coll. c. 2, v. 2. 15.) εξακολουθειν. v. 17. μεγαλοπρεπης. v. 19. αυχμηρος. Ib. διαυγαζειν. Ib. Φωσφορος. C. *II.* v. 1. ψευδοδιδασκαλοι. v. 3. πλαστοι λογοι. Ib. εμποpευεσθαι τινα. Ib. (coll. c. 3. v. 5) εκπαλαι. Ib. αργειν. Ib. νυσταζειν sensu *tropico*. v. 4. σειραι. Ib. ταρταρουν. v. 6. τεΦρουν. v. 7. (coll. c. 3, v. 17.) αθεσμοι. v. 8. βλεμμα. Ib. ημεραν εξ ημερας. Ib. βασανιζειν hoc sensu: *animum* cruciare. Ib. εγκατοικειν. v. 10. μιασμος. Ib. τολμητης. v. 13. μωμοι. Ib. εντρυΦαν. v. 14. ακαταπαυστος. Ib. αστηρικτοι (coll. c. 3. v. 16.) v. 16. ελεγξιν εχειν τινος. Ib. παρανομια. Ib. παραΦρονια. v. 17. ομιχλη. v. 18. ολιγως. v. 20. μιασμα. v. 22. εξεραμα. Ib. κυλισμα. Ib. βορβορος. C. *III.* v. 3. εμπαιγμονη. v. 6. κατακλυζεσθαι. v. 9. εις μετανοιαν χωρειν. v. 10. ροιζηδον. Ib. στοιχεια de *corporibus coelestibus*. Ib. (coll. v. 12.) καυσουν. v. 12. *Pluralis* ευσεβειαι et αναστροΦαι. Ib. σπευδειν sensu *activo*. Ib. τηκεσθαι. v. 16. δυσνοητα. Ib. στρεβλουν. Ib. αμαθεις. v. 17. στηριγμος. v. 18. Singularis indoles doxologiae. Cfr. *I. Petri* 1, 23. 25. 4, 11. 5, 11. Notio *aeternitatis* in I. Petr. nunquam exprimitur vbb. εις ημεραν αιωνος. Quanquam concedimus in his nonnulla occurrere, quibus adhibendis res ipsae in ep. priori tractatae opportunitatem nullam praebuerint, nec totum graecitatis Petrinae ambitum ex epistola prima, sermonibusque Petri in volumine Actorum App. obviis accurate cognosci; haud temere tamen quaerere nobis videmur, si Petrus utriusque epistolae auctor habeatur, quomodo factum sit, ut epistola *brevis* (II.) *tot* vocibus formulisque dicendi a priori deflecteret? Nec prorsus sufficeret ad hanc diversitatem explicandam, quod nonnulli coniecerunt (vd. *Hieronymus* ad Hedibiam quaest. 11. *Olshausen* comment. laud. sectio II. p. 3. sq.) Petrum *interpretibus diversis* usum esse ad utramque epistolam, quam ipse aramaice exarasset, graece verten-

dam. Quare Apoſtolum ipſum graece ſcribere aut dictare potuiſſe recte exiſtimemus, §. 96. nota 8. vidimus.

§. 102.

Ingraveſcit dubitatio de origine huius epiſtolae Petrina ſecundo capite cum epiſtola Iudae comparando. Uterque enim ſcriptor cum altero ita conſentit, ſive ſententias primarias, totiusque commentationis oeconomiam, ſive verba ſpectaverimus [1]), ut nemo facile dubitare poſſit, alterutrum ab altero pependiſſe, eiusque ſcriptum ante oculos habuiſſe [2]). Quo minus Iudam epiſtolae Petrinae uſum feciſſe [3]) dicamus, indoles illius epiſtolae prohibet, quippe quae, ſcripto Petrino diligenter comparata, auctorem prodit, quae ipſe obſervaſſet, cogitaſſet, ſenſiſſet, libere proferentem, nec alium imitantem [4]). Qui Petrum ex epiſtola Iudae ſua hauſiſſe exiſtimant [5]), ſententiam defendunt, cum illa ingenii alacritate et vi dicendi, cuius veſtigia luculentiſſima cum ſermonibus Petri apud Lucam relatis, tum epiſtolae priori inhaerent, parum conciliandam [6]). Utramque difficultatem probe ſenſerunt, qui recentius vel caput ſecundum epiſtolae Petri poſteriori per alienam manum mature inſertum [7]), vel primum tantum huius epiſtolae caput vere Petrinum eſſe [8]) ſuſpicati ſunt. His coniecturis ingenioſe defenſis adverſari tantum videtur, a) quod caput III. effata nonnulla continet, quae parum faveant iis, qui utrumque (II. et III.) ſcriptoribus diverſis vindicant [9]), b) quod omnino tota epiſtola eandem elocutionis indolem refert [10]), c) quod initium capitis II. iis, quae ſub finem capitis I. dicuntur, nexu ſententiarum ſatis firmo et idoneo cohaeret [11]), verſusque ſecundus capitis III. iterum reſpicit ad argumentum primarium

capite II. pertractatum de sermonibus et exemplis doctorum falsorum sedulo fugiendis. Quae quidem omnia, sedulo explorata, dubitationem haud temerariam excitarunt, an omnino hanc totam epistolam, cuius originem Petrinam testimoniis antiquitatis parum stabilitam esse §. 99. cognovimus, Petrus ipse consignaverit, etsi concedamus, originem eam duxisse ex sententiis atque effatis huius Apostoli. Coniicimus quippe, aliquem Petri discipulum et familiarem, qui multa [22]) ex ore Apostoli accepisset, atque compertum haberet, Petrum paulo ante mortem in eo fuisse, ut epistolam scriberet secundam [23]), post obitum Petri, nomine eius praefixo, has litteras composuisse, pietate quadam admonitum, ut ipse perficeret, quod doctor, morte violenta abreptus, perficere non potuisset, et graviter iniungeret Christianis aliarum regionum [24]), quae Petrum dicentem saepe audisset. Noverat idem ex sermonibus Petri, illam Iudae epistolam (capite II. maximam partem expressam) doctori suo magnopere fuisse probatam [25]).

1) Doctores vani morumque corruptores, de quibus in II. ep. *Petri* et ep. *Iudae* sermo est, apud utrumque *eadem ratione* depinguntur, nisi quod apud Iudam nonnulla adduntur (v. c. v. 8. ἐνυπνιαζόμενοι) quae in epistola Petrina omittuntur, haec vero nonnulla repetit apud Iudam brevius indicata, vd. *Iudae* ep. v. 4. 8. 10. 12. 13. 16. 19. *II. Petri* 2, 1. 10. ff. v. 17—19. Iudas per totam epistolam eos *tanquam praesentes* describit, efficaciam suam pernitiosissimam hoc ipso tempore exserentes. Epistola Petrina primum quidem de iisdem tanquam *prodituris* loquitur, c. 2. v. 1. 2. 3. deinde tempus *praesens* (v. 18. ff.) immo *aoristum* v. 15. de eadem re usurpat. [Coniiciunt inde plures interpretes, imitatorem epistolae Iudae, formam futuri propterea adhibiturum, ut scripto suo antiquitatis maioris speciem vindicaret, posthac proposito suo excidisse. Alii satis probabiliter hunc usum futuri temporis in epistola Petrina *vel* ad consilium scriptoris

retulerunt, lectoribus in mentem revocandi vaticinia de his doctoribus vanis prodituris olim edita, quae *iam coepissent* eventu comprobari, vd. c. 3. v. 2. *vel* ea de causa factum existimant, quod illa doctorum vanorum corruptela in nonnullis quidem coetibus Christianis illo tempore veluti gliscceret, apud alios iam increvisset. Vd. *Olshausen* comment. §. 100. nota 3. laud. sectio II. p. 30. sq. *Bengel* Archiv für die Theol. 6. B. 1. St. 1823. p. 24.] In epist. Petrina iterata vice *aperte* nuntiatur, fore, ut Christiani haud pauci per homines illos seducantur, v. 3. 14. 18. sq. Iudas hoc minus aperte profitetur, quanquam sub finem v. 20. ss. lectores graviter cohortatur, ut sibi caveant, ne in ullam veniant societatem vitiorum, quae inprobi isti committant. — *Oeconomia* capitis *II.* ep. *Petri:* a) nuntiatur, prodituros esse homines illos, qui multos seducant v. 1. 2. 3. b) docetur, poenam divinam eos manere, exemplis iustitiae Dei punientis ex V. T. prolatis, v. 3—9. c) amplius describuntur illi v. 10—19. d) additur, eos damnationi eo magis esse obnoxios, quo rectius praesidia verae salutis per Christum suppeditata olim cognovissent, v. 20—22. Oeconomia epistolae *Iudae:* a) necessitas litterarum his Christianis scribendarum inde demonstratur, quod pravi doctores morumque corruptores apud eos prodierint, quos poena maneat divina, v. 3. 4. (salutatione praemissa), b) documenta iustitiae Dei punientis proferuntur v. 5. 6. 7. c) homines illi amplius describuntur v. 8—19. (quae Iudas huic descriptioni inseruit v. 11. 14. 15. 17. 18. nexum sententiarum minime interrumpunt, epistola Petrina loco parallelo aliquoties ab argumento primario magis deflectente v. 8. 11. 16.), d) docentur lectores, qua ratione suae ipsorum animi saluti optime consulant, et recte se gerant erga illos depravatos, v. 20. ss. — Quod *modum tractandi* attinet, in iis utriusque scripti sectionibus, quae iustitiam Dei punientem exemplis illustrant (ep. *Iudae* v. 5. 6. 7. II. *Petri* 2, 4—8), praecipue patet, auctorem capitis 2. Petr. ante oculos habuisse Iudam, ita ut partim exemplum ab angelis desumtum primo loco poneret, ordinem temporum magis servaturus, partim, quod Iudas v. 5. protulisset exemplum Israelitarum in desertis versantium, omitteret, eiusque loco diluvium commemoraret Noachicum (vd. I. *Petri* 3, 20.), partim, quae apud Iudam v. 7. de Sodoma et Gomorrha legisset, amplificaret (v. 7. 8.) nonnullis de Loto addendis, *prolixius*, quam necessarium videretur,

enuntiatis. Ex iis, quae Iudas v. 11. breviter de Caino, Bileamo, Coracho dicit, epistola Petr. c. 2. v. 15. 16. unum eligit Bileami exemplum, *copiosius* tractandum (abesse poterant, quae v. 16. leguntur.) Quae apud Iudam v. 12. 13. occurrit descriptio egregia illius doctorum vanorum corruptelae, eius partem tantum habet ep. Petr. 2. 17. Neque negari potest, legendis Iudae verbis animum gravius commoveri. Omittuntur apud Petrum verba Henochi ep. Iudae v. 14. 15. allata. Desunt item plura eorum, quae in ep. Iudae v. 16. de illis doctoribus vanis proferuntur, in ep. Petrina c. 2. v. 18. eorumque loco iterum copiosius dicitur, quod iam supra v. 14. monitum fuerat. — In *elocutione* loci Petrini περιττολογιαν saepe animadvertimus. De poena divina hominibus illis perversis exspectanda apud Petrum sermo est v. 1. ex. v. 3. ex. v. 12. 13. v. 17. v. 20. ff. Iudas, quanquam et ipse pluribus locis eiusdem rei mentionem facit, maiorem tamen habet formularum dicendi varietatem, v. 4. v. 10. v. 13. 14. 15. Quantopere verendum sit, ne isti doctores vani persuasionem Christianam moresque aliorum corrumpant, apud Petrum iterata vice declaratur, partim diversis, partim *iisdem* vocibus (εν πλεονεξια, καρδιαν γεγυμνασμενην πλεονεξιαις εχοντες, δελεαζοντες, δελεαζουσιν) adhibitis, v. 3. v. 14. v. 18. 19. Ubi de exemplis iustitiae Dei punientis apud Petrum sermo est (v. 4. 5.) *bis* dicitur: ουκ εφεισατο. Superbia vana illorum hominum apud Iudam v. 8. brevius, apud Petrum v. 10. maiori verborum ambitu describitur. Idem valet de locis Iudae v. 12. II. Petri 2, 13. *Magis definite ac perspicue* Iudas loquitur v. 5—8. quam ep. Petrina v. 4—9. (cfr. praesertim Iudae v. 6. Petr. v. 4. Iudae v. 7. Petr. v. 6.) Quae apud Iudam v. 9. de certamine Michaelis αρχαγγελου et Satanae accurate et perspicue proferuntur, loco Petrino v. 11. sermone minus definito adumbrata sunt. Cfr. item exempla tautologiae capitis 2. Petr. §. 101. nota 2. observata.

2) Quod nonnulli existimant, utrumque scriptorem ex *fonte communi* sua petiisse (ex placitis de numine divino spiritibusque in Persia divulgatis) argutius quam verius defenditur. Vd. *Herder* Briefe zweier Brüder Jesu in unserm Canon, Lemgo, 1775. sämmtliche Wercke zur Religion und Theol. Vol. 8. (quanquam Herderus concedit Petrum legisse Iudae epistolam) itemque J. *Hasse* der

Brief Judae übersetzt und erläutert aus einer neu eröffneten morgenländischen Quelle, Jena, 1786. 8. et, quae utrique opposuit *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3145. sq. Uterque placita quaedam *Theologiae Iudaeorum* seriorum, ex Oriente quodammodo profecta, usurpavit. Nec facile sufficiat ad explicandam utriusque scripti convenientiam (qualem nota 1. cognovimus), quod Petrum et Iudam vel sermone mutuo, vel litterarum commercio usos, de iis deliberasse coniiciamus, quae Christianis de illis doctoribus vanis scripturi essent (*Olshausen* comment. laud. sectio II. p. 13. sq.)

3) Sic statuerunt praeter alios *Storr* comment. de catholl. epp. indole et consilio (laud. §. 88. nota 8. ex.) *Michaelis* Einl. Vol. II. p. 1495. ff. ed. IV. Dan. *Schulze* in l. §. 96. nota 6. laud. der schriftsteller. Charakter und Werth des Petrus, u. s. w. p. 38. ff. p. 46. ff. *Haenlein* epistola Iudae graece, perpetuo comment. illustrata ed. II. Erl. 1799. 8. prolegg. *Idem:* Handbuch der Einl. in das N. T. Vol. III. p. 236. ff. ed. II. Guil. *Dahl* de αυθεντια epistolae Petri posterioris atque Iudae, Rostoch. 1807. 4.

4) Cfr. nota 1. Praeterea imitationis epistolae Iudae capite II. Petrino factae vestigium haud contemnendum exhibet vocab. απαταις II. Petri 2, 13. ad vocem similiter sonantem αγαπαις in ep. Iudae v. 12. alludens.

5) Defendunt hoc praeter alios *Hug* Einl. Vol. II. p. 510. ff. ed. II. A. *Richter* de origine posterioris Petrinae ex ep. Iudae repetenda, Viteb. 1810. 4. Ad. *Iessien* comment. crit. de αυθεντια ep. Iudae, Lips. 1821. 8. p. 82. ff.

6) Quanquam Petrus multa *Paulina* sibi adscivit, epistola tamen prior minime *eiusmodi* studium alius scriptoris epistolam imitandi prodit, quale posterior cap. II. Vd. §. 96.

7) Ex sententia *Bertholdtii* Einl. Vol. VI. p. 3157. ff. epistola vere Petrina, ea tantum continens, quae capite I. et III. leguntur, postquam aliquamdiu in occulto latuerat, saeculo I. ex. aut II. in. per interpolatorem quendam, epistolam Iudae non verbotenus quidem, sed (quo facilius interpolationis speciem effugeret) *liberius* usurpantem, illo capitis II. additamento aucta est et inter Christianos divulgata. Caussam interpolationis hanc fuisse existimat, ut doctoribus vanis inter Christianos, quibus epi-

stola locupletata mitteretur, versantibus (simillimis isti hominum perversorum generi, quod epistola Iudae notavisset) auctoritate Petrina repugnaretur.

8) Acute coniecit V. *Ullmann*: der 2. Brief Petri kritisch untersucht, Heidelberg, 1821. 8. caput I. fragmentum esse epistolae vere Petrinae, eundem vero interpolatorem, qui illam epistolae Iudae imitationem (c. II. insertam) scripsisset, etiam tertium addidisse, quo partim refutarentur, qui de παρουσια Christi dubitarent (v. 3. ff.), partim Iudaeo-Christiani severiores, ad auctoritatem Petri prae ceteris provocantes, Paulinis reconciliarentur (v. 15. 16.)

9) Locus quippe c. 3. v. 2. 3. haud dubie exprimit effatum *Iudae* ep. v. 17. sq. Quam utriusque convenientiam non dixerim fortuitam. Eiusdem scriptoris indolem refert, qui c. II. epistolam Iudae ante oculos habuerat. Cfr. insuper c. 2. v. 13. c. 3. v. 14. itemque c. 2. v. 5. c. 3. v. 5. sq. Immo ipsum totius epistolae initium c. 1. v. 1. 2. conformatum esse videtur ad salutationem simillimam Christianos *omnes* complectentem ep. *Iudae* v. 1. 2.

10) Vd. §. 101. nota 2. et 4. itemque Censor eruditus libri Ullmanniani: *Wachler* neue theologische Annalen und Nachrichten, Merz und April, 1822. *Olshausen* comment. laud. sectio I. p. 18. Quae quidem eximia orationis similitudo profecto facilius intelligitur, si eundem scriptorem *haec omnia* consignasse dixeris, quam, si conieceris, eundem auctorem, *qui Iudae epistolam exprimeret, in eo quoque elaborasse, ut in iis, quae ipse scripto vere Petrino* (secundum Bertholdtium capiti II. et III. secundum Ullmannum capiti I.) *interpolando adiiceret, etiam verba phrasesque illius epistolae partis, quae vere Petrina fuisset, imitaretur.*

11) Argumentum quidem tertii capitis nequaquam *efflagitat*, ut caput II. ad epistolam vere Petrinam pertinuisse censeamus. Sed aeque in promtu est, verbis postremis capitis I. primisque capitis II. interpositionis hoc loco factae vestigia nulla inesse.

12) Intelligimus, hac sententia admissa, quomodo factum sit, ut eadem epistola posterior, quamvis vario modo ab oratione Petrina, qualem ep. I. exhibuit, deflecteret, haud paucas tamen voces formulasque vere Petrinas usurparet (§. 101. nota 1.)

13) Forsitan Petrus ipse *nonnulla iam consignaverat*, quae huic epistolae scribendae inservirent, ab auctore nostro una cum iis, quae *sermonibus* huius Apostoli debebat, adhibita.

14) Videtur hic Petri discipulus non plane compertum habuisse, utrum Apostolus novam epistolam iisdem tantum coetibus Christianis, qui ep. I. c. 1. in. commemorati fuerant, an aliis quoque destinaverit. Nolebat igitur litteras, quibus nomen Petri praefixerat, certis inscribere coetibus; sed etiam hac in re exemplum *Iudae* (v. 1. 2.) secutus est.

15) Originem *totius* ep. Petrinam *inpugnaverunt*: *Calvinus* comment. in epp. Vol. V. P. 3. p. 103. *Grotius* in adnott. ad N. T. ad hanc ep. (cuius coniecturam singularem de Simone, episcopo Hierosolymitano, auctore epistolae, probe examinavit *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3124. ff.) *Semmler* paraphrasis in epist. II. Petri et ep. Iudae, Hal. 1784. *Schmidt* Einl. Vol. II. p. 333. ff. *Eichhorn* Einl. 3. B. 2. H. p. 630. ff. Censor nota 10. laudatus: *Wachler* neue theol. Annalen u. s. w. *De Wette* Einl. p. 327. ff. *Defendunt* authentiam: *Dahl* comment. nota 3. laud. Christ. *Flatt* comm. genuina secundae Petri ep. origo denuo defenditur, Tub. 1806. 4. *Storr* comm. §. 88. nota 8. ex. laud. *Augusti* in l. ibidem laud. *Pott* in prolegg. ad hanc ep. N. T. gr. ed. Kopp. Vol. IX. fasc. II. Gott. 1810 ed. II. L. *Nietzsche* epistola Petri posterior auctori suo inprimis contra Grotium vindicata, Lips. 1785. 8. *Olshausen* comm. §. 100. nota 3. laud. quanquam gravitatem dubitationum agnovit.

Interpretationi utriusque epistolae Petrinae praeter libros §. 88. nota 8. commemoratos hi inserviunt: *Walther* Erklärung der Briefe Petri, Halle, 1750. 4. *Boysen* Versuch einer praktischen Erklärung der Briefe Petri und Judae, Halle, 1775. 8. D. *Moldenhawer* Uebersetzung und Erklärung des ersten Briefs Petri, Hamburg (sine indicio anni.) *Schirmer* die beyden Br. Petri übersetzt und erklärt, Breslau und Leipzig, 1778. 4. *Semmler* paraphrasis in ep. I. Petri cum latinae translationis varietate et notis, Hal. 1783. 8. *Eiusd.* par. in ep. II. Petri atque Iudae supra nota 15. laud. Die Briefe des Ap. Petrus übersetzt und mit Anmerkk. erläutert von F. *Baumgärtel*, Leipz. 1788. 8. *Mori* praelectiones in epp.

Iacobi et Petri ed. *Donat*, Lipf. 1794. 8. Der erste Brief des Ap. Petrus übers. und mit Commentar versehen von *Hensler*, Sulzbach, 1813. 8. Epistolae Iacobi atque Petri I. cum versione german. et comment. lat. ed. *Hottinger*, Lipf. 1815. 8. Die Briefe des Ap. Petrus übersetzt und erläutert von *Eisenschmid*, Ronneburg, 1824. 8. Ex his modo laudd. praesertim scripta *Semmleri*, *Mori*, *Hensleri*, *Hottingeri*, *Eisenschmidii* commendanda.

Epistola Iudae.

§. 103.

Quae inter catholicas exstat brevissima Iudae epistola, eam haud pauci et olim et nostra aetate Iudae Apostolo vindicaverunt [1]), cognomine Thaddaeo sive Lebbaeo [2]), de cuius fatis laboribusque paucissima innotuerunt [3]). Huic sententiae versus primus ipsius epistolae repugnat, ubi auctor *αδελφον Ιακωβου* sese profitetur. Ille enim Apostolus Iudas, praeeuntibus evangeliorum locis recte intellectis, neutrum eorum, qui inter Apostolos nomine *Ιακωβος* utebantur, fratrem habuit, sed filius fuit Iacobi cuiusdam nobis incogniti [4]). Proinde de alio quodam eiusdem nominis doctore Christiano, Iacobi vel maioris vel minoris fratre cogitandum est [5]), licetque hanc epistolam satis probabiliter illi Iudae, cognomine Barsabae tribuere, qui teste Luca Actt. C. XV, v. 22. 27. 32. 33. propheta fuit Christianus, auctoritate insignis in coetu Hierosolymitano [6]). Defendimus authentiam epistolae, quatenus eam aevo vindicamus apostolico [7]).

1) Quanquam doceri non potest, *Hermam* Vis. 1. 4. c. 3. *Clementem Rom.* ep. I. ad Corr. c. 11. *Polycarpum* ep. ad Philipp. c. 3. loca huius epistolae usurpasse; saeculo

tamen II. et III. testimonia apparent, quibus defensores authentiae eius utantur. Versio quidem Syriaca Peschito epistolam Iudae initio non habuisse videtur. Cfr. *Hug* Einl. Vol. II. ed. II. p. 329. ff. *Clemens* vero *Alex.* stromm. l. 3. p. 431. paedag. l. 3. p. 239. ed. Sylb. ad effata ep. provocavit, etsi locis laudd. Iudam non diserte *Apostolum* appellavit (fratrem Christi germanum fuisse censuit in adumbrationibus; vd. Opp. Clem. ed. Venet. T. II. p. 1007.), eamque commentatus est in l. υποτυπωσεις (*Euseb.* hist. eccl. l. 6. c. 14. in.) *Tertull.* eam Iudae *Apostolo* tribuit de habitu foeminarum c. 3. *Origenes* Iudam, fratrem Domini, epistolam brevem eamque praestantissimam scripsisse testatur comment. in Matth. 13, 55. (vd. *Orig.* exegetica ed. Huetius T. I. p. 223.) aliisque locis comment. in Matth. 19, 29. 22, 23. sq. Io. 5, 19. 20. effatis usus est inde desumtis, vd. Orig. exeg. ed. Huetius T. I. p. 396. sq. 483. T. II. p. 229. Idem *huic* Iudae praedicatum αποστολος tribuit, in iis quidem scriptis, quae nobis latine sunt servata, comment. in ep. ad Romm. Opp. ed. de la Rue T. IV. p. 549. homilia VII. in Iosuam (T. II. p. 412.) de princip. l. 3. c. 2. [Quae Origenes comment. ad Matth. 22, 23. sq. dicit: ει δε και την Ιουδα πρόσοιτό τις επιστολην, si locum antecedentem contuleris, patet sic intelligenda esse: si quis insuper, tanquam argumentum dogmatis propositi, addere voluerit Iudae epistolam, non: si quis etiam recipere s. agnoscere voluerit Iudae ep. Cfr. Censor commentationis: *Iessien* de αὐθεντία ep. Iudae, Lips. 1821. 8.: Leipziger Litteraturz. a. 1822. N. 224.] *Eusebius* vero epistolam Iudae inter αντιλεγομενα refert, eiusque mentionem apud scriptores antiquiores raro fieri perhibet; quanquam idem testatur, suo tempore legi eam et usurpari in plerisque ecclesiis. Hist. eccl. l. 3. c. 25. l. 6. c. 14. in. l. 2. c. 23. ex. Apostolicam agnoverunt *Ephraëm Syrus* Opp. Syrr. T. I. p. 136. et *Hieronymus* catal. script. eccl. sub v. *Iudas*, praeterea ad *Hedibiam* quaest. 2. ep. ad *Paulinum* de studio scripturarum sacrarum (Opp. T. IV. P. 2. p. 568. ed. Benedict.) adversus Iovinian. 1, 24. comment. in Ies. c. 51. c. 63. in Ezech. c. 18. in ep. ad Titum c. 1. Causam, quare haud pauci Christiani sui temporis eam non habeant apostolicam, ipse Hieron. (l. l. catal. scriptt.) hanc profert, quod scriptor v. 14. 15. librum Henochi pseudepigraphum usurpaverit. [Recte negatur, vel huic effato, vel commati nono, ad traditionem Iudaeorum se-

riorum provocanti, argumentum inesse idoneum, quo origo epistolae apostolica inpugnetur. Vd. ad *Gal.* 3, 19. I. *Corr.* 10, 4, II. *Timoth.* 3, 8.] Canon *Muratorius* (Muratori antiquitt. Itall. T. III. p. 854.) epistolam Iudae exhibuit. Inter recentiores Iudae Apostolo eam vindicarunt *Haenlein*: ep. Iudae graece commentario critico et adnotatione perpetua illustrata, Erlangae, 1804. 8. prolegg. p. 57. sq. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3190. sq.

2) Vd. *Marci* ev. 3, 18. *Matth.* 10, 3. Mentio eius praeterea facta est *Luc.* ev. 6, 16. *Actt.* 1, 13. *Io.* 14, 22.

3) *Nicephorus* hist. eccles. l. 2. c. 40. hunc Apostolum non tantum inter Palaestinenses, sed in Samaria quoque, Syria, Arabia evangelium praedicasse perhibet. Sententia multis probata de ecclesia Syriaca *huius Apostoli ope condita* originem duxit ex loco *Eusebii* hist. eccl. l. 1. c. 12. 13. ubi de alio quodam Thaddaeo sermo est. Vd. *Bertholdt* Einl. 5. Th. 2. Hälfte, p. 2672. ff. Scriptores syri martyrium praedicant, quod in Phoenicia perpessus fuerit. Vd. *Assemanni* bibliotheca orient. T. III. P. II. p. 13. ff.

4) Vd. §. 89, nota 6. Etsi, scriptorem nostrum non fuisse Apostolum, nec phrasis illa latius patens δουλος χριστου (ep. Iudae v. 1.) certo probaverit, nec locus v. 17. 18. (siquidem haec tota dicendi ratio: μνησθητε των ρηματων των προειρημενων υπο των αποστολων του κυριου ἡμων ιησου χριστου minime ita comparata est, ut, qui haec scripserit, diserte neget, se ipsum ex numero esse horum αποστολων, praesertim, quum v. 18. non dixerit: οτι ελεγον ημιν, sed ὑμῖν); eodem tamen iure adfirmamus, per totam epistolam nihil occurrere, quod auctoritatem scriptoris prodat apostolicam.

5) Alterutrum horum Apostolorum sub eo Iacobo, cuius fratrem auctor epistolae v. 1. sese professus fuerit, intelligendum esse duplici argumento probamus, a) quod hunc Iacobum praedicato insignivit nullo, more eorum, qui de homine loquuntur illustri, lectoribus satis cognito, b) quod nonnisi hac sententia admittenda doceri recte potest, quare omnino scriptor se appellaverit αδελφον Ιακωβου. *Honori* quippe eximio sibi ducebat, quod *Apostolo* cuidam iunctus esset fraternitatis vinculo. De *illo Iacobo* tertio, qui inter *fratres Christi germanos* fuit,

propterea h. l. cogitari non potest, quod de auctoritate singulari et dignitate, quae huic Servatoris fratri in ecclesia Christiana contigerit, ex libris N. F. nihil compertum habemus. Vd. §. 89. nota 6. 7. 8. 9.

6) Huic sententiae non repugnat, quod Iudas, quem Lucas in Actis l. l. commemoravit, *filius Sabae* (Barsabas) dicitur. Facile enim fieri potuit, ut *idem Zebedaeus*, Iacobi (*maioris*) et Ioannis pater (*Matth.* 4, 21. 10, 2. 20, 20. 26, 37. *Marc.* 1, 19. 20. 3, 17. 10, 35. *Luc.* 5, 10. *Io.* 21, 2.) etiam, forma nominis breviori, *Sabas* appellaretur. Neque cum Doct. *Guerickio* (Beyträge zur historisch-krit. Einl. p. 176.) ex locis evangg. laudatis demonstrari putaverim, Zebedaeum praeter Iacobum et Ioannem filium habuisse nullum. Forsitan Iudas serius natus fuerat. Etsi Iacobus Apostolus, Zebedaei filius, supplicio mature interfectus (§. 89. nota 1.) eo tempore, quo Iudas Barsabas hanc epistolam scripsit, non amplius in vita esset superstes, etiamnum tamen memoria huius viri, Servatori praecipue dilecti, vigere potuit in animis Christianorum. Eandem de auctore epistolae coniecturam defendit *Welcker*: philologisch-exegetische Clavis über die katholischen Briefe und den Brief an die Hebräer p. 157. sq. (quanquam hic Iudam Barsabam fratrem Christi germanum fuisse existimat.)

7) Neque continet haec epistola, quae aliena sint ab aevo apostolico, neque silentium antiquissimorum ecclesiae doctorum originem eius probat seriorem, quum neminem mirum habere possit, quod epistola brevissima, cuius auctor non fuisset Apostolus, initio parum fuerit divulgata. Epistola Petrina II. haud ita multo temporis spatio post mortem Petri elapso consignata demonstrat, tum temporis exstitisse Iudae epistolam. Vd. §. 102. — Ceterum, qui nobiscum negant, Iudam Thaddaeum Apostolum auctorem epistolae recte haberi, in partes tamen abeunt diversas. Unum ex αδελφοις κυριου, vel fratrem Christi germanum, vel αδελφον sensu latiori dictum fuisse existimant *Hug* Einl. Vol. II. ed. II. p. 519. sq. *Michaelis* Einl. Vol. II. p. 1491. ed. IV. *De Wette* Einl. p. 341. *Guericke* Beyträge etc. p. 175. ff. *Iessien* comment. crit. de αυθεντια epistolae Iudae Lips. 1821. p. 47. *Grotius*, Carpocrationos hac ep. inpugnari parum recte defendens, Iudae episcopo Hierosolymitano circa a. 127. viventi (*Eu-*

seb. h. e. 4, 5.) epistolam vindicari voluit in prolegg. ad ep. Iudae. Cfr. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3173. sq. De presbytero quodam Iuda (incognito) cogitavit *Dahl* comment. de αυθεντια epistolarum Petrinae posterioris et Iudae, Rostoch. 1807. 4. Vd. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3176. ff. Nec defuerunt, qui scriptorem anonymum nomen Apostoli Iudae mentitum esse dicerent, v. c. *Berger* Versuch einer moralischen Einleitung in das N. T. T. II. p. 395. Sed auctor epistolae profecto *noluit* haberi Apostolus. Vd. supra nota 4.

§. 104.

Quanquam epistola v. 1. 2. Christianos universe salutat, eiusmodi tamen doctores vanos morumque corruptores inpugnat, quales in Graecia potissimum et Asia minori prodierunt [1]). Quo loco exarata fuerit, ignoramus. Neque de tempore certius quidquam constitui potest, nisi, scriptam esse, priusquam Hierosolymae everterentur (ante a. 70.) [2]). Elocutio epistolae, universe spectata, perspicuitate, brevitate, gravitate commendatur [3]), nec ulla continet vestigia versionis ex idiomate aramaico factae [4]). Proinde, si recte negatur, Iudam eiusmodi dexteritatem graece scribendi, qualem haec epistola prodit, comparare sibi potuisse [5]), interpres, quicunque fuerit, epistolam aramaice scriptam non verbotenus graece reddidisse existimandus est [6]).

1) De argumento et oeconomia epistolae §. 102. nota 1. diximus. Homines describuntur, qui, quanquam sacris Christianis addicti, minime tamen dubitabant in consortium epularum venire sacrarum, quas gentiles celebrabant (vd. I. *Corinthh.* c. 8. c. 10.), luxui et vitae libidinosae indulgebant, fastu intumescebant, nolebantque Christum recte agnoscere *Dominum* invisibilem, omniumque et mortuorum et viventium *iudicem.* Cfr. *Apocal.* c. 2. v. 6. 14. 15. 20.

2) Si scripta fuisset *post* excidium Hierosolymarum, hoc insigne iustitiae Dei punientis documentum loco v. 5. 6. 7. omitti non potuisset.

3) Cfr. comparatio huius ep. et capitis II. epistolae Petr. II. §. 102. not. 1. instituta. *Laurmann* collectanea sive notae criticae et commentarius in ep. Iudae, Groningae, 1818. 8. p. 174. ff.

4) Elocutio est bene graeca, rariusque obveniunt, quae ad indolem sermonis hebraici propius accedant. Voces ac formulae huic ep. propriae: v. 1. ἡγιασμενοι εν θεω. ib. χριστω τετηρημενοι. v. 3. σπουδην ποιεισθαι ib. επαγωνιζεσθαι. v. 4. παρεισδυειν. Ib. προγεγραμμενοι. v. 7. εκπορνευειν. Ib. προκεισθαι de exemplo. Ib. δειγμα (alibi in N. F. υποδειγμα) Ib. υπεχειν δικην. v. 10. φυσικως. v. 11. εκχυεσθαι hoc sensu: effuse in scelera ruere. v. 12. σπιλαδες. Ib. ποιμαινειν εαυτον. Ib. φθινοπωρινα. Ib. δις αποθανοντα de arboribus *prorsus* emortuis. v. 13. αγρια de saevitie fluctuum marinorum. Ib. επαφριζειν. Ib. αστερες πλανηται. v. 15. εξελεγχειν. v. 16. γογγυσται. Ib. μεμψιμοιροι. Ib. θαυμαζειν προσωπα (alibi in N. F, εις προσωπον ανθρωπου βλεπειν, s. προσωπον ανθρ. λαμβανειν.) v. 19. αποδιοριζειν. v. 20. Superlativus αγιωτατη. v. 24. απταιστοι.

5) Haec dubitatio omnino oritur, sive Iudam Thaddaeum Apostolum, haud dubie inter Palaestinenses natum et educatum, sive fratrem quendam Christi germanum, Non-Apostolum, sive nobiscum Iudam Barsabam, quem Zebedaei filium habemus, epistolam consignasse dixeris. Ab ipso auctore aramaice scriptam esse defendunt *Schmidt* Einl. Vol. II. p. 314. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3194.

6) Ad *isagogen* in hanc ep. praeter ea, quae *Haenlein*, *Dahl*, *Jessien* in libris §. 103. nota 1. ex. nota 7. laudd. disputaverunt, cfr. *Quade* progr. in epistolam et vitam Iudae, Gryphisw. 1709. 4. Dan. *Schulze* in libris §. 96. nota 4. in. nota 6. ex. commemoratis. *Explicandae* ep. praeter eos interprr. de quibus §. 88. nota 8. dictum est hi inserviunt: F. *Schmid* observatt. super epistola cathol. Iudae, Lips. 1768. 8. *Boysen* in l. §. 102. sub finem notae 15. laud. *Zachariae* kurze Erklärung der Briefe Jacobi, Petri, Judae, Johannis, Göttingen, 1776. 8. *Seemiller* in l. §. 92. sub finem notae 6. laud. *Semmler* paraphr. §. 102. sub finem notae 15. laud. Der Brief Judae übersetzt und erläutert von G. *Hasse*, Jena, 1788. 8. *Haenlein*

in I. §. 103. nota 1. ex. laud. *Herder* in I. §. 89. nota 9. laud. F. *Hartmann* comment. in ep. Iudae, Koethen, 1793. 8. Der Brief des Ap. Judas mit Anmerkungen von E. *Kahler*, Rinteln, 1798. 8. G. *Elias* differt. in ep. Iudae, p. I. Vltrai. 1803. 8. *Laurmann* collectanea supra nota 8. laud. Inter hos potissimum Schmidii, Semmleri, Haenleinii, Herderi, Hartmanni, Laurmanni scripta eminent.

Ioannis epistolae.

§. 105.

Prima Ioannis epistola, quam non dubitamus epistolam appellare [1]), etsi nec salutationem ab initio, nec clausulam habeat sollennem [2]) (obveniunt quippe alia dicendi generis epistolici vestigia satis luculenta [3]) eidem Ioanni Apostolo, quem, evangelii auctorem, §. 36. cognovimus, argumentis vindicatur gravissimis. Antiquitas enim Christiana magno consensu epistolam agnovit Ioanneam [4]). Tantumque abest, ut vel indoles sententiarum vel orationis conformatio de origine eius suspicionem [5]) iustam moveat, ut, quicunque evangelium Ioanni vindicaverit [6]), de alio huius epistolae auctore cogitare omnino nequeat [7]).

1) Epistolam recte dici negarunt *Michaelis* Einl. Vol. II. p. 1520. ed. IV. *commentationem* polemicam inesse existimans, itemque *Berger* moralische Einl. in das N. T. Vol. II. p. 118. et *Storr* über den Zweck der evangel. Geschichte und der Briefe Joannis, Tüb. 1786. p. 383. ff. quorum ille quidem partem evangelii practicam, hic vero libellum, quo consilium evangelii polemicum definitius explicaretur, Ioannem his scribendis exhibere voluisse coniecit.

2) Et salutatio et nominis auctoris professio propterea facile poterat omitti, quod Ioannes, vitam degens in Asia minori, coetibus asiaticis, quos ipse tum temporis saepius

adire solebat, has litteras per homines misit et Ioanni familiares, et coetibus illis probe cognitos. Epistola Hebraeis inscripta iisdem rebus destituitur. Quod Ioannes sub *finem* nec salutationes, nec alia addiderit, quae ad Christianos *singulos* pertinerent, neminem potest mirum habere, si concedatur, epistolam esse encyclicam.

3) Idem est sententiarum ordo liberior, quem in epistolis familiaribus usurpamus. Lectores auctor saepenumero alloquitur, eiusmodi formulis usus, quales in ceteris epp. N. F. haud raro obveniunt, τεκνια, c. 2, v. 1. 12. 28. c. 3, v. 7. 18. c. 4, v. 4. c. 5, v. 21. αγαπητοι, c. 3, v. 2. 21. c. 4, v. 1. 7. 11. αδελφοι μου, c. 2, v. 7. c. 3. v. 13. Oratio *evangelii* duobus tantum locis lectores breviter alloquitur c. 19, v. 35. c. 20, v. 31. omissa eiusmodi familiaritatis interioris professione. Itemque saepius occurrit (υμιν) γραφω, γραφομεν, εγραψα, 1, 4. 2, 1. 7. 8. 12. ss. 21. 26. 5, 13. Cfr. *Siegleri* comment. der erste Brief Johannis ein Sendschreiben, und keine Abhandlung; *Henckę* Magazin für Religionsphilosophie u. s. w. 6. B. 2. St.

4) Et *Papias* (testante *Eusebio* hist. eccles. l. 3. c. 39.) hanc epistolam usurpavit, et *Polycarpus* ep. ad Philipp. c. 7. Idem fecit *Irenaeus*, ita ut eam Ioanni Apostolo vindicaret, contra haerr. l. 3. c. 18. ed. Grabe. itemque *Clemens Alex.* stromm. l. 2. p. 389. ed. Sylb. *Tertull.* contra Marc. l. 5. c. 16. adv. Praxeam c. 15. c. 28. Scorpiacus c. 12. Canon scriptoris incogniti apud *Muratorium* antiquitt. Itall. T. III. p. 854. *Origenes* plura effata huius epistolae tanquam apostolicae laudavit in comment. ad Matth. vd. *Orig.* exegetica ed. Huetius P. I. p. 234. 402. 476. idemque testatur, de authentia eius non dubitari in ecclesia, in comment. ad Io. vd. *Orig.* exegetica ed. Huetius P. II. p. 38. consentiente *Eusebio* hist. eccles. l. 3. c. 24. ex. 25. in. De secta *Alogorum* (vd. §. 87. nota 1.) satis probabiliter colligitur, eos, quum evangelium Io. et apocalypsin Cerintho tribuerent (*Epiphan.* haer. 51, c. 3.), epistolas quoque Ioanneas noluisse apostolicas habere, rationibus potissimum dogmaticis ductos.

5) Nullius momenti sunt, quae olim O. *Lange* persuasioni de origine huius epistolae Ioannea opposuit: die Schriften Johannis übersetzt und erklärt, 3. Theil, Weimar, 1797. 8. a) non prorsus deesse, quae ad personam Ioannis, Apostoli, testis oculati vitae Iesu Christi terrestris, docto-

ris aetate provecti eorum, quibus epistola mittitur, Christianorum respiciant, effata docent c 1, v. 1—4. c. 2, v. 1. 7. 14. 18. c. 4, v. 14. Nec eadem esse potest indoles epistolarum, quae dicuntur encyclicae, aliarumque, unius potissimum ecclesiae desideriis inservientium. Si quis fraudator epistolam fictam Ioanni supponere voluisset, haud dubie omnem operam navasset, ut quovis pacto prae se ferret nomen Ioannis Apostoli. b) similitudini magnae, quae huic epistolae cum effatis haud paucis evangelii Ioannei intercedit, nulla omnino *imitationis* vestigia inhaerent. c) quae passim de adversariis veritatis divinae dicuntur, c. 2, v. 18. sq. c. 4, v. 2. ss. utique sufficiebant, ut lectores epistolae primi facile cognoscerent, cuiusnam generis essent doctores vani, ab auctore notati, sedulo cavendi. d) rationibus parum demonstratis nititur, quod interpres doctissimus monet, formulam c. 2. v. 18. εσχατη ωρα εστι excidium Hierosolymarum una cum aliis rebus complectentem, in eiusmodi epistola usurpatam, quae post eversionem Hierosolymarum litteris consignata fuerit, parum convenire silentio, quo scriptor haec Iudaeorum fata in tota epistola transierit. Neque enim argumentis idoneis probatum est, epistolam I. Io. scriptam esse *post* eversionem Hierosolymarum, neque (etsi epistola serius scripta existimetur) illius formulae usus (ωρα εσχατη εστι) necessario secum ferebat, ut huius excidii mentio fieret. Universe tantum cogitasse videtur Apostolus de tempore consummationis regni divini propius propiusque accedente, praesertim de certamine cum αντιχριστω consummationem illam antecessuro. — Negamus item, vel doctrinam de λογω, ep. 1. c. 1. v. 1. 2. c. 4, v. 1—3. adumbratam (vd. *Bretschneider* probabilia de evangelii et epistolarum Ioannis Apostoli indole et origine, Lips. 1820. p. 166.), vel ea epistolae loca, quae ad Docetas respiciant, auctorem prodere aevi serioris. De λογω quidem Ioanneo (ev. c. 1. in.) vd. §. 38. nota 1. 2. De vestigiis Docetismi (in evangelio quoque apparentibus, vd. §. 40. nota 8. ex.) posthac dicemus. — Authentiam epistolae contra dubitationes, quas pauci moverunt, verissime tuentur *Fritzsche* Bemerckungen über die Briefe Johannis: *Hencke* Museum für Religionswissenschaft 3. B. 1. St. 1806. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3211. ss. Mich. *Weber* progr. authentia epistolae Io. primae argumentorum internorum usu vindicata, Hal. 1823. 4. *Hemsen* die Authentie der Schriften des Evangel. Johannes, Schles-

wig, 1823. p. 856. ff. *Lücke* Commentar über die Schriften des Evang. Joh. 3. Th. Bonn, 1825. p. 10. ff.

6) Quo iure evangelium quartum Ioanni Apostolo vindicetur, §. 87. 88. docuimus.

7) Eiusmodi apparet consensus evangelii Ioannei et primae epistolae, qui omnem imitandi sollertiam superet, sive sententias spectaveris (v. c. quae de λογω, atque de Christo φωτι et ζωη του κοσμου dicuntur, *ev.* c. 1, v. 1—9. 14. al. 1. *ep.* 1, 1. ff. 2, 8. de Deo invisibili, *ev.* c. 1, v. 18. c. 6, v. 46. I. *ep.* 4, 12. de summo Dei erga homines amore, quem Christo legando declaraverit, *ev.* c. 3, v. 16. I. *ep.* 4, 9. de conditione beata filiorum Dei, suius participes reddantur, quicunque Christo fidem habeant veram, *ev.* c. 1, v. 12. 13. I. *ep.* 5, 1. de iis, qui prave agant, tenebrarum amicis, iis vero, qui recte faciant, in luce versantibus *ev.* c. 3, v. 19. ff. I. *ep.* 1, 6. sq. de insigni hominum amore, quem Christus exhibuit vita pro nobis ponenda *ev.* c. 10, v. 11. 15. 18. I. *ep.* 3, 16. de praecepto amoris Christiano *ev.* c. 13, 34. sq. c. 15, 12. 13. I. *ep.* 3, 11. 16. 18. 23) sive totum dicendi genus, vocesque singulas huic scriptori praesertim familiares. Vd. §. 41. nota 5. Dan. *Schulze* der schriftsteller. Charakter und Werth des Johannes, Weissenfels und Leipzig, 1803. *Eichhorn* Einl. Vol. 2. p. 281. ff. *De Wette* Einl. p. 330. ff.

§. 106.

Commendat haec epistola et constantiam persuasionis, qua Iesus agnoscitur Christus, Dei filius, et indefessum verae virtutis ac pietatis studium, quo perveniamus in communionem Dei sanctissimi, eiusque Filii, praesertim amorem, cuiusque virtutis Christianae fontem limpidissimum. Interpretem accuratum haud facile latet et perspicuitas et nexus sententiarum, quae in hac epistola primariae apparent, idoneus, quanquam scriptor, quod singula attinet, non ubique vel nexum vel ambitum sententiae propositae

definitius declaravit, pleraque magis ad animum movendum accommodate elocutus est, quam subtiliter more Paulino tractavit, nec pauca modo iisdem formulis, modo simillimis iteravit [1]). Simplicitas sermonis eximiam habet gravitatem, ex ipsis potissimum rebus oriundam. De adversariis doctrinae ac pietatis vere Christianae, quos Ioannes in hac epistola notavit, interpretes in partes abeunt admodum diversas, quum alii quidem homines Iudaeo-Christianos intelligant, opinionibus Iudaicis indulgentes, vel etiamnum coetui addictos [2]), vel, qui prorsus defecissent a fide Christiana [3]), alii Christianos γνώσει cuidam deditos [4]), praesertim ex genere Ethnico-Christianorum, neque desint, qui Ioannem ad genera doctorum vanorum diversa respexisse dicant. Concedimus, Apostolo pluribus locis et placita Cerinthi [5]) atque Docetarum [6]), et eiusmodi Ethnico-Christianorum studia, qui abusum facerent doctrinae Paulinae de hominibus per Christum a iugo legis Mosaicae liberatis [7]), ante oculos obversata esse. Attamen, quo minus finem epistolae primarium ad doctores vanos notandos et inpugnandos referamus, argumentum et oeconomia epistolae inpedit [8]).

1) Brevis *argumenti* descriptio. C. *I.* Exordio praemisso v. 1—4. quo scriptor graviter adfirmat, se (ceterosque Apostolos) de Iesu Christo ea lectoribus nuntiare, quae ipsi, testes vitae Servatoris oculati, accurate cognovissent, ut omnes ad veram perveniant cum Deo Patre eiusque Filio communionem, hac ratione edocet admonetque lectores. v. 5—10. Nuntiamus vobis, Deum esse lucem (naturam sanctissimam), ideoque eos tantum homines, qui et ipsi in luce versentur (sapientiam veram animique emendationem admittant) ad communionem cum Deo pervenire. Se ipse decipit, qui peccati expertem sese dixerit. Sin peccata nostra libere professi fuerimus, Deus per Christum immunes nos praestabit a poenis peccato-

rum, mentesque nostras emendabit. C. *II.* v. 1—11. Nolite peccatis indulgere. Quodsi quis peccaverit, confugite ad Iesum Christum expiationis peccatorum humanorum auctorem. Quem Christum ii tantum vere cognoscere recte dicuntur, qui praecepta Christi servant, eiusque imitantur exemplum. Mandatum vobis scribo, quod et antiquum (dudum traditum) et novum (nondum satis intellectum et observatum) appellare liceat. In tenebris versatur, quicunque alios odio habuerit. v. 12—29. Quum vos omnes, Christo addicti, Deum eiusque filium recte cognoveritis, veniae peccatorum participes facti sitis, Satanamque superaveritis, hunc tramitem strenue persequamini. Nolite decipi rerum terrestrium amore. Perpendite, finem instare huius saeculi; siquidem iam haud pauci ex ipso coetu nostro prodierunt adversarii Christi. Vos quidem veritatem nostis. Attamen cavete vobis ab illis mendacii defensoribus, qui, quum Iesum negent esse Christum, Deum ipsum parum recte noscunt, nec Deo vere sunt coniuncti. Vos, religionis doctrina vera constanter tenenda, manete Christo, per Christum Deo, coniunctissimi. Probe memores estote, eum, qui recte faciat, Dei esse filium. C. *III.* v. 1—18. Summum erga nos amorem Deus eo declaravit, quod nos (per Christum) ipsius filios reddi voluit, Deo olim simillimos futuros, eumque perfecte cogituros. Quae quidem spes praestantissima graviter nos obstringit animo emendando. Quicunque enim vitiositati indulget, legem (divinam) violat, nec dici potest Christum recte cognovisse, quippe qui propterea venit, ut peccata nostra auferret. Oriundus est a Satana, cuius opera Christus destruxit. Qui veri sunt Dei liberi peccatis abstinent. Satanae refert indolem, nec transit in vitam aeternam ac beatam, qui prave agit, aliosque odio habet; siquidem homo amoris expers mandatum gravissimum negligit, pro homicida habendus. Veram amoris indolem exemplo Christi cognovimus, qui vitam pro nobis posuit. Nos quoque alios diligamus, non sermone sed factis. v. 19—24. Quicunque sibi conscius est huius amoris, Deum adire potest animo fiduciae pleno. Servat quippe gravissima Dei mandata de fide Christo habenda, aliisque diligendis. Obsequio his praestando Deo manemus coniunctissimi. Cuius coniunctionis interioris indicio est ipsius spiritus divini in animis nostris efficacia. C. *IV.* v. 1—6. Neque vero omnibus fides habenda est, qui sese dixerint

ſpiritu actos divino. Multi quippe prodierunt doctores vani, qui Ieſum noluint profiteri Chriſtum, qui carne indutus venerit. Nos, ex Deo oriundi, facile dignoſcimus hunc fraudis ſpiritum, quo homines, qui ad mundum (multitudinem profanam) pertinent, aguntur, ab illo ſpiritu veritatis, qui Ieſum recte agnoſcit. v. 7—21. Proſequamur nos mutuo amore. Amor quippe a Deo oriundus eſt, qui ſuum erga nos amorem filio, peccatorum noſtrorum expiatore, in terram legando patefecit. Sequamur exemplum Dei. Etſi nemo unquam Deum ſpectaverit, manemus tamen Deo coniuncti per mutuum amorem (ſpiritu divino in animis noſtris efficaciam ſaluberrimam exſerente) itemque per fidem Dei filio habitam. Quo fit, ut laetiſſima quaeque ſperemus, quod diem iudicii attinet. Amor quippe metum depellit. Deum, qui prior nos amavit, is tantum vere amat, qui fratres diligit. C. *V*. v. 1—13. Quum veluti natus ſit ex Deo, qui Ieſum recte agnoverit Chriſtum, neceſſe eſt, una cum patre filios diligat. Quicunque hoc fecerit, praeceptis Dei obſequitur. Neque haec praecepta obſervatu ſunt difficilia. Quisquis enim genitus eſt ex Deo, omnes mundi illecebras eo vincit, quod confidit, Ieſum eſſe filium Dei. Cuius perſuaſionis argumenta exſtant graviſſima, teſtimonia divinitus exhibita, ita ut, qui Chriſto fidem denegaverit, Deum ipſum mendacem declaret. Nec vitae beatae particeps fieri poteſt, qui noluerit Ieſum, Deo volente vitae beatae auctorem, recte agnoſcere. v. 14—21. Qua quidem perſuaſione nititur etiam fiducia noſtra in Deo poſita. Huius fiduciae plenus Deum precibus adeat, qui fratrem viderit peccatum committentem, quod mortem (miſeriam futuram) non adferat, quo conſulat eius ſaluti. Non dico, pro iis, qui commiſerint peccata mortalia Deum eſſe inplorandum. Ceterum novimus, veros Dei liberos omnino non indulgere vitioſitati, filiumque Dei veniſſe ut nos doceret recte cognoſcere Deum verum, cui per Chriſtum ſumus coniunctiſſimi. Cavete vobis ab idolis.

2) *Tertull.* de praeſcriptt. haerett. c. 33. *Semmler* paraphraſis in I. ep. Io. cum prolegomm. et animadverſſ. Hal. 1792. C. *Tittmann* de veſtigiis Gnoſticorum in N. T. fruſtra quaeſitis p. 179. *Knapp* ſcripta varii argumenti ed. II. Hal. 1823. T. I. p. 157. ſſ. *Ziegler* commentatio; *Hencke* Magazin für Religionsphiloſophie u. ſ. w. 6. B. 2. St. *Storr* über den Zweck der evang. Geſchichte und

der Briefe Johannis p. 223. ff. p. 387. ff. Qui *Ebionaeos* potissimum inpugnari existimant, ad locum provocant c. 2. v. 22. sq. Cfr. de Ebionaeis observata §. 6. nota 2. Sed quomodo factum est, ut Ioannes per totam epistolam illius severitatis, qua Ebionaei legem Mosaicam cerimonialem Christianis omnibus iniungi vellent, mentionem faceret nullam? *Ioannis baptistae sectatores*, de Iesu Christo parum recte iudicantes, notavisse Apostolum defendunt *Storr* l. l. Chr. *Flatt* diss. qua variae de antichristis et pseudoprophetis in I. Io. ep. notatis sententiae modesto examini subiiciuntur, Tub. 1809. 4. *Keil* adnotatt. ad *Fabricii* bibl. gr. ed. Harles. T. IV. p. 782. sq. alii. Quanquam negari non potest, evangelio Ioanneo effata inesse, quae ad illos baptistae sectatores respiciant (cfr. §. 40. nota 6.); ea tamen epistolae I. loca quae eosdem inpugnare existimantur (c. 1. v. 1. ff. c. 5. v. 5. ff. v. 9.) longe aliam eamque faciliorem admittunt interpretationem. Cfr. potissimum quae utrique sententiae recte opposuit *Lücke*: Commentar über die Schriften des Evangelisten Johannes T. III. Bonn, 1825. p. 61. ff. p. 73. ff.

3) G. *Lange* in comment. §. 105. nota 5. laud. p. 19. ff. *Eichhorn* Einl. Vol. II. p. 291. ff. Verba quidem I. ep. c. 2, v. 19. εξ ημων εξηλθον recte sic intelliguntur: coetu nostro exierunt (societatem nostram dereliquerunt), propter verba seqq. ει γαρ ησαν εξ ἡμων, μεμενηκεισαν etc. Nolim vero existimare, illos *hoc sensu* dici exiisse, ut professioni Christianae omnino renuntiarent. Defecerant a societate eorum, qui *recte Christiani* dicebantur, quum ceteris dignitatem summam Iesu Christi (Filii Dei, λογου natura humana induti) agnoscentibus non consentirent. Neque doceri potest, Apostolum, quae c. 5. v. 6. dixerit, iis potissimum opposuisse, qui in doctrina de Messia cruci adfixo offendissent. De Iudaeis, qui professionem Christianam, olim probatam, *prorsus* repudiassent, profecto non habebat Apostolus, quod lectores commonefaceret, ut ab eiusmodi hominibus sibi caverent. Idem prohibet, quo minus cum *Loeflero* (diss. Ioannis epistola I. Gnosticos inprimis inpugnari negans, Francof. ad Viadr. 1784. 4. inserta commentatt. theoll. ed. a *Velthusenio* etc. Vol. I.) *doctores Iudaicos* intelligamus, qui Iesum nunquam agnoverant Messiam. Nec huic sententiae locus I. *ep.* 2, 18. convenit, quum eiusmodi doctrinae evangelicae adversarii, qui inter doctores essent Iudaicos, *iampridem* extitissent.

4) *Michaelis* Einl. Vol. II. ed. IV. p. 1522. ff. *Kleuker* Iohannes, Petrus und Paulus als Christologen betrachtet, Riga, 1785. p. 63. ff. 81. ff. Negari non potest, tempore Christi et Apostolorum inter Ethnicos atque Iudaeos non defuisse disciplinam quandam magicam ac theosophiam s. theurgiam, placitis indulgentem arbitrariis de naturis coelestibus, ac de praesidiis, quibus homo ad consortium harum naturarum pervenire possit. *Actt.* 8, 9. 13, 6, 19, 19. Cfr. §. 65. nota 2. ex. observata. An vero Ioannes in ep. I. *de Gnosticis* s. *Ante-Gnosticis universe* cogitaverit, dubitaverim, siquidem usus frequens formulae γιγνωσκειν τον θεον, Ioanni familiaris, facile inde explicari potest, quod Ioannes *Iesum* de vera Dei *cognitione* loquentem formulamque θεον ορᾳν s. εωρακεναι usurpantem saepe audierat, *Io. ev.* 8, 55. 10, 15. 14, 7. 16, 3. 17, 3. 8. 25. coll. 3, 11. 5, 37. 6, 46. 14, 7. 9. al. — De *Docetis* praecipue cogitarunt auctores scholiorum graecorum, quae leguntur in l. epistolae catholicae, ed. *Matthaei*, Rigae, 1782. 8. p. 190. 224. *Vitringa* observv. sacrae l. 5. c. 20. *Oporinus* Ioannis Apost. paraenesis ad primos Christianos nodis interpretum liberata etc. 1741. 4. Auctor comment. Versuch einer Einleitung in den ersten Brief Johannis: *Schmidt* Bibliothek für Kritik und Exegese des N. T. 1. B. 1. St. *Schmidt* Einl. T. II. p. 318. ff. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3250. ff. Ag. *Niemeyer* comment. de Docetis Hal. 1823. 4. p. 29. ff. *Lücke* Commentar (supra nota 2. laud.) p. 62. ff.

5) Qui hoc defendunt, v. c. *Storr* in l. supra nota 2. laud. *Vitringa* et *Oporinus* in libris nota 4. laudd. Chr. *Flatt* dissert. (nota 2. laud.) vestigia premunt haud obscura *I. Io.* c. 2. v. 22. ubi ψευστης et αντιχριστος dicitur ὁ αρνουμενος, ὁτι ιησους ουκ εστιν ο χριστος. Haec enim omnino facilius putaverim sic intelligi: qui Iesum negat esse Christum (utrumque ab altero distinguit, quod *Cerinthum* tempore apostolico fecisse §. 40. nota 7. vidimus), quam cum Doctt. *Lückio* Comm. Vol. III. p. 67. ff. ad Docetismum referri aliis locis notatum.

6) *Docetis* Iesum Christum corpore vero humano usum esse negantibus opponuntur quae I. *ep.* c. 1. v. 1. 2. 3. ep. *II.* v. 7. habet. Etenim, quod locum posteriorem attinet, verba οι μη ομολογουντες ιησουν χριστον ερχομενον εν σαρκι parum probabiliter vel ita intelliguntur, ut ερχεσθαι εν σαρκι nihil amplius significet, quam ερχεσθαι εις τον κοσ-

σμόν, vel ad eos respicere existimantur, qui Iesum propterea noluerint agnoscere Christum, quod corpore imbecilli usus sit, morti obnoxio. Vocab. σὰρξ apud Ioannem, ubi *de Christo* sermo est, non *imbecillitati* corporis, sed universe apparitioni Iesu Christi, vere hominis, inter homines viventis significandae inserviit (ut ev. c. 1. v. 14.) Et ipse delectus et collocatio verborum II. Io. v. 7. docet, sermonem esse de iis, qui profiteri nolint, Iesum Christum ita venisse, ut corpore vere humano uteretur (ἐν σαρκὶ.) Vestigia autem *Docetismi* (quem evangelium quoque Ioanneum aliquoties ante oculos habuit §. 40. nota 8.) aevo apostolico apparuisse scriptores docuerunt supra nota 4. commemorati. — Admodum erudite quidem nuperrime V. *Paulus*: die drey Lehrbriefe des Johannes, wortgetreu übersetzt und nach philologisch-notiologischer Methode erklärt, Heidelberg, 1829. p. 45. sqq. docere studuit, Ioannem contra eiusmodi potius Christianos pugnavisse, qui; doctrinam religionis orientalem (γνωσιν quandam) inter Persas et Medos celebratam sequuti, *lucem* non tantum symbolum, sed etiam apparitionem Numinis divini purissimam existimantes, homines sese iactitarent in luce versantes (Deo coniunctissimos, peccati expertes) dicerentque, hominem, quatenus naturam habeat lucidam (animo suo, voluntate) nunquam peccare, sed quaevis peccata naturae corporis tenebricosae tribuenda esse. Attamen a) quod vehementer errare dicuntur, qui sese iactitaverint cuiusque peccati expertes (I. *Io.* 1, 8. 10.), totius religionis Christianae indoli coniunctissimum est, nec huic apostolo proprium. Cfr. v. c. *Romm.* 3, 23. al. *Iacobi* ep. 3, 2. b) quum Servator ipse Φως του κοσμου sese appellasset, hominesque veritati divinae obsequium praestantes luce delectari, in luce versari, ceteros tenebras praeferre dixisset (Io. ev. 3, 19. ss. 8, 12. 9, 5. 11, 10. 12, 35. sq. 12, 46.) in promtu est, quare Ioannes eiusmodi phrases, quales I. *ep.* c. 1, 5. c. 2, v. 8. ss. obveniunt, lubenter adhibuerit, etsi non hoc ageret, ut illos singularis de luce doctrinae fautores inpugnaret. c) si Apostolus ep. I. c. 4, 2. II. ep. v. 7. exemplo Christi innocentis, corpore humano induti, *hoc* ostendere voluisset, non corpus, sed voluntatem hominis liberam, originem esse peccati; debuisset profecto eiusmodi argumentationem sermone magis perspicuo innuere. Nexus quippe orationis, qui locis laudd. obtinet, omnino nulla continet *huius* potissimum consilii vestigia. Multo

facilius haec referri putaverim ad illos, quos supra diximus, Docetas, propter *perversam de natura Christi sententiam* obiter notatos.

7) I. ep. c. 3, v. 4. Cfr. *Lücke* in comment. nota 2. laud. p. 69. ff.

8) Obiter tantum paucisque notantur doctores vani, a quibus lectores sedulo sibi cavere iubeantur. Nec additur argumentorum, quibus vana illorum placita refutentur, uberior expositio. Vd. *Lücke* comment. laud. p. 51. sq.

§. 107.

Argumenta, quibus nonnulli ex ipsa epistola docere voluerunt, eam solis Iudaeo-Christianis destinatam fuisse, parum idonea apparent ad hanc sententiam probandam [1]). Immo, quum Apostolus librorum V. T. usum fecerit nullum, finemque epistolae inposuerit commonefaciendis lectoribus, ut sibi caverent a cultu idolorum, vel solis Ethnico-Christianis, vel his potissimum epistola docendis et admonendis inservire voluisse videtur [2]), eiusmodi quidem coetibus, qui in Asia minori versarentur [3]). Quae paucis arrisit sententia, Ioannem has litteras ad coetum Christianum inter Parthos conditum dedisse [4]), traditione nititur parum explorata [5]), nec verisimile, Ioanni cum ecclesia Parthica familiaritatem interiorem, qualem haec epistola profiteatur, intercessisse [6]). Quo tempore consignata fuerit, non licet iis conficere argumentis internis, quorum ope alii, hanc epistolam una cum evangelio lectoribus missam [7]), alii, annis demum postremis saeculi I. scriptam contenderunt [8]). Id unum patet, nec ante evangelium exaratam esse, nec una cum evangelio editam [9]). Quod locum attinet, in eo acquiescimus, ut Ioannem, quum hanc epistolam scriberet, vel apud Ephesios, vel in alia

quadam regione Aſiae minoris commoratum eſſe probabilitate ſumma contendamus [10]).

1) Quae ep. I. c. 2. v. 2. de Chriſto dicuntur: και αυτος ιλασμος εστι περι των αμαρτιων ημων· ου περι των ημετερων δε μονον, αλλα και περι ολου του κοσμου minime ita ſunt intelligenda, ut lectores epiſtolae, tanquam Iudaeo-Chriſtiani vocibus ημων et ημετερων opponantur Ethnicis (τω κοσμω). Immo ημων et ημετ. *Chriſto addictos univerſe* complectitur, quemadmodum κοσμος univerſe homines profanos (a Chriſto alienos) innuit. Cfr. I. *Io.* 3, 1. 13. 5, 19. *ev.* 1, 10. al. Neque ex formulis: εντολη, ην ειχετε απ' αρχης, λογος, ον ηκουσατε απ' αρχης, εγνωκατε τον απ' αρχης (c. 2. v. 7. 13. 14.) colligi debet, Ioannem eiusmodi Chriſtianis ſcripſiſſe epiſtolam, qui olim in Palaeſtina Servatorem ipſum de facie cognoviſſent, ac docentem audiiſſent. Illud quippe απ' αρχης inſtitutionem primam Chriſtianam innuit, qua ſinguli fuerant inbuti, ad ſacra Chriſtiana (diverſis quidem temporibus) tranſeuntes. Neque ſcripturus fuiſſet apoſtolus εγνωκατε τον απ' αρχης, ſi h. l. de cognitione perſonae Ieſu Chriſti *viſibilis* cogitaſſet, ſed definitius εωρακατε.

2) Coniectura *Loeffleri* in l. über die kirchliche Genugthuungslehre, Züllichau und Freyſtadt 1796. p. 153. ſſ. epiſtolam I. Io. non tantum Chriſtianis, *ſed etiam Iudaeis nondum converſis* (de auctoritate Ieſu Chriſti eiusque doctrinae etiamnum dubitantibus) deſtinatam fuiſſe, argumentis idoneis deſtituitur. Etenim, quae Apoſt. c. 1. v. 1. 2. 3. de veritate teſtimonii ſui de Ieſu Chriſto editi palam profeſſus eſt, haud dubie propterea dicuntur, quod probe noverat, in coetibus illis non deeſſe Chriſtianos imbecilliores, qui facile aures praebeant doctoribus vanis placita defendentibus, quibus vera Ieſu Chriſti hiſtoria atque doctrina depravetur. Verba c. 1. v. 3. ινα και υμεις κοινωνιαν εχητε μεθ' ημων minime homines innuunt, qui hucusque a ſocietate Chriſtiana fuerint alieni. Immo optabat Ioannes, ut, qui hucusque Chriſto nomen dediſſent, ipſi (Apoſtolo) *re vera coniuncti manerent*, conſtantia perſuaſionis eorum vere Chriſtianae nullis doctoribus vanis labefactata. Concedimus, c. 3. v. 23. nihil proferri, quod incognitum eſſe potuerit lectoribus Chriſtianis. Attamen, quis neget, ceteris quoque epiſtolis N. F. ineſſe, quae lectoribus Chriſtianis in mentem revocentur, ite-

rumque graviter iniunguntur? Denique arbitraria est effati c. 5. v. 13. (ταυτα εγραψα υμιν τοις πιστευουσιν etc.) interpretatio, qua Io. Vocab. υμιν, aliquam tantum partem lectorum huius epistolae significasse, neque pronomen ταυτα ad omnia, quae his litteris docuisset et monuisset, referri voluisse existimatur. Homines ad Christum pridem conversos permulta huius epistolae loca tam perspicue indicant, ut de aliis cogitari omnino nequeat, v. c. c. 2, v. 7. 20. 21. 24. 27. c. 3, v. 2. 5. 11. al. Cfr. *Wunder* comment. utrum I. Io. ep. coetui ex Iudaeis et Iudaeo-Christianis mixto scripta sit, Viteb. 1799. 4.

3) Huic sententiae vulgo probatae egregie addicit, quod testimonia vett. perhibent, Ioannem per magnam annorum seriem in Asia minori vitam degisse. Vd. §. 36. nota 9. Consentiunt item vestigia eorum, quos Ioannes in ep. I. aliquoties notavit, haereticorum, §. 106. nota 5. 6. Ex sententia *Hugii* (Einl. Vol. II. p. 225. sq. ed. II.) *Ephesiis* scripta est epistola. Quum per totam epistolam nihil obveniat, quod ecclesiae *Ephesinae* docendae et admonendae *magis* inserviat, quam aliis coetibus Asiae minoris, nec Ephesii (coll. *Apocal.* 2, 6.) indiguisse videantur ea, quae c. 5. v. 21. exstat, cohortatione; praestat, epistolam habere encyclicam.

4) Ep. nostra *ad Parthos* inscribitur in nonnullis codd. versionis Italae, itemque apud *Augustinum* quaestt. evang. l. 2. quaest. 39. *Cassiodorum* instit. divinarum litt. c. 14. (cfr. complexiones eiusd. ed. Scip. *Maffei* Florent. 1721. 8. p. 118.) *Idacium Clarum* contra Varimadum Arianum, et *Bedam Venerab.* prol. super septem epp. canonn. (vd. *Cave* hist. litt. T. I. p. 280. p. 614.) Ex recentioribus hanc sententiam probaverunt *Grotius* adnotatt. ad I. ep. Io. prolegg. *Paulus* in l. §. 106. nota 6. laud. die drey Lehrbriefe des Johannes u. s. w. p. 81. ff. *Schulthess* neueste theol. Annalen Oktober, 1828. p. 814. ff.

5) Concedimus quidem, fieri potuisse, ut inter Parthos maturе existeret coetus Christianus. *Actt.* 2, 9. Attamen priorum quatuor saeculorum doctores Christiani nec perhibent, epistolam Ioanneam Parthis scriptam esse, nec mentionem faciunt itineris, quo Apostolus *remotiores* illas Asiae regiones adierit.

6) Satis probabiliter epistola I. Io. (encyclica) in uno pluribusve codd. antiquis inscripta esse existimatur: προς τους διασπαρσαμενους. Cuius inscriptionis versio latina: *ad sparsos* facile ansam praebere potuit errori scribendi: *ad spartos* (quod re vera in pluribus apparere latinis codd. nuperrime testatus est G. *Scholz:* biblisch-kritische Reise, Leipzig und Sorau, 1823. 8. p. 66. ff.) unde posthac novum existeret mendum: *ad partos.* Ex his originem duxisse videtur traditio de epistola I. ad Parthos data. Cfr. *Wegscheider* Einleit. in das Ev. Joh. p. 37. *Lücke* in comment. §. 106. nota 2. laud. p. 29. ff. Coniecturam similem, ingeniose quidem defensam, at minus facilem commendavit *Hug* Einl. Vol. II. p. 226. ed. II.

7) Cfr. *Augusti:* die kathol. Briefe neu übersetzt und erklärt, 2. Th. Lemgo, 1808. p. 183. qui epistolam I. evangelii Io. appendicem fuisse existimat. Similis est *Hugii* sententia Einl. Vol. II. p. 225. ed. II. Cfr. *Storr* et *Berger* in libris §. 105. nota 1. laudd. Quanquam Ep. I. c. 1. in. ad doctrinam de λογω (ev. c. 1.) pluribusque locis ad effata Christi in evangelio enarrata respicit, nunquam tamen evangelii mentio facta est in epistola, neque eiusmodi nexu utrumque scriptum alteri cohaeret, qui suadeat, ut epistolam vel praefationem, vel appendicem, vel alteram partem evangelii dicamus. Nec unquam, qui in ecclesia antiquiori indices librorum N. T. canonicorum scripserunt, utrumque alteri coniungi voluerunt. Et, quae cuivis lectori facile apparet, aequalitas sententiarum totiusque dicendi generis (§. 105. nota 7.) unius tantum scriptoris, non eiusdem vitae aetatis indicio inservit.

8) Cfr. *Lange* in comment. §. 105. nota 5. laud. *Eichhorn* Einl. Vol. II. p. 309. ff. *Bertholdt* Einl. Vol. VI. p. 3235. ff. Orationem epistolae dicunt verbosiorem, easdem sententias formulasque dicendi saepius usurpantem, qualis conveniat seni fere decrepito. Ut taceamus, pluribus locis speciem tautologiae, quam inesse putaverint, otiosae evanescere interpretatione sententiarum accuratius instituenda, negari non potest, Ioannem *quovis tempore* lubenter eandem sententiam et adfirmando et negando enuntiasse, neo magnam adhibuisse sermonis varietatem, testante evangelio (§. 41. nota 5.) Quomodo se habeat cum nexu sententiarum huius epistolae §. 106. vidimus. Id unum docet elocutio ep. I. praesertim usus formulae τεκνια (§. 105. nota 3.) scriptorem tum temporis aetate

provectiorem fuisse. — Nolim tamen sententiam eorum, qui epistolam sub finem demum saeculi I. scriptam existimant, *hoc* argumento refutare, quod, Hierosolymas illo tempore nondum eversas fuisse, ex ipso scriptoris silentio recte colligatur. Nexus quippe eorum, quae in hac epistola docentur, minime *postulabat*, ut huius eventi mentio fieret, praesertim, quum *Ethnico-Christianis* potissimum scripta fuerit.

9) Quae Ioannes in *ev.* c. I. de Iesu Christo, λογῳ, ab initio apud Deum versato, posthac natura humana induto, auctore vitae et salutis hominum verissimae, *uberius* docuerat, *ep.* I. in. *brevius* contrahuntur, quemadmodum fieri solet, si quis argumentum alio libro copiosius explicatum retractat, lectoribus capita rei primaria in mentem revocaturus. Quousque progredi liceat in definiendo tempore, quo evangelium Io. fuerit consignatum, §. 42. vidimus.

10) Si Ioannes *Ephesi* fuisse putatur, quum hanc epistolam exararet, sequitur, *aliis tantum* coetibus Asiae minoris (praeter Ephesium) scriptam esse. Sin de alio quodam loco Asiae minoris cogitaverimus, nil prohibet, quo minus, nisi soli Ephesiorum coetui (vd. nota 3.), huic tamen pariter atque aliis finitimis (excepto coetu illius loci, ubi Apostolus tum temporis commoraretur) destinatam fuisse dicamus. Testante *Eusebio* hist. eccl. l. 3. c. 23. Ioannes diversas Asiae minoris regiones itineribus obiit apostolicis. Coniecturae paucis probatae, Ioannem has litteras consignasse, quum in Pathmo insula exul viveret (§. 36. nota 10.), obstare videtur, quod epistola nihil omnino continet, quod eiusmodi conditionem scriptoris externam animique adfectionem hinc oriundam innuat.

§. 108.

Epistola secunda, testante versu primo recte intellecto, neque ad Christianos universe [1]), neque ad coetum [2]) quendam data est, sed ad mulierem Christo addictam, Cyriam [3]), haud dubie in Asia minori versantem [4]), forsitan munere quodam in coetu Chri-

stiano fungentem [5]). Laudata huius mulieris eiusque liberorum persuasione et pietate Christiana, cohortatur eam Apostolus, ut cum suis hunc tramitem rectum strenue persequatur, sibique probe caveat a doctoribus vanis, promittitque sub finem epistolae brevissimae, se hanc mulierem eiusque familiam visitaturum esse. Tertia Caium [6]) quendam, loco incognito Asiae minoris vitam degentem [7]), praemissa praedicatione constantiae, qua ille veritatem divinam sequatur, laudando admonet, ut, quemadmodum hucusque egregie fecerit, porro Christianis auxilio indigentibus liberaliter succurrat; Diotrephen graviter notat, Apostolo obsequium denegantem et humanitatis erga Christianos peregrinantes expertem; Demetrio (cui forsan mandatum fuerat, ut has litteras ad Caium perferret) testimonium honorificum perhibet; tandem mentionem itineris iniicit prope instantis, quo Caium sit aditurus.

1) Haec fuit *Clementis Alex.* sententia in adumbrationibus in aliquot epistolas canonicas proposita (ed. Potter. Opp. Clem. p. 1014. ff.) atque *Hieronymi* ep. 91. ad Ageruchiam.

2) Hoc defendunt *Cassiodorus* in explic. huius ep. inter recentiores (praeter eos, qui apud *Wolfium* in curis philol. et crit. T. V. Basil. 1741. p. 324. ff. laudantur) *Michaëlis* Einl. Vol. II. ed. IV. p. 1564. ff. *Augusti:* die kathol. Briefe u. s. w. T. II. p. 202. ff. — Concedimus, ecclesiam quandam Christ. ex usu loquendi apostolico (*Romm.* 8, 33. *Coloss.* 3, 12. 1. *Petri* 1, 1. al.) recte potuisse ἐκλεκτὴν appellari. Sed rara est ellipsis substantivi ἐκκλησία, nec ullo librorum sacrorum exemplo confirmata. Vocab. κυρία, si praedicatum omissi ἐκκλησία putaveris, nullam admittit interpretationem idoneam, sive coetum intelligi volueris diebus Domino sacris convenientem, sive ab ipso Domino oriundum (Hierosolymitanum.) Denique omnino non patet, quare nomen loci omissum fuerit, si scriptor hunc illumve coetum intelligi voluisset.

Ab indole vero moribusque Apostolorum minime potest alienum existimari, quod Ioannes aetate provectior ad mulierem Christ. litteras dederit privatas, praesertim pietate eximia commendabilem. Et quamvis litterae essent privatae, temporis tamen successu haec epistola brevissima, quam plures veluti appendicem habuerunt epistolae primae (id quod *Irenaei* docet exemplum, locum epist. II. ita laudantis, ut ad I. referri videatur, contra haerr. l. 3. c. 18. ed. Grabe p. 242.) ceteris, quae dicuntur catholicae, adnumerari potuit, praesertim, quum non deessent, qui illud εκλεκτη κυρια de ecclesia interpretarentur. Vd. §. 88. nota 6. ex.

3) Nomen proprium *Cyria* haud inusitatum fuisse docet *Gruteri* corpus inscriptt. p. 1127. Lexicon hagiolog. Lipf. 1719. p. 418. cfr. *Wettstenius* ad h. l. εκλεκτος tanquam praedicatum hominum singulorum leg. *Romm.* 16, 13. *Io.* ep. *II.* v. 13. Iis interpretibus, qui εκλεκτη nomen existimant proprium; *Eclectae dominae*, obstat a) quod hoc nomen parum usitatum fuisse videtur, b) quod Ioannes, si hoc sensu vocab. εκλεκτη adhibitum putaveris, ex usu loquendi scribere debuisset τη κυρια εκλεκτη sive εκλεκτη τη κυρια, quo statim pateret, εκλεκτη h. l. nomen esse proprium. [Facilius apud scriptorem sermoni graeco elegantiori haud adsuetum ferri poterat, quod nomen proprium Κυρια postponebatur.] Qui nomen mulieris plane omissum putant, vbb. εκλεκτη κυρια vertentes: dominae electae (Deo probatae), sententiam defendunt prorsus alienam a consuetudine, quam veteres in epistolis scribendis tenuerunt. Cfr. Iac. *Rambonnet* specimen acad. de secunda epistola Ioannea, Traiecti ad Rhenum, 1818. 8. p. 61—79. qui coniecit, Κυρια nomen fuisse, Ἐκλεκτη praenomen mulieris.

4) Eiusmodi quippe doctores vani v. 7. ss. notantur, quales in ep. I. commemorati fuerant.

5) Ex v. 10. 11. coniicere licet, Cyriam illam inter Christianos illius loci, ubi vitam degeret, auctoritate quadam usam esse, ita ut exemplum, quo ceteris praeiret, haud exigui esset ponderis. — Ceterum, quid *Clementem Alexandrinum* moverit, ut in adumbrationibus (textu quidem latino Cassiodori) secundam Io. ep. ad *virgines* scriptam diceret (vd. Clementis Opp. ed. Potter. fragm. p. 1011.) ignoramus. De subscriptione, quae in codice quodam exhibetur: προς Παρθους ambigunt interpretes, utrum

originem duxerit vel ex sententia pluribus probata de *prima* epistola Parthis scripta (vd. §. 107. nota 4.), vel ex vocabulo παρθενους (scribendi errore facili), an ipsa ansam dederit epistolae nostrae *ad virgines* inscribendae, quum vocabulum παρθους tanquam compendium scripturae pro παρθενους haberetur?

6) Ex iis, qui in libris N. F. hoc nomine veniunt, intelligi h. l. omnino possit ille Derbaeus, *Actt.* 20, 4. De aliis sermo est *Romm*, 16, 23. (I. *Corr.* 1, 14.) *Actt.* 19, 29.

7) Recte sic statuimus, quum Ioannes seriorem vitae partem in his regionibus transegerit, et versus 15. epistolae III. cuivis facile persuadeat, eo loco, ubi Caius ille versaretur, plures fuisse, quibuscum Ioanni familiaritas interior intercederet.

§. 109.

Quanquam hae epistolae scriptis *αντιλεγομενοις* adnumerantur [1]), utraque tamen, praesertim secunda, testimoniorum gravitate haud destituitur [2]). Licetque satis probabiliter explicare, quomodo factum sit, ut saeculis quidem prioribus existerent, qui litteras, vere apostolicas, ab aliis manibus profectas existimarent [3]). Formula *ο πρεσβυτερος* versu 1. epistolae II. et III. usurpata, quae plures recentiorum quoque interpretum movit, ut alium eiusdem nominis virum, presbyterum, auctorem haberent [4]), eiusmodi interpretationem admittit, quae cum sententia vulgari de Apostolo utriusque auctore probe conveniat [5]). Denique universa et sententiarum et elocutionis indoles utramque iubet Apostolo vindicari [6]). De tempore et loco scriptionis nihil compertum habemus, nisi quod probabilitate summa statuamus, tres Ioannis epistolas eidem fere tempori vitae Apostoli tribuendas esse [7]), Ioannemque, quum secundam et tertiam scriberet, Ephesi vitam degisse [8]).

1) *Origenes* auctoritatem II. et III. ep. apostolicam minus certo exploratam habuit, quam primae. Vd. comment. ad Io. in *Orig.* exegeticis ed. *Huëtius* P. II. p. 88. *Dionysius Alexandrinus* Origenis discipulus ad evangelium et *epistolam* Ioannis catholicam tanquam scripta dubitationi de authentia nulli obnoxia provocat, quo probet, consuetudini Ioannis consentaneum fuisse, ut suum ipsius nomen in scriptis omitteret. Et, quanquam eodem consilio secundae quoque et tertiae Ioannis epistolae (φερομενης Ιωαννου) mentionem iniicit, de his tamen ita loquitur, ut pateat, Dionysium de origine earum apostolica non habuisse eandem persuasionem certam, quae ipsi de prima contigisset, quam supra κατ' εξοχην diceret epistolam Ioanneam (*Euseb.* h. e. l. 7. c. 25.) *Eusebius* utramque inter αντιλεγομενα refert hist. eccl. l. 3. c 25. quanquam ipse in demonstrat. evangel. l. 3. p. 120. ed. Colon. 1688. non dubitavit Ioanni Apostolo plures tribuere epistolas, patetque ex *Eusebii* hist. eccl. l. 2. c. 23. ex. has litteras Eusebii aetate ad collectionem integram epistolarum catholicarum pertinuisse. De versione antiquissima Syriaca Peschito recte dubitatur, an epistolam II. et III. habuerit, quum in exemplaribus huius versionis Saec. VI. et seqq. exaratis deessent, quamvis aliae ecclesiae tum temporis auctoritatem earum apostolicam agnoscerent, et *Cosmas* Indicopleustes (Saec. VI.) de mundo l. 7. (in *Gallandi* bibliotheca patrum T. XI. p. 535.) testatus fuerit, apud Syros tres tantum deprehendi epistolas catholicas (Iacobi, I. Petri, I. Io.) Videtur quidem post auctorem versionis Peschito exstitisse, qui ceterarum quoque epistolarum catholl. interpretationem adderet syriacam, cuius usum faceret *Ephräem Syrus* Saec. IV. (ad epistolam II. tanquam apostolicam provocans in Opp. gr. T. I. p. 76. T. III. p. 52.) Attamen huic versioni auctoritas publica, perpetua certe, apud Syros non contigerat. Vd. *Hug* Einl. T. I. p. 329. ff. ed. II. *Hieronymus* opinionem dicit a plerisque traditam, qua epp. II. et III. Ioanni *presbytero* tribuantur, catal. scriptt. eccl. c. 9. c. 18. Ipse vero secundam ep. Apostolo tribuit in ep. 91. ad Ageruchiam, utramque in ep. 53. ad Paulinum de studio scripturarum.

2) Praeter Eusebium, Ephraëmem Syrum, Hieronymum (nota 1.) huc pertinent: *Irenaeus* adv. haerr. l. 1. c. 13. §. 2. l. 3. c. 18. p. 242. ed. Grabe. ubi ep. II. tanquam apostolica usurpatur. *Clemens Alex.* stromm. l. 2. p. 389.

Sylb. qui, cum primam Io. ep. μειζόνα appellet, aperte profitetur, se duas certe epp. agnovisse Ioanneas. Eumque in ep. I. et II. commentatum esse *Cassiodorus* perhibet de inftit. divinarum litt. c. 8. *Aurelium* episcopum Chullabensem, in concilio Carthag. a. 257. locum epistolae II. v. 10. tanquam effatum Ioannis Apostoli attulisse *Cyprianus* testatur Opp. ed. Oberthür. T. II. p. 120. *Canon Muratorius* (Muratori antiqq. Itall. T. III. p. 874.) *duas* commemorat Ioannis epistolas (secunda forsitan pro appendice primae habita, cfr. *Lücke* commentar. laud. Vol. III. p. 248.) *Athanasius* tres agnovit Ioannis epistolas in fragmento epistolae festivae Opp. ed. Colon. Vol. II. p. 38. sq. *Epiphanius* haer. 51. Ioanni plures tribuit epistolas, itemque haer. 34. verba II. ep. v. 10. sq. Ioanni Apostolo vindicat. *Didymus* Alexandrinus tres Io. epp. interpretatus est (vd. *Lücke* quaestiones ac vindiciae Didymianae part. II. Gott. 1829.) *Concilium Carthag.* a. 397. tres Ioannis epp. scripturis N. T. canonicis accensuit. De his aliisque testimoniis cfr. *Rambonnet* specimen §. 108. nota 3. ex. laud. p. 5—40.

3) a) Quum litterae essent privatae, primis temporibus parum divulgatae esse et paucis innotuisse videntur (praesertim extra Asiam minorem.) b) Quod scriptor v. 1. utriusque ep. πρεσβυτερον (non αποστολον) se appellavit, facile ansam praebere potuit origini harum litterarum apostolicae in dubium vocandae.

4) Dubitari non potest, aevo Apostolico praeter Apostolum Ioannem alium *eiusdem nominis*, presbyterum Christianum, exstitisse, qui, teste *Papia*, μαθητης esset του κυριου. *Euseb.* hist. eccl. l. 3. c. 39. Pluresque eorum, qui originem epistolae II. et III. apostolicam inpugnaverunt (vd. *Grotius* adnotatt. in ep. II. prooem. Dan. *Beck* observv. critico-exegett. specimen I. Lips. 1798. 4. *Fritzsche* Bemerkungen über die Briefe Johannis: *Hencke* Museum für Religionswissenschaft u. s. w. 3. B. 1. St. *Bretschneider* probabilia §. 105. nota 5. laudd. *Schulthess* neueste theolog. Annalen October, 1828. p. 807. ff. *Paulus* in l. §. 106. nota 6. laud. die drei Lehrbriefe des Johannes u. s. w. p. 262. ff.) huic presbytero utramque tribuunt.

5) Concedimus, si πρεσβυτερος h. l. de munere ac dignitate *antistitis* coetuum Christianorum intelligatur (*Actt.* 11, 30. 14, 23. 15, 2. 4. 6. 22. al.), difficile dictu esse, quam-

obrem Ioannes in epistolis familiaribus ad homines singulos datis presbyterum se gerere maluerit, quam Apóstolum. Aliter sese habet cum loco I. *Petri* 5, 1. ubi Petrus, oratione ad praesides aliorum coetuum conversa, admoniturus eos de provincia sua recte administranda, συμπρεσβυτερον se appellat. [Quanquam αποστολον se gerere potuisset, auctoritate maiorem presbyteris, maluit tamen, pro humanitate quadam, in eo acquiescere, ut voc. συμπρεσβυτερος innueret, *eandem* certe sibi competere, qua illi utantur, dignitatem.) Sed nihil prohibet, quo minus πρεσβυτερος ep. Io. II. et III. v. 1. significare putemus i. q. *aetate provectior.* Obiiciunt, comparativum πρεσβυτ. hoc sensu positum ubique ita adhiberi, ut ad alium referatur, aliosve, qui opponantur, iuniores (*Luc.* 15, 25. *Actt.* 2, 17. I. *Timoth.* 5, 1. 2. al.) Verum id ipsum nobis volumus (illam vocabuli interpretationem amplexi), Apostolum tum temporis in consuetudine vitae familiaris, inter amicos interioris admissionis, *senem* appellatum esse (ceteris aetate provectiorem.) Vd. *Lücke* comment. laud. Vol. III. p. 255.

6) Parum recte offenderunt nonnulli in loco ep. II. v. 10. 11. Patet quippe ex v. 10. Ioannem id potissimum caveri voluisse, ne forte eiusmodi doctores vani, qui facile in persuasionem moresque aliorum, familiariter cum ipsis versantium, vim admodum noxiam exserere possent, aedibus reciperentur. Quodsi illud μη χαιρειν αυτω λεγετε tamen durius dictum videatur, minime tamen abhorrere putaverim ab indole animi huius Apostoli *fervidioris*, quem facile graviter commoverent, quaecunque persuasioni ac pietati verae Christianae adversarentur (vd. §. 86. nota 5.) — De *nexu* sententiarum, quo v. 6. commati 7. cohaereat, non desperandum esse, plures intt. verissime docuerunt. Cfr. *Rambonnet* specimen nota 2. ex. commemor. p. 175. ss. *Lücke* comment. laud. T. III. p. 275. — Quam Ioannea sit utriusque ep. elocutio, haec potissimum docent: *Ep. II. v.* 2. 9. μενειν εν τινι, (I. Io. 2, 27. 3, 9.) v. 6. αυτη εστιν η εντολη, καθως ηκουσατε απ' αρχης etc. (I. Io. 2, 7.) *v.* 9. εχειν θεον (I. Io. 2, 23.) *v.* 12. ινα η χαρα ημων ῃ πεπληρωμενη (I. Io. 1, 4.) v. 5. 8. 9. Enuntiationes more prorsus Ioanneo coniunguntur, quae eandem sententiam et adfirmando et negando efferunt (cfr. §. 41. nota 5.) *Ep. III. v.* 4. μειζοτεραν τουτων ουκ εχω χαραν, ινα ακουω etc. (Io. ev. 15, 13.) *v.* 11. εκ του θεου ειναι, et εωρακεναι τον θεον (I. Io. 4, 20. 3, 10.) *v.* 12.

και ημεις δε μαρτυρουμεν, και οιδατε etc. (Io. ev. 19, 35.) Oratio verbosior v. 8. et antithesis v. 11. — Ceterum nemo facile, nisi qui auctoritatem haberet apostolicam, scribere potuit, quae ep. II. v. 10. ep. III. v. 10. obveniunt.

7) Verba: εγραψα υμιν, πατερες — εγραψα υμιν, νεανισκοι etc. I. ep. 2, 14. quocunque tandem modo de causa huius repetitionis (vd. v. 13.) iudicaveris, minime possunt ad sententias referri ep. II. pertractatas, quod nonnulli probant, ex l. l. coniicientes, epistolam II. eam, quae in canone nostro locum primum tenet, tempore antecessisse. Nec eiusmodi apparet discrimen elocutionis utriusque epistolae, quo probetur, orationem epistolae II. scriptorem prodere aetate minus provectum. Contra Ioannem sub finem demum vitae suae has litteras exarasse non sequitur ex usu vocab. πρεσβυτερος. Quum Ioannes eiusdem generis doctores pravos ep. I. c. 4, v. 2. 3 ep. II. v. 7. eadem gravitate notandos putaverit, *haud ita longum* temporis spatium scriptionem primae inter et consignationem secundae epistolae intercessisse videtur, etsi fateamur, argumenta certa iis deesse, qui secundam una cum prima lectoribus missam, sive primae velut appendicem additam esse putaverint. Tertiam et secundam eidem tempori tribuimus praeeunte v. 12. ep. II. et v. 14. ep. III. nisi haec effata de itineribus apostolicis plane diversis intelligere malueris. Ceterum, utrum *tertia* v. 9. ad nostram *primam* provocet, an aliam deperditam innuat, dissentiunt interpretes, quum prima non de hospitalitate potissimum, sed de amore Christiano universe praeceperit.

8) Ephesi quippe sedem fixam habere solebat (§. 36. nota 9.) ita ut interdum, ex hac urbe profectus, alias regiones Asiae minoris itineribus (ep. II. v. 12. ep. III. v. 14.) lustraret apostolicis.

Explicationi epistolarum Ioannis praeter eos interpretes, de quibus §. 88. nota 8. dictum est, hi inserviunt: a) *qui omnes tres epistolas tractaverunt:* Mich. *Weber* Uebersetzung der Briefe Joh. nebst einigen Anmerkungen, 1778. 8. *Mori* praelectt. exegett. in tres Io. epp. Lips. 1796. 8. Euchar. *Oertel* die Briefe Johannis hebraismenfrey übersetzt und erklärt, Frankfurt und Leipzig, 1795. *Ziegler* Bemerkungen über einige schwierige Stel-

len und Ausdrükke der Briefe Iohannis: *Gabler* neues theol. Journal, 1799. 7. B. 8. St. *Storr* über den Zweck u. ſ. w. (laud. §. 105. nota 1.) *Fritzſche* Bemerkungen u. ſ. w. (§. 105. nota 5. ex.) *Lange* Commentar u. ſ. w. (§. 105. nota 5. in) *Lücke* Commentar u. ſ. w. (§. 105. nota 5. ex.) quocum cfr. *Winer* und *Engelhard* neues krit. Journal u. ſ. w. 7. B. 1. St. 1827. *Paulus* die drey Lehrbriefe des Johannes u. ſ. w. (§ 106. nota 6.) In his praecipue eminent ſcripta Mori, Storrii, Lückii, Pauli. b) *qui ſingulas earum interpretati ſunt:* G. *Dorſchei* ζητηματα in epp. I. et II. Io. Roſtochii, 1697. 4. *Oporinus* Io. Apoſt. paraeneſis (§. 106. nota 4. laud.) Iſagoge exegetica in I. ep. Io. quam praeſide Io. *Langio* tuebitur Chriſt. *Angelbeck*, Halae, 1712. 4. *Semmleri* paraphr. in I. Io. ep. cum prolegomenis et animadverſſ. Hal. 1792. 8. *Ballenſtedt* Philo und Johannes, Braunſchweig, 1802. 8. (verſionem ep. I. cum obſervatt. continet.) Johannis *erſter* Brief erklärt und angewendet in Predigten von K. *Rickli*, Luzern, 1828. 8. (nebſt exegetiſchem Anhange). *Müller* comment. in *II.* ep. Io. Schleiz. 1783. 4. *Rambonnet* ſpecimen etc. (laud. §. 108. nota 3. ex.) *Heumann* diſſert. exhibens commentarium in Ioannis epiſtolam *tertiam*, Gotting. 1742. 4. Ex his praeſertim Semmler, Rickli, Rambonnet, Heumann conferendi ſunt.

ISAGOGES SPECIALIS

PARS TERTIA.

DE VOLUMINE APOCALYPSEOS.

§. 110.

Quum Chriſtiani vexationibus inter Ethnicos graviter adflicti ſolatio indigerent [1]), et pravi doctores diverſi generis exſtitiſſent [2]), qui perſuaſionem vere Chriſtianam ſollicitarent, moresque corrumperent; au-

ctor apocalypseos consolandis illorum animis muniendisque adversus tentationes acriter instantes ita consuluit, ut serie continua visionum symbolicarum [3]), quas sibi divinitus oblatas fuisse diceret, reditum Iesu Christi sollennem [4]) delinearet, quem ipse mox futurum sperabat, adversarios Christi eiusque sectatorum inpios in aeternum profligaturum et castigaturum, pios vero Dei et Christi cultores et in terra et in coelis remuneraturum. Quae nonnulli prophetarum gentis hebraicae, a tempore inde exilii babylonici, de vindicta divina inprobis imminente, et felicitate hominibus Deo probatis exspectanda visionibus elocuti fuerant [5]), sedulo imitatus est, artificio tamen usus eximio, quo singula omnia ita apparent connexa et apte composita, ut ab initio ad finem usque eidem sententiae primariae inserviant egregie illustrandae. Distinguimus quinque potissimum totius voluminis partes: a) prologum [6]) c. I. v. 1—9. b) visionem breviorem cetera praeparantem [7]), cum septem epistoliis exhortatoriis ad coetus Christianos asiaticos datis, c. I, v. 10— C. III, v. 22. c) seriem visionum continuam, quibus vexationes et aerumnae proborum Dei cultorum depinguntur, παρουσίαν Christi antecessurae, et ipse Christi adventus propius adducitur [8]), C. IV— C. XI. d) aliam visionum seriem, qua, primariis Christi adversariis eorumque moliminibus delineatis, poena de iis sumenda nuntiatur, ipsiusque Christi triumphantis adventus gloriosus, regnum millenarium deinde futurum, novum denique coelum, nova [9]) terra, et Hierosolyma coelestis describitur, C. XII— C. XXII, v. 5. e) epilogum C. XXII, v. 6. usque ad finem [10]).

1) *Iudaeorum* vexationes Christiani in Palaestina exterisque regionibus mature experti sunt, testantibus *Actis* App.

c. 8. in. c. 12. in. pluribusque locis epiſtolarum *Pauli*. Et, quanquam per magnam annorum ſeriem nihil perpeſſi fuerant ab *inperatoribus et magiſtratibus Ethnicorum* (exceptis iis, quae ſub *Claudio* Romae acciderant, *Actt.* 18, 2. cfr. §. 58. nota 3. et 6.), auctore tamen *Nerone* inde ab a. 64. (*Tacitus* Ann. 15, 44. *Sueton.* vita Ner. c. 16. *Lactantius* de mortibus perſecutorum c. 2.) perſequutio Chriſtianorum admodum crudelis *Romae* exſtitit, quae haud inprobabiliter coetus quoque Chriſt. in aliis provinciis inperii Romani verſantes adflixiſſe exiſtimatur (etſi hoc nequeat ex I. *Petri* ep. certo probari §. 97. nota 6.) Deinde, bello Iudaeorum contra Romanos exorto, Chriſtiani eandem, quam Iudaei, ſaevitiem Inperatorum Romanorum ſaepenumero experti ſunt. *Plinius* epp. l. 10. ep. 97. *Sueton.* vita Domitiani c. 13. 15. Vd. *Neander* allgem. Geſchichte der chriſtl. Religion und Kirche 1. B. 1. Abtheilung, Hamburg, 1825. p. 134. ſſ. Eiusmodi vexationum mentio in libro apocal. pluribus locis facta eſt, 6, 10. 7, 14. 13, 7. 16, 6. 17, 6. 18, 24.

2) Vd. quae pluribus locis iſagoges ſpec. praeſertim de ep. Pauli ad *Coloſſ.* ep. ad *Timoth.* epp. *Petri*, *Iudae*, *Ioannis* obſervata ſunt.

3) *Viſiones* exhiberi et ipſa docet rerum narratarum indoles (collata locis ſimilibus prophetarum hebraicorum) et uſus formularum, quibus auctor profitetur, ſe fuiſſe ἐν πνευματι, ſ. πνευματι abreptum, 1, 10. 4, 2. 17, 3. 21, 10. Cfr. quae de viſionibus Petro et Paulo oblatis narrantur *Actt.* c. 10. II. *Corr.* 12, 1. ſſ. Locus, ubi acciderint, quae ſcriptori noſtro apparuerunt, *coelum* fuiſſe dicitur (exceptis paucis, v. c. 1, 9. 10. 17, 3.) Quanquam de rebus *futuris* per ſymbola indicatis ſermo eſt, nemo tamen in eo poteſt offendere, quod forma temporis futuri rarius uſurpetur (13, 8. 20, 7.) ſiquidem viſiones ipſae, quum ſcriptor eas litteris conſignaret, temporis erant praeteriti. Narravit auctor, quae Deo iubente (c. 1. v. 1.) chartae mandaverat, miſitque librum Chriſtianis in Aſia minori verſantibus velut *epiſtolam* longam c. 1, v. 4—9. c. 22. v. 16. 21.

4) Quae Servator ipſe et univerſe de felicitate regni divini exſpectanda, et de reditu ſuo ad iudicium tempore, quod ſoli Deo patri cognitum ſit, futuro (*Matth.* c. 24. 25.

Marc. c. 13. *Luc.* c. 21.) docuerat, Apostolis ceterisque Christianis solamen praebuerunt in rebus adversis praestantissimum. Solebantque in cogitanda hac Domini παρουσια tanquam *propius instante* lubenter acquiescere. §. 51. nota 5.

5) Ea vaticinandi ratio, quae res futuras per *symbola* depingit in visionibus exhibita, olim rarius usurpata, sensim sensimque in consuetudinem abiit, praeeuntibus maxime *Ezechiele*, *Zacharia*, *Daniele*. Cfr. cum pluribus locis Apocalypseos *Ezech.* c. 35. ss. *Zachar.* c. 4. 5. 8. 9. *Dan.* c. 7. 8. 10. 12. An scriptor librum quoque *Henochi* ante oculos habuerit, sub indice lis est, quum interpretes et de tempore, quo liber Henochi litteris consignatus, et de additamentis, quibus seriori aevo locupletatus fuerit, magnopere dissentiant.

6) Testatur scriptor, sibi, Ioanni, quum in insula Pathmos exul versaretur propter testimonium de Christo editum, per angelum Dei revelationes rerum futurarum contigisse, quas ceteris Christianis patefaceret, salutatque oratione sollemni septem coetus asiaticos, ita ut animos eorum ad argumentum totius libri primarium convertat, reditum Christi futurum, maiestatis plenum, de omnibus Christi adversariis vindictam sumturum.

7) Christus ipse auctori in insula Pathmos versanti apparet, forma splendida indutus, quae accuratius describitur, eique mandat, ut praesidibus coetus Ephesini, Smyrnensis, Pergameni, Thyatirii, Sardensis, Philadelpheni, Laodiceni epistolas mittat, quibus singuli partim laudentur propter ea, quae recte fecerint, atque confirmentur, partim de officiis neglectis graviter admoneantur.

8) Ioannes in coelum per spiritum abreptus (C. IV.) Iehovam conspicit, throno splendido insidentem (quem quatuor naturae vivae mirum in modum conformatae, Cherubim, Deum laudibus celebrantes sustinent), stipatumque viginti quatuor ministris, qui et ipsi thronis splendidis insident, et, quoties Cherubim laudes gratiarumque actiones Iehovae persolvunt, coram Deo procidunt cum acclamationibus piis. Ad dextram Dei (C. V.) volumen apparet septem sigillis munitum (i. e. cuius septem folia singula cylindro ita erant circumvoluta, ut singuli cuiusque fini sive margini sigillum esset inpressum), quo libro litteris consignata erant vaticinia rerum futurarum, quae

deinceps oratione prophetico - symbolica pertractantur. Quum nemo ex ceteris coelicolis, interrogante angelo, parem se profiteatur sigillis libri solvendis, agnus prodit septem oculos totidemque cornua habens, cui vestigia caedis cruentae, qua olim mactatus fuerat, etiamnum impressa sunt (Iesus Christus), suscipitque librum aperire, ministris Iehovae coram agno procidentibus, eiusque laudes celebrantibus. Primo quidem sigillo recluso (C. VI.) equus conspicitur albus, cui homo insidet armatus et coronatus, quo symbolo victoria innuitur, quam causa Christi tandem reportatura sit. Similia emblemata, ab equis et equitibus desumta, sigillo secundo, tertio, quarto solutis, aerumnas παρουσιαν Christi antecessuras (bellum, famem, luem) describunt. Rescisso quinto apparent, qui martyrium subierant, vindictam divinam de adversariis Christi sumendam efflagitantes, quibus respondetur, tempus vindictae patienter exspectandum esse. Aperto sexto, portenta in coelis terribilia conspiciuntur, omina vindictae futurae. Priusquam sigillum solvitur septimum, visione duplici declaratur (C. VII.), probis Christi cultoribus divinitus consultum esse, ne forte tempore calamitoso insontes perirent cum sontibus, nec amplius auctam iri multitudinem eorum, qui martyrium subierint. Recluso sigillo septimo (C. VIII.) septem prodeunt angeli tubis instructi, poenarum divinarum ministri, alio quodam genio coelesti inter preces coelicolarum sanctorum sacra faciente Deo. Accingunt sese ad clangendum. Singulis autem *sex* illorum geniorum deinceps graviter clangentibus (C. VIII. IX.) mala diversissimi generis, alterum altero gravius, in coelum, terram, mare irruunt. Differtur classicum tubae septimae. Inseritur quippe nova visio C. X. v. 1 — C. XI. v. 14. quae argumentum duplex tractat. Nuntiatur per genios coelestes a) quum primum tuba clanxerit septima, absque mora consummatum iri, quod Deus decrevisset, b) fore, ut Hierosolymae per 42 menses duro Ethnicorum imperio adfligantur et profanentur, salvis quidem incolis Christo addictis, decima pars urbis corruat, septem millia hominum pereant, ceteri vero Iudaei Hierosolymitt. ad Christum convertantur. Tum septima clangit tuba, vocesque magnae in coelis audiuntur, laudibus illustrantes Christum Deumque omnipotentem, iudicium iustissimum exerciturum, inter fulmina, tonitrua, grandinem, motusque terrae vehementes, C. XI, v. 15. ss. Ipsius vero consummationis iudicii

divini enarratio, quam lectores h. l. exspectant, procrastinatur, rediitque oratio in iis, quae proxime sequuntur, ad eventa in his terris παρουσίαν Christi antecessura.

9) Describuntur C. XII. XIII. adversarii Christi eiusque cultorum primarii. Draco ingens, septem capitibus, decemque cornubus et cauda instructus (*Satanas*) coram muliere luce coelesti splendide collustrata, partus doloribus cruciata (symbolo ecclesiae divinae) apparet, ut, quem editura sit, foetum statim devoret. Sed proles mascula partu edita (symbolum Messiae) ad Deum eiusque thronum aufertur. Satanas eiusque ministri, ab angelo Michaele einsque geniis victi in terram deiiciuntur, resonante coelo vocibus triumphantium. Illa vero mulier, quae Messiam pepererat, eripitur insidiis Satanae in terra perniliem ei paratuti. Unde Satanas iratus pugnam excitat contra veros Christi cultores. Aliud deinde monstrum, potestate Satanae instructum, ex fluctibus surgit marinis, homines multos perversos in admirationem sui abripit, Deum et incolas coeli convitiis proscindit, probosque Dei cultores persequitur (symbolum Imperatorum Romanorum, praesertim Neronis.) Huic monstro alia opitulatur bellua, quae ex terra prodiit, cornubus quidem agno mactato, sed voce draconi similis, prodigiisque edendis permultos homines decipit, iisque persuadet, ut monstro illi simulacrum erigant (symbolum pseudoprophetarum.) Conspicitur iterum agnus (Messias C. XIV.) ad montem Sionem, circumstante innumera eius cultorum multitudine. Audiuntur hymni coelestes. Tres genii coelestes verbis sollennibus plagas nuntiant ultimas, adversariis Christi infligendas. Quo facto per Messiam nubi candidae insidentem, itemque per genium quendam coelestem falx acuta terrae immittitur, messisque peragitur in terra. Alia visione (C. XV.) et septem apparent angeli, septem phialas aureas portantes, quibus plagae ultimae continebantur; et, qui martyrium subierant (imperante Nerone), iustitiam divinam laudibus illustrantes. C. XVI. illae septem phialae in terram effunduntur. Calamitates describuntur singulae ex his proditurae, quarum postrema apparet eversio imperii Romani, Babylonis magnae. De hac eversione, huiusque iudicii divini causis accuratius edocetur apocalypseos auctor et visionibus et sermonibus angelorum C. XVII. XVIII. Audiuntur iterum voces coelicolarum Deum laudantium C. XIX. apparetque Christus, indutus habitu ducis trium-

phantis, comitibus angelis in terram deſcenſurus, ad iudicium exercendum ſeſe accingens. Quae cap. 13. commemoratae fuerant belluae (ſymbola imperii Romani Chriſtianis infeſti et pſeudoprophetarum) fruſtra inſurgunt contra Meſſiam eiusque copias. Detruduntur in lacum igneum ſulphure ardentem, eorumque ſectatores gladio pereunt. C. XX. angelus coelitus profectus Satanam comprehenſum per mille annos vinculis conſtringit in Tartaro. Quicunque Chriſto fidem conſtantiſſimam praebuerant martyrio ſubeundo, in vitam revocantur, per mille annos cum Chriſto in terra regnaturi, vitae aeternae participes facti. Nuntiatur, elapſis mille annis Satanam e cuſtodia dimiſſum multos terrae populos excitaturum eſſe ad oppugnandos homines Deo dilectos, cuius certaminis hic exitus ſit futurus, ut hoſtes illi igne coelitus delapſuro conficiantur, et ipſe Satanas in perpetuum detrudatur in lacum igne ac ſulphure plenum. Nova viſione declaratur futura reſurrectio *omnium mortuorum* coram Deo ſecundum facta iudicandorum. Ipſa mors et Orcus in lacum coniiciuntur igneum. C. XXI. novum apparet coelum, et terra nova, Hieroſolyma quoque nova coelitus deſcendens inter cantica coelicolarum laetiſſima. Enarrantur effata ipſius Dei ſanctiſſima de ſorte feliciſſima probis Dei cultoribus, miſeria perpetua inprobis deſtinata. Ambitus ingens et ſplendor magnificus Hieroſolymae novae, qualis ſcriptori nova viſione patefactus fuerat, amplius deſcribitur usque ad v. 5. Cap. XXII.

10) Declaratur gravitas ſumma horum vaticiniorum et veritas indubitata, eiusmodi potiſſimum effatis proferendis, quae ſcriptor ab ipſo Domino Chriſto acceperat.

§. 111.

Quanquam oratio huius libri nullis eſt metrorum vinculis adſtricta, indolem tamen poëticam veriſſime ei vindicamus, ſive viſiones ipſas conſideraveris egregie lectas et compoſitas ad Phantaſiam altius tollendam, animumque graviter commovendum, ſive ſplendorem inſignem, quo ſingula fuerint deſcribendo exornata. Nolim quidem cum nonnullis recentiorum

interpretum [1]) ad genus carminum referri dramaticum, quum plura habeat, quae ab indole dramatis (si notionem rei accuratam sequaris, qualem scriptores artis poëticae exposuerunt) remotiora videantur [2]), neque probabile sit, auctorem Iudaeo-Christianum, qui paganismum graviter detestaretur, rem scenicam Ethnicorum [3]) quodammodo imitatum esse.

1) *Hartwig* Apologie der Offenbarung Johannis, Chemnitz, 1781—1783. 4, Voll. 8. (huc pertinet Vol. III. p. 281. ff.) *Eichhorn* commentar. in Apocal. Io. 2 Voll. Gott. 1791. prolegg. *Eiusd.* Einl. in das N. T. 2. B. 2. H. p. 334. ff. Die Offenbarung Joh. übersetzt und mit einer vollständigen Erklärung begleitet von L. *Matthaei.* 2. Th. Gött. 1828. Einl.

2) Concedimus, evidentiae singulari, qua res gestae sive gerendae visionibus describantur, inprimisque personae loquentes et agentes exhibeantur, aliquid inesse simile iis, quae in dramatibus obveniant. Attamen permulta loca ubi auctor ipse veluti in scenam prodiit, ita ut diceret, hoc illudve *sibi* vel oratione indicatum vel actu symbolico monstratum esse, multo propius accedunt ad indolem carminis *epici.* Neque continuus est dialogi usus, qualem natura dramatis efflagitat.

3) Rei Graecorum scenicae non ignari quidem fuerunt tum temporis Iudaei Palaestinenses. Cfr. *Eichhorn* de re scenica Iudaeorum in commentatt. recentt. societatis regiae scientiarum Gotting. Vol. II. Sed aeque constat, Iudaeis Graecorum artes vulgo invisas fuisse.

§. 112.

Quaecunque scriptor de rebus παρουσίαν Christi antecessuris atque de ipso Servatoris adventu ad iudicium futuro exposuit, haud dubie tanquam eventa nuntiavit, quae ex ipsius persuasione haud ita longo temporum intervallo ab aetate apostolica remota es-

ſent futura [1]). Patet vero etiam ex iis, quae a Capite inde XX. de regno millenario, et creatione novi coeli novaeque terrae poſthac futura dicuntur, auctorem minime in iis acquieviſſe, quae ipſe putaret propius inſtare, ſed etiam conſummationem regni divini in his terris per ingentem ſaeculorum ſeriem futuram (victoriam religionis et eccleſiae Chriſtianae tandem de adverſariis omnibus reportandam) animo eſſe complexum. Quodſi prae ceteris huic cogitationi egregiae animum adverterimus, atque hiſtoriam propagationis evangelii a primis inde temporibus ad hunc usque diem factae conſuluerimus; profecto, quamvis largiamur, ideam illam ſublimem eamque veriſſimam in mente huius ſcriptoris adnexam fuiſſe cogitationi adventus Ieſu Chriſti viſibilis ab aevo apoſtolico parum remoti, et regni millenarii in his terris exſtruendi [2]), negare tamen non poſſumus, argumentum apocalypſeos primarium et hucusque eventu comprobatum eſſe et etiamnum comprobari per fata eccleſiae Chriſtianae.

1) Pluribus locis aerumnae et vexationes, quae ante παρουσιαν Chriſti futurae dicuntur, ad certam referantur eamque exiguam annorum ſeriem, c. 11, v. 2. 3. c. 12, v. 6. 14. c. 13, v. 5. (cfr. *Daniel* c. 7, v. 25. c. 12, v. 7.) Perſequutiones hominum Deo probatorum cruentae επι μικρον χρονον dicuntur duraturae c. 6, v. 11. Satanas ad terram detruſus επι ολιγον καιρον habere dic. quo potentiam ſuam exſerat, c. 12, v. 12. Deſcribuntur (v. c. c. 16. ſqq.) eiusmodi hoſtes Chriſtianorum, vindictam divinam ſubituri, quales *illo tempore* iam prodierant. Chriſtus ipſe ταχυ dic. venturus c. 22, v. 6. 7. Et in prooemio c. 1. v. 3. de rebus hoc libro nuntiatis univerſe adfirmatur: ο γαρ καιρος εγγυς. Neque huius rei ſatis memores fuerunt, nec indolem totius libri haud pauca continentis, quae exornationi tantum inſerviunt (in quibus plura obveniunt ex imitatione prophetarum quorundam oriunda vd. §. 110. nota 5.) probe tenuerunt, qui ex vi-

sionibus, symbolis, nominibus, numeris singulis modo haec modo illa *eventa certa*, *ab aevo apostolico saeculis multis remota*, nostra aetate vel (historia teste) praeterita, vel adhuc exspectanda (fata et facta singula principum, episcoporum Romanorum, ecclesiae, civitatum) eruere conati sunt, haud raro Phantasiae lusibus mire decepti. Cfr. v. e. *Typke* welche Zeit ist es im Reiche Gottes? aus der Offenbarung Johannis beantwortet, Görlitz, 1799. *Gercken* Beweis des göttlichen Ursprunges der Offenbarung Joh. Altona, 1814. G. *Opitz* kurze Uebersicht der Offenbarung Joh. Leipz. 1816. Nonnulli quidem huius generis interpretes in eo acquieverunt, ut, haud exiguo ingenii acumine et eruditione instructi (quanquam indole ipsius libri parum addicente), praecipua religionis Christianae fata singula (inde ab abitu Christi de terris ad finem usque saeculorum) ab auctore huius libri adumbrata ostenderent. *Oporin* Jesus in der Kirche bis an das Ende der Welt, gezeigt aus dem Büchlein der Offenbarung Johannis, Hannover und Leipzig, 1753. A. *Bengel* erklärte Offenbarung Johannis vor Augen gelegt, Stuttgart, 1758. *Roos* Prüfung der gegenwärtigen Zeit nach der Offenb. Joh. Tübingen, 1786. *Jung* Siegsgeschichte der christlichen Religion, Nürnberg, 1799. Similem sententiam V. *Steudel* commendavit: über die richtige Auffassungsweise der Apocalypse (*Bengel* Archiv für die Theologie 8. B. 2. St. p. 285. ss.), quanquam in eo acquiescit, ut *primarias* tantum fatorum ecclesiae Christ. vicissitudines hoc libro adumbratas existimet, negatque, certa temporum spatia, quibus vicissitudines illae contineantur, apocalypseos ope computari posse. — Ad παρουσιαν Christi prope instantem Christianis solatio indigentibus nuntiatam, eiusque praeparationem, tanquam argumentum primarium, interpretationem apocalypseos referri maluerunt *Heinrichs*: N. T. graece perpet. adnot. illustratum ed. Koppianae Vol. X. partic. I. II. contin. Heinrichs, Gott. 1819. 1821. prolegg. p. 63. ss. *Ewald* commentarius in apocal. Io. exegeticus et criticus, Lips. 1828. prolegg. *De Wette* Einl. p. 347. ss. alii.

2) Ex *Eichhornii* quidem sententia (cfr. libri §. 111. nota 1. laud.) auctor apocalypseos et Hierosolymam et Romam symbolo tantum et Iudaismi et Paganismi, itemque Hierosolymam coelitus descendentem imagini felicitatis sum-

mae proborum Dei et Christi cultorum inservire voluit, ut ideam victoriae, quam res Christiana tandem de Iudaismo et Paganismo reportatura esset, salutisque aeternae in regno divino futurae veluti oculis depingeret. Ante Eichhornium idem innuerant *Herrenschneider* tentamen apocalypseos a Cap. IV. ad finem illustrandae, Argentorati, 1786. 4. *Iohannsen* die Offenbarung Johannis u. s. w. Flensburg, 1788. 8. Posthac eundem tramitem inierunt G. *Lange* die Schriften Johannis übersetzt und erklärt, 1. Th. Neustrelitz, 1795. *Hagen* Sieg des Christenthums über Juden- und Heydenthum, Erlangen, 1796. *Lindemann* Johannis Offenb. übersetzt und mit Commentar versehen, Hannover, 1816. *Matthaei* in l. §. 111. nota 1. laud. Quanquam his interpretibus in agnoscenda cogitatione libri primaria (religionis Christianae triumphantis suosque cultores in aeternum beaturae) lubentissime adsentimur, oratio tamen scriptoris nostri (comparata essatis prophetarum Iudaicorum, nomina populorum, terrarum, urbium, quibus poenam divinam nuntiabant, non symbolice sed proprie dicta intelligentibus) prohibere videtur, quo minus *mere symbolica* existimemus, quae de excidio Hierosolymae et Romae propius instante dicuntur; itemque, quae sub finem de regno Messiae terrestri millenario legimus, cum exspectationibus Iudaeorum illius aevi tantopere conveniunt, ut certe difficilis sit demonstratio, hanc regni millen. descriptionem *ex mente ipsius scriptoris meram* fuisse *imaginem* propagationis evangelii aliquando per totum terrarum orbem futurae. De vindicta divina Hierosolymis gentique Iudaicae instante C. XI. sermo est, nec dubitamus, scriptorem non tantum de quadam urbis ac templi profanatione per Ethnicos futura, sed etiam de excidio Hierosolymarum (ab ipso Servatore pluribus locis, praesertim *Luc.* ev. 19, 42. ss. nuntiato) cogitasse, eaque de causa v. 11. Hierosolymam cum Sodoma et Gomorrha comparavisse. Cfr. quae Ewaldo recte opposuit *Lücke:* theol. Studien und Kritiken, herausg. von *Ullmann* und *Umbreit*, 2. B. 2. H. 1829. p. 307. ss. Nolim tamen ad partes accedere eorum (cfr. *Harenberg* Erklärung der Offenb. Joh. Braunschweig, 1759. 4. *Hartwig* in l. §. 111. nota 1. laud. *Herder* Maranatha, das Buch von der Zukunft des Herrn, Riga, 1779. 8.) qui comminationem poenae genti Iudaicae instantis argumentum libri habent vel unicum vel primarium. Etenim de *Roma* quoque evertenda et pa-

ganismo superando scriptorem C. XVI—XIX. vaticinatum esse plures interprett. (praesertim Ewald comment. nota 1. ex. laud.) verissime docuerunt.

§. 113.

Sententia recentius defensa, librum apocalypseos ab auctoribus diversis consignatum esse [1]), argumentis idoneis defendi non potuit. Singulae quippe partes apocalypseos eo nexu interiori cohaerent, atque ita ad se invicem referuntur [2]), ac toto dicendi genere conveniunt [3]), ut eundem prodant auctorem. Facilius admittere liceat coniecturam, qua idem scriptor partem apocalypseos posteriorem seriori demum tempore, propter externam rerum civilium conditionem quodammodo immutatam, elaborasse existimatur [4]). Quanquam non deest alia ratio probabilis, oeconomiam nexumque nonnullarum huius libri sectionum interpretandi [5]).

1) Vd. *Grotius* comment. ad Apocal. 1, 9. 15, 1. *Hammondi* N. T. prolegg. ad Apocal. p. 435. *Vogel* comment. de apocal. Io. septem particc. Erlangae, 1811—1816. 4. *Bertholdt* Einl. Vol. IV. p. 1902. ff. Ex sententia V. Vogelii *Apostolus* quidem *Ioannes* partim, quae C. IV, v. 1. usque ad C. XI. v. 19. leguntur (vaticinium eversionis Hierosolymarum ante persecutionem Christianorum Neronianam scriptum), partim, quae C. I. v. 9. usque ad C. III. finem exhibentur (seriori quidem tempore elaborata, ratione nulla illius vaticinii prius editi habita) litteris consignavit; *presbyter* vero eiusdem nominis sub imperio Galbae illius apocal. partis, quae a Cap. XII. usque ad C. XXII. v. 20. pertinet (vaticinii contra paganismum editi) auctor exstitit, Apostoli vaticinium (C. IV—XI, v. 19.) imitatus, idemque, quum haec scripta diversa (adsentiente forsan apostolo) per presbyterum colligerentur, et prooemium addidit C. I. v. 1—8. et nonnulla, quae C. XI. v. 19. C. XXII. v. 21. leguntur.

2) a) quae C. IV — C. XI. ex. obveniunt, *praeparandis* inserviunt iis, quae sequuntur. Neque sub finem C. XI. clausula apparet, neque initium Cap. IV. (μετα ταυτα ειδον etc.) ita se habet, ut scriptio nova inchoare videatur, immo ad c. I. v. 10. manifesto respicit. b) C. XII — XXII. plura leguntur, quae ad effata singula sectionum huius libri antecedentium referantur, v. c. C. XIII. coll. c. 11, v. 7. C. XIV, v. 1. ff. coll. c. 7, v. 4. C. XIV, v. 3. coll. c. 4, 4. 6. C. XV, v. 2. coll. c. 4, v. 6. C. XIX, v. 15. coll. c. 1, 16. C. XXII, v. 16. coll. c. 1, 11. ff. Ipsumque initium Cap. XII. prorsus obscurum apparet et praefractum, si h. l. librum novum incipere putaveris. c) quod de regno Messiano in his terris per mille annos futuro in postremis tantum apocal. capitibus sermo est, minime prodit scriptorem ab eo diversum, qui partes libri priores litteris consignaverat. Totius libri oeconomia secum ferebat, ut, quae *post* παρουσιαν Christi eventura essent, sub finem demum apparerent. Ad reditum vero Iesu Christi visibilem eumque propius instantem profecto etiam pertinent, quae visionibus et vaticiniis sectionum priorum continentur.

3) Doceri non potest, quae c. II. et III. ab indole sermonis graeci accurati deflectant, minoris esse momenti, quam alia multa eiusdem generis loca in ceteris sectionibus obvia; neque, C. IV — C. XI. ex. minorem apparere imaginum audaciam, quam in seqq. (cfr. c. 6, v. 12. ff. c. 8, v. 7. ff.) — Imitationis, qua auctor Capp. XII. et seqq. usque ad C. XXII. ex. vestigia illius, qui Capp. IV. seqq. usque ad C. XI. ex. consignaverat, premere voluerit, indicia, quae V. Vogel pluribus locis inesse docuit (v. c. C. XVI. coll. c. 8, v. 7. ff.), minime iubent de scriptoribus cogitari diversis, dummodo perpenderimus, fieri utique potuisse, ut auctor totius apocalypseos, quae prius scripsisset, iterum ante oculos haberet, neque exempla huius rei deesse apud prophetas antiquiores (vd. *Daniel.* c. VII. coll. c. II.) Cfr. quae de Vogelii sententia acute disseruit *Bleek* Beitrag zur Kritik und Deutung der Offenbarung Iohannis: theolog. Zeitschrift herausgeg. von Schleiermacher, de Wette und Lücke, 2. H. Berlin, 1820. p. 298. ff.

4) *Bleekius* quippe (in comment. laud.) consentiente *de Wette* Einl. p. 351. coniicit, auctorem apocalypseos, quum partem priorem C. I — C. XI. ex. ante eversionem Hiero-

ſolymae tempore perſecutionis Neronianae ſcripſiſſet, eique poſt v. 19. Cap. XI. clauſulam totius voluminis adiecisſet, ſeriori aevo, *poſt excidium Hieroſolymae* (quod eventurum eſſe ipſe tum temporis nondum exſpectaverat) neceſſarium duxiſſe, ut, deleta clauſula illa, novam adderet apocalypſeos partem (C. XII. ſeqq.), *paganiſmo Romano*, cuius ſaevitiem Chriſtiani magis, quam olim, experirentur, interitum nuntiantem.

5) a) Exſpectabatur omnino poſt v. 19. Cap. XI. ut deſcriptio calamitatum ultimarum, quae ipſam Servatoris παρουσιαν anteceſſurae eſſent, ad finem perduceretur. Sed haec differuntur ad Caput usque XV. et ſeqq. apparetque C. XII. XIII. eiusmodi viſio, quae animos lectorum ad tempora antiquiora (natalia Chriſti) convertat, hoſtesque Meſſiae primarios depingat (cfr. argumenti deſcriptio §. 110. nota 8. 9.) Concedimus, his contineri epiſodium, ipſiusque actionis progreſſum tardari. Attamen conſilium apocalypſeos primarium utique poſtulabat, ut de iis etiam, quae et ipſi Meſſiae, et eccleſiae Chriſti ſtatim ab initio acriter repugnaſſent, uberius exponeretur, quo rectius intelligerentur, quae ſcriptor poſthac C. XIX. XX. de poena et interitu his adverſariis inſtante prolaturus eſſet. Noluerat vero ſcriptor deſcriptionem illam a fronte ponere apocalypſeos (c. IV.) Maluit lectores, more poetarum, in mediam rem rapere. Eiusmodi epiſodia omnino ad oeconomiam pertinuiſſe ſcriptori ſtatim ab initio propoſitam viſio docet Cap. VII. inter ea, quae C. VI. v. 12. ſſ. de ſigillo ſexto, et C. VIII. in. de ſigillo ſeptimo aperto dicuntur, interpoſita. b) ea effata, ex quibus V. Bleek colligit, quae C. XII. ſſ. contineantur, ſub imperio Veſpaſiani ſcripta eſſe, interpretationi certe diverſae ſunt obnoxia. c) parti priori apocalypſeos plura ineſſe videmus, quae ad res geſtas in parte poſteriori exhibitas ita alludant, ut indicio haud obſcuro inſerviant unius eiusdemque oeconomiae totius apocalypſeos. Praeter loca plura nota 2. laudd. cfr. C. II. v. 11. coll. c. 20, 6. 14. 21, 8. C. III, v. 12. coll. c. 21, 2. 10. 19, 12. 16. C. II, v. 7. coll. c. 22, v. 2. 14. 19. C. III, v. 5. coll. c. 20, 12. 15. d) vix putaverim excidium Hieroſolymarum, pridem a Chriſto nuntiatum, *praeter exſpectationem* huius ſcriptoris eveniſſe. Cfr. quae de Bleekii ſententia diſſeruerunt *Ewald* comment. §. 112. nota 1. ex. laud. prolegg. p. 32. ſq. p. 52. ſq. comment. p. 207. p. 211. ſſ. et *Lücke* comment. §. 112. nota 2. laud. p. 310. ſq.

§. 114.

De vero autem totius voluminis auctore et antiquiori aevo et recentius in utramque partem diſputatum eſt. Etenim, quae ſcriptor C. I. v. 1. 4. 9. C. XXII. v. 8. de ſemet ipſo profeſſus eſt, lectori facile perſuadent, voluiſſe illum Ioannem haberi Apoſtolum [1]). Prodieruntque a ſaeculo inde II. in regionibus diverſiſſimis haud pauci, qui ſuam de origine libri apoſtolica perſuaſionem palam profiterentur atque defenderent [2]). In his etiam fuerunt adverſarii illius Chiliaſmi, cuius defenſores a ſaeculo inde ſecundo medio lubenter ad effata apocalypſeos provocabant.

1) Cum iis, quae ſcriptores vett. de vita Ioannis Apoſtoli perhibuerunt (§. 36. nota 9. 10.) probe convenit, quod auctor apocal. ſeptem coetibus Chriſtianis *aſiaticis* ſalutem dicit c. 1. v. 4. (cfr. v. 11. ſſ. et c. 2. c. 3.), itemque, quod ſibi, *δια την μαρτυριαν Ιησου χριστου εν τη νησω τη καλουμενη Πατμω* verſanti, viſiones oblatas eſſe teſtatur v. 9. Doceri non poteſt, *quaecunque* veteres de exſilio Apoſtoli in Pathmum inſulam legati narraverint, ex *hoc uno* apocalypſeos effato ab iis, qui ſemel Apoſtolum libri auctorem agnoviſſent, derivata eſſe. *Euſebius* certe, qui et ipſe hiſtoriam de illo Apoſtoli exſilio veram agnovit (hiſt. eccl. l. 3. c. 18. 20. 23.), non plane compertum habebat, Ioannem Apoſtolum apocalypſeos fuiſſe auctorem, hiſt. eccl. l. 3. c. 24. c. 39. — Quaeri etiam recte poteſt, debueritne ſcriptor, quum nomen Ιωαννης ſibi vindicaſſet, ſi *nollet* Apoſtolus videri, obſervatione quadam addenda ſedulo cavere, ne pro apoſtolo haberetur? — Ceterum ex hac ipſa nominis profeſſione (aliena quidem a conſuetudine evangelii et epiſtolarum Ioannis) nihil ſequitur, quod origini libri apoſtolicae recte opponatur. Poterat quippe Apoſtolus, *hunc* librum conſignaturus, a conſuetudine ſua propterea deflectere, quod prophetas Hebraeorum ante oculos habuit, qui, vaticinia ſibi demandata prolaturi, nominis ſui profeſſionem nunquam omitterent.

2) An *Papias* S. II. in. apocalypsin Apostolo vindicaverit (quod Saec. V. aut VI. *Andreas* Caesareae in Cappadocia episcopus, auctor graeci in apoc. commentarii quem F. *Sylburg* ed. Basil. 1596. asseruit in prol. ad apocal.), sub iudice lis est, quum *Eusebius* hist. eccl. l. 3. c. 39. huius testimonii mentionem fecerit nullam, immo παράδοσιν ἄγραφον originem dixerit eorum, quae Papias de regno terrestri millenario sperasset. — *Iustinus* vero *Martyr* auctoritatem apocal. *apostolicam* usurpavit dial. cum Tryph. p. 308. ed Colon. In dubium quidem nuperrime vocata est authentia eorum Iustini verborum, quae nervum probandi continent: εἷς των αποστολων του χριστου. Cfr. Mich. *Rettig* das erweislich älteste Zeugniss für die Aechtheit der Apocalypse geprüft, Leipzig, 1829. 8. qui Vir Doctiss. coniecit, hominem quendam Christianum, qui ipse apocalypsin Apostolo vindicaret, post obitum Iustini verba laudata, tanquam interpretationem, margini adscripsisse, quo lectores doceret, Iustinum sub Ioanne commemorato *Apostolum* intelligi voluisse. Quantum equidem video, cetera totius loci verba nihil continent, quod probet, Iustinum h. l. non potuisse de Apostolo cogitare. Etenim, quod verba *praecedentia* attinet: παρ' ημιν ανηρ τις, ῷ ονομα Ιωαννης, illud quidem παρ' ημιν nullam habet difficultatem. Quum Iustinus hucusque partim ad prophetas Hebraeorum provocasset exspectationem regni millenarii comprobaturus, partim, mille annos coram Deo velut unum apparere diem, ex locis Genes. 2, 17. 5, 5. ostendisset, iam vero in eo esset, ut testimonio ex scriptis *novi foederis* desumto uteretur, recte dicebat: apud nos quoque, Christianos, praeco (propheta) exstitit regni millenarii. Formula autem ανηρ τις, ω ονομα Ιωαννης, quanquam Iustinus de Apostolo Io. satis superque cognito loquebatur, usurpari tamen propterea recte poterat, quod Iustino haec scribenti in mentem venerat sermonis simillimi, quo Apostolus ipse Ioannes *evang.* c. 1. v. 6. *de baptista* usus fuerat: εγενετο ανθρωπος απεσταλμενος παρα θεου, ονομα αυτω Ιωαννης. Orationi suae lubenter inseruit effata, quae in evangeliis aliisve libris N. F. legerat (ita quidem, ut minime verba premeret singula), quod exemplis multis probavit *Gratz:* krit. Untersuchung über Justin apostolische Denkwürdigkeiten, Stuttgart, 1814. Quae deinde, argumento ex apocalypsi (c. 20.) prolato, apud Iustinum *sequuntur:* παρα γαρ ημιν και μεχρι νυν προφητικα χαρισματα εστιν, non magis,

quam ſuperiora, demonſtrant, Iuſtinum non potuiſſe de Ioanne loqui *Apoſtolo*, quippe qui non amplius in vita eſſet ſuperſtes, quum hic dialogus cum Tryphone ſcriberetur. Licet enim haec verba absque omni duritie ita interpretari, ut non tantum ad prophetas Chriſtianos tempore Iuſtini viventes pertineant, ſed etiam complectantur, quae olim ab ipſis apoſtolis enuntiata fuerint προφητικα. Adfirmat Iuſtinus contra Tryphonem aliosque Iudaeos (ne donum vaticinandi ſolis Hebraeis contigiſſe exiſtiment), in coetu quoque Chriſtiano viguiſſe et adhuc vigere donum propheticum. Cfr. verba ſequentia: εξ ὃυ και αυτοι συνιεναι οφειλετε, οτι τα παλαι εν τω γενει υμων οντα εις ημάς μετετεϑη. Argumenta externa coniecturae Rettigii minime favere, ipſe conceſſit p. 12. ſiquidem verba εις των αποστολων του χριστου et in noſtris Iuſtini codd. leguntur, et in antiquiſſimis apparuerunt (*Euſeb.* h. e. 4, 18.) idemque docuit p. 13. ſq. totam hanc dicendi rationem εις των απ. etc. elocutioni huius ſcriptoris prorſus eſſe accommodatam. — [An *Melito*, epiſcopus Sardius S. II. in libro, quem ſcripſerat περι του διαβολου και της αποκαλυψεως Ιωαννου *Euſeb.* h. e. 4, 26. Ioanni *Apoſtolo* apocalypſin vindicaverit, non plane compertum habemus.] Alii teſtes Saeculi II.: *Irenaeus* (earum potiſſimum rerum, quae ad Aſiam minorem pertinuerunt, bene gnarus) adv. haerr. l. 4. c. 20. l. 5. c. 26. in. c. 30. traditionem ſequutus hunc librum Apoſtolo tribuit. Negari quidem non poteſt, in iis, quae Iren. de Ioanne dixerit, veris falſa eſſe admixta. Cfr. *Ewald* in comment. laud. p. 57. ſq. *Theophilus Antioch.* apud *Euſeb.* h. e. 4, 24. qui pariter atque *Apollonius* presbyter Epheſ. (idemque adverſarius Montaniſtarum, qui Chiliaſmum ſuum ex apocal. defendebant) teſtante *Euſebio* h. e. 5, 18. ex. effata huius libri tanquam apoſtolici uſurpavit. *Clemens Alexandr.* idem fecit ſtromm. l. 6. p. 667. paedag. l. 2. c. 10. p. 201. l. 2. c. 12. p. 207. ed. Sylb. *Tertullianus* contra Marc. l. 4. c. 5. ad traditionem vetuſtam provocat, apocalypſin Apoſtolo vindicantem. Cfr. contra Marc. l. 3. c. 14. de pudicitia c. 19. praeſcriptt. adverſus haerett. c. 46. *Epiſtola eccleſiae Viennenſis* ad coetus aſiaticos data apud *Euſeb.* h. e. 5, 1. Teſtes Saeculi III.: *Hippolytus* Arabiae epiſcopus in l. de Chriſto et Antichriſto §. 36. Idem defenſionem originis Apocal. apoſtolicae ſingulari libro ſuſcepiſſe narratur *Hieron.* catal. ſcriptt. eccl. ſub v. Hippolytus. *Origenes*, adverſa-

rius Chiliasmi acerrimus, comment. ad Matth. et Io. vd. Orig. exegetica ed. *Huëtius* T. I. p. 417. T. II. p. 88. et al. *Methodius*, Cyri episcopus, in comment. in apocal. vd. *Andreae* comment. in apocal. c. 13. 33. 36., *Cyprianus* epist. 56. ad Thibarit. ep. 63. ad Caecil. al., *Canon Muratorius* (antiquitt. Itall. medii aevi T. III. p. 854.) Saec. IV, *Hieronymus* ep. ad Dardanum Opp. T. III. p. 46. Francof. 1684. permultos testatur in ecclesia occidentali apocalypsin habuisse apostolicam, quam sententiam ipse probat, cfr. catal. scriptt. eccl. sub v. Ioannes. Decreta concilii *Hipponensis* a. 393. *Carthagin.* a. 397. posthac *Toled.* a. 633. apocalypsin libris canonicis adscripserunt, *solebatque* a saeculo inde VII. ubivis locorum apostolica haberi.

§. 115.

Testimoniis externis pro origine apocalypseos apostolica pugnantibus, praeterquam quod Ignatius huius libri mentionem nunquam iniecit [1]), Marcionitae usum eius nullum fecerunt [2]), Alogi Cerinthum Gnosticum auctorem habuerunt [3]), haec opponuntur: a) Caius, presbyter Romanus, Chiliasmi Montanistarum adversarius, Saec. III. apocalypsin Cerintho tribuit [4]), aliis posthac eandem sententiam [5]) probantibus (cui omnino repugnant [6]), quae de Cerinthi placitis innotuerunt), b) Dionysius Alexandrinus, (Saec. III.) Chiliasmo inimicus, argumentis internis praeeuntibus, Ioannem, qui apocalypsin consignaret, negavit fuisse apostolum [7]), c) Eusebius Saec. IV. testatus est, non deesse, qui hunc librum inter *αντιλεγομενα* referant (quanquam ex sententia multorum ad *ομολογουμενα* pertineat) et ipse dubius haesisse videtur, utrum apocalypsin apostolo, an presbytero Ioanni vindicaret [8]), d) versio Syriaca antiquissima Peschito hunc librum non recepit [9]), e) neque decreta concilii Laodiceni Saec. IV. [10]) neque canones Cyrilli

Hieroſolymitani et Gregorii Nazianzeni auctoritatem ei tribuerunt canonicam. Quodſi haec ab utraque parte propoſita examinaverimus, praevalere quidem videtur eorum auctoritas, qui Ioannem Apoſtolum auctorem agnoverunt [11]). Attamen facile patet, teſtimonia utriusque partis externa non ſufficere, ut res ad liquidum perducatur. Id unum conſtat, originem apocalypſeos veriſſime vindicari tempori apoſtolico [12]).

1) Plures quippe exiſtimant, Ignatium, ſi apocalypſin apoſtolicam habuiſſet, in epiſtolis ad Epheſios, Smyrnenſes, Philadelphenos datis non potuiſſe ſilentio omittere laudes, quae coetibus illis tribuerentur apocal. c. 2 3. Sed quaeritur, utrum Ignatius Ioannem Apoſtolum auctorem habere noluerit, an apocalypſin (forſitan eo tempore, quo epiſtolae Ignatii ſcriberentur, in Syria nondum divulgatam) omnino non cognoverit. Vd. *Bertholdt* Einl. Vol. IV. p. 1823. ſſ.

2) Vd. *Tertull.* contra Marc. l. 4. c. 5. Authentiam libri inpugnaſſe non leguntur. Quod huic libro pariter atque aliis pluribus ſcriptis N. F. auctoritatem normativam denegaverint, neminem poteſt mirum habere. Cfr. §. 8. nota 1.

3) Vd. *Epiphan.* haer. LI. ſub finem. Quod Alogi, Epiphan. teſtante, ex loco apocal. c. 2. v. 18. ſſ. (ubi epiſtola legitur coetui Chriſtiano *Thyatirio* ſcripta) authentiae libri opponunt, in hac urbe nullum omnino eſſe coetum Chriſtianum, nullius eſt ponderis. Satis probabiliter, etſi tempore Alogorum nulla amplius exiſteret eccleſia Thyatirorum, olim tamen aevo apoſtolico eiusmodi coetus (exiguus forſan) exſtitiſſe putatur. Cfr. quae de Lydia Thyatiria ad Chriſtum converſa in *Actis App.* 16, 14. ſq. leguntur. Vd. *Bertholdt* Einl. Vol. IV. p. 1841. ſſ. Deinde, ſi negetur, unquam fuiſſe eccleſiam Thyatiriam, eadem difficultas apparet, ſive Apoſtolum ſive alium quendam apocalypſeos auctorem exiſtimaveris. Ceterum de Alogis, evangelium quoque Ioanneum Cerintho tribuentibus §. 37. nota 1. diximus. Cfr. inſuper *Koerner* diſſert. de auctoritate canonica apocalypſeos Io. ab Alogis inpugnata, Lipſ. 1751. 4.

4) Vd. *Euseb.* hist. eccl. l. 3. c. 28.

5) Cfr. *Theodoretus* (S. V.) fabull. haerett. l. 2. c. 3. *Gregorius Barhebraeus* (*Assemanni* bibliotheca orient. T. III. P. I. p. 15.) Ex recentioribus: *Oeder* christlich-freie Untersuchung über die sogenannte Offenbarung Johannis, mit Anmerkungen von *Semmler*, Halle, 1769. 8. *Stroth* freimüthige Untersuchungen die Offenbarung Joh. betreffend, Leipzig, 1771. *Semmler* neue Untersuchung über die Apokalypse, Halle, 1776. 8. Nec alienus fuit ab hac sententia Mich. *Merkel* historisch-kritische Aufklärung der Streitigkeiten der Aloger und anderer alten Lehrer über die Apocalypse, Frankfurth und Leipzig, 1782. *Idem:* umständlicher Beweis, daſs die Apocal. ein untergeschobenes Buch sey, Frankfurt und Leipzig, 1785.

6) Quanquam Cerintho, quatenus Chiliasmo indulsit, apocalypsis tribui possit, de eodem tamen constat, eum et Numen Supremum a creatore, mundi demiurgo more Gnosticorum, et Iesum a Christo (§. 40. nota 7.) distingui voluisse. Ab utraque sententia auctor apocalypseos prorsus alienus fuit. Cfr. v. c. de Deo creatore c. 4, v. 11. c. 10, v. 6. c. 14, v. 7. de Iesu Christo c. 1, v. 5. 6. 8. 11. c. 2, v. 23. c. 3, v. 1. c. 5, v. 6. 8. 9. 13. c. 19, v. 13. c. 21, v. 6. c. 22, v. 13.

7) Cfr. *Euseb.* hist. eccl. l. 7. c. 25. quo testante *Dionysius* partim propter indolem elocutionis apocalypseos ab oratione evangelii et epistolarum Ioannis magnopere discrepantis, partim ea de causa, quod auctor apocal. nomen suum Ιωαννης professus est (in evangelio et epistolis Io. nunquam prolatum, cfr. §. 114. nota 1.) negavit, *Apostolum* recte auctorem existimari. Ab alio quodam eiusdem nominis viro temporis quidem apostolici exaratam esse coniecit. Vd. *Mönster* comment. de Dionysii Alex. circa apocalypsin Io. sententia, Hauniae, 1826.

8) Vd. *Euseb.* hist. eccl. l. 3. c. 24. ex. c. 25. c. 39.

9) Parum probabiliter auctor versionis Peschito librum apocalypseos tantummodo propter obscuritatem argumenti omisisse existimatur. Seriori quippe tempore ecclesia syriaca hac obscuritate minime inpedita est, quo minus apocalypsin syriace verteret et usurparet. Cfr. *Ephraëm Syrus*, qui ipse hunc librum Ioanni Apostolo tribuit Opp. Syr. T. II. p. 332. T. III. p. 636. Opp. gr. T. II. p. 252. T. III. p. 52.

10) Cfr. *Mansi* collectio concill. T. II. p. 574. *Cyrilli* Hierosol. catechesis IV. *Gregor.* Nazianz. carm. XXXIII. Opp. ed. Colon. T. II. p. 98.

11) Plures quippe ex adversariis huius libri *nolebant* habere apostolicum propter ideam regni millenarii in capitibus postremis propositam. Vidimus contra §. 114. non defuisse inter ipsos Chiliasmi adversarios, qui apocalypsin apostolo vindicarent.

12) Quicunque Ioannem Apostolum auctorem fuisse negabant, aut dubii hac de re haesitabant, solebant tamen vel de Cerintho, vel de Ioanne presbytero cogitare.

§. 116.

Argumenta vero interna parum favent sententiae eorum, qui hunc librum Ioanni Apostolo vindicaverunt. Quanquam singula obveniunt, quae indoli atque ingenio huius Apostoli probe sint accommodata [1]), alia tamen permulta, sive sententias libri primarias [2]), sive totum dicendi genus [3]) spectaveris, tantopere discrepant ab iis, quae in evangelio epistolisque Ioanneis leguntur, ut alium prodant voluminis auctorem, incognitum, Iudaeo-Christianum, vel ipso aevo apostolico vel statim post illa tempora [4]) viventem, etsi hic omnino fragmenta quaedam visionum, ex Apostoli et mente et calamo profecta, usurpasse videatur [5]).

1) Quod Christologiam potissimum attinet, vocab. λογος (ev. Io. 1, 1. ss.) *sensu eximio* ad Iesum Christum transfertur *Apocal.* 19, 13. Cum agno Deo consecrato Christus comparatur *ev.* 1, 29. *apoc.* 5, 6. (quod loco posteriori usurpatur αρνιον etiam *ev.* 21, 16. sensu dic. tropico.) Ad eandem, quae in evang. celebratur, naturam sublimiorem et dignitatem (δοξαν) Iesu Christi, maiestatis divinae imaginem perfectam referentis, imperii divini participis haud pauca respiciunt apocalypseos effata 1, 5. sq. 3, 21.

5, 6. 8. ss. 7, 17. 12, 5. 22, 13. al. Quemadmodum *evangelium* Ioanneum praecipua perspicuitate declarat, Iesum Christum servatorem esse *totius generis humani* (v. c. 10, 16. 11, 51. sq. 12, 20. ss. al.) ita etiam loca *apocal.* 5, 9. 7, 9. 21, 26. 22, 2. ss. eandem cogitationem exhibent sublimiorem. Remotius dixerim, quod plures ex locis evangelii, Christo cognitionem perfectam et rerum divinarum et animorum humanorum vindicantibus (§. 41. nota 4.), et effatis *apocal.* 1, 1. 2, 2. 9. 13. 19. 3, 1. 8. 15. utriusque libri convenientiam probari voluerunt. Quanquam enim in epistolis illis c. 2. et 3. apocal. de vita factisque eorum, quibus epistolae scribuntur, Iesu Christo probe cognitis sermo est, aliter tamen sese habet cum dictis evangelii, indolem singulorum hominum *internam* Servatori prorsus perspectam diserte praedicantibus. Neque huc pertinere videntur, quae *apocal.* 1, 5. 5, 9. 7. 14. 12, 11. de Christo pro hominibus mortuo dicuntur. De verbis quippe Ioannis baptistae *ev. Io.* 1, 29. 36. magnopere dissentitur, an de *morte* potissimum Christi pro hominibus subeunda recte intelligantur. Quae Christus ipse ev. Io. 10, 15. 18. 6, 51. de vita sua pro hominibus ponenda professus est, totius sermonis conformatione ab effatis *apocal.* differunt, quae multo propius accedunt ad *Petrinam* hac de re loquendi rationem. — Quod usum vocum singularum formularumque dicendi attinet, pauca apparent, in quibus evangelium et epistolae Ioanneae cum volumine apocalypseos re vera praecipue conveniant; v. c. αληθινος de *Deo* (*Io. ev.* 7, 28. 17, 3. *Apocal.* 3, 7. 14. 6, 10. 19, 11.) μετα ταυτα (*Io. ev.* 3, 22. 5, 1. 14. 6, 1. 7, 1. 13, 7. 19, 38. 21, 1. *apocal.* 1, 19. 4, 1. 7, 1. 9. 9, 12. 15, 5. 18, 1. 19, 1. 20, 3) μαρτυρια (*Apocal.* 1, 2. 9. 6, 9. 11, 7. 12, 11. 17. 19, 10. 20, 4. in *evangelio* et *epp. Io.* multo frequentius occurrit, quam apud ceteros N. F. scriptores.) οψις (*Apoc.* 1, 16. praeterea nonnisi *Ioannes* habet *ev.* 7, 24. 11, 44.) τηρειν τον λογον (*Io. ev.* 8, 51. sq. 55. 14, 23. sq. 15, 20. 17, 6. I. *ep.* Io. 2, 5. *Apocal.* 3, 8. 10. 22, 7. 9.) τηρειν εκ τινος (*Io. ev.* 17, 15. *Apoc.* 3, 10.) σκηνουν (*Apocal.* 7, 15. 12, 12. 13, 6. 21, 3. praeterea in N. F. semel tantum *ev. Io.* 1, 14. leg.) σφαττειν (*Apoc.* 5, 6. 9. 12. 6, 4. 9. 13, 3. 8. 18, 24. praeterea in N. F. semel I. *ep. Io.* 3, 12. leg.) εχειν μερος μετα τινος (*Io. ev.* 13, 8. *Apocal.* 20, 6.) περιπατειν μετα τινος (*Io. ev.* 6, 66. *Apoc.* 3, 4.) In quibusdam apocalypseos partibus eadem sententia et ne-

gando et adfirmando enuntiatur, obveniuntque antitheses et membra parallela 2, 2. 6. 8. 13. 3, 8. 17. 21. In demonstranda similitudine elocutionis apocalypseos et evangelii epistolarumque Io. praecipue elaboraverunt Dan. *Schulz* über den Schriftsteller. Charakter und Werth des Johannes, Weissenfels und Leipzig, 1803. Herm. *Denker Curtius* specimen hermeneutico-theologicum de apocalypsi ab indole doctrina et scribendi genere Ioannis Apostoli non abhorrente, Traiecti Batav. 1799. 8.

2) De divina mundi gubernatione auctor apocal. hanc tenet persuasionem, ut Deum eo demum tempore, quo Messias venturus sit ad regnum Messianum sollenniter instituendum, inperium mundi (hucusque volente Deo per angelos gubernati, c. 1, v. 4. c. 3, v. 1. c. 5, v. 6. c. 16, v. 13. sq. c. 12, v. 7. 9.) *ipsum* susceptarum esse doceat (immediate gerendum) c. 11, v. 15. ss. Apud Ioannem talia nunquam legimus. Neque effata I. *Corr.* 15, 24. (ubi de inperio agitur, quod Christo in *ecclesiam* competat) et *Hebrr.* 2, 5. (ubi ex concessis disputatur, ratione eorum habita, quae apud Iudaeos de lege Mosaica per angelos data dicebantur) prorsus ejusdem sunt generis. — Apocalypsis pluribus locis (3, 7. 5, 5. 22, 16.) eam praedicat dignitatem, quae Christo, *tanquam uni ex Davidis posteris* competat. Ioannes animos lectorum ad λογον potius natura humana indutum, filiumque Dei sensu praestantissimo dictum convertere solebat. — De reditu Christi *visibili* aliquando futuro, qualem auctor apocal. splendide depingit, nihil habet evangelium Ioanneum, quanquam vocab. παρουσια I. *ep. Io.* 2, 28. leg. — Duplex distinguitur resurrectio mortuorum, altera quidem eorum, qui Christo vere addicti sint, ante regnum millenarium futura, altera vero ceterorum omnium, sub finem regni millenarii *apocal.* 20, 5. 6. 12. Apud Ioannem ceterosque N. F. scriptores nuntiatur, fore, ut omnes mortui eodem tempore in vitam revocentur, nec aliter sese habet cum effatis I. *Corr.* 15, 23. sq. I. *Thessall.* 4, 16. 17. [Priori quippe I. vocabulum εκαστος v. 23. et Iesum Christum innuit απαρχην των κεκοιμημενων et homines, qui οι του χριστου dicuntur, eorumque resurrectio, qui Christo addicti sunt, tanquam pars pro toto, pro universa mortuorum omnium resurrectione commemoratur, ita ut haud negetur, ceteros quoque mortuos eodem tem-

pore corpora recuperaturos esse. Phrasis το τελος v. 24. i. q. συντελεια των αιωνων. Quod locum posteriorem attinet, νεκροι εν χριστω (quae species pro toto genere hominum mortuorum ponitur) ab iis distinguuntur, qui tempore adventus Iesu Christi visibilis in vita superstites futuri sunt.] — Exspectatio regni millenarii in his terris exstruendi, quod c. 20. 21. apocal. eo sermone nuntiatur, qui non permittit, ut haec omnia imagini tantum sive allegoriae inservire existimemus, prorsus aliena est ab indole doctrinae Ioanneae. Ne doceri quidem potest, vestigia eiusmodi dogmatis de regno millen. perspicua ac certa vel posteriori epist. Petri inesse (c. 3. novos coelos novamque terram nuntianti), vel formulis η ανω ιερουσαλημ ad Gal. 4, 26. et ιερουσαλημ επουρανιος ad *Hebrr.* 12, 22.

3) a) haud paucae ex iis vocibus ac formulis loquendi, quae Ioanni praecipue familiares fuerunt, in volumine apocalypseos vel prorsus desiderantur vel rarius apparent, earumque loco aliae obveniunt. v. c. εργαζεσθαι (semel leg. *apoc.* 18, 17. hoc sensu: quaestum facere, quo nunquam apud Io.) θεασθαι et θεωρειν (quorum posterius bis tantum *apocal.* habet 11, 11. 12. quae multo potius βλεπειν et ορᾳν usurpat), ιδε (*apoc.* ιδου usurpat, quod Io. rarius ponit), καθως (nunquam in apoc.) μενειν (semel *apoc.* 17, 10.), μεντοι (in apoc. desider.) ουν (tantummodo *apoc.* 2, 5. 3, 3. 19.) παλιν (nonnisi *apoc.* 10, 8. 11.) παρρησια (nunquam in apoc.), ρημα (tantummodo *apoc.* 17, 17. secundum lectionem vulgatam), ταρασσειν (nunquam in apoc.), φωνειν (semel *apoc.* 14, 18.) De usu potissimum loquendi dogmatico apocalypseos librorumque Ioannis Apostoli observandum est, Ioanneum κοσμος de hominibus profanis, a Christo et vera Dei cognitione cultuque alienis frequenter adhibitum *hoc sensu* in apocal. nunquam occurrere (aliquoties tantum hic leg. de tota rerum universitate, *apoc.* 11, 15. 13, 8. 17, 8.) itemque desiderari voces Ioanneas φως et σκοτια, απολλυσθαι et αιωνιος *tanquam praedicatum* της ζωης (semel tantum *apoc.* 14, 6. αιωνιον dic. ευαγγελιον), δοξαζεσθαι et υψουσθαι de Christo illustrato, σωτηρ του κοσμου, πιστευειν. Phrasis singularis de Christo adhibita *apoc.* 3, 14. η αρχη της κτισεως του θεου quanquam non repugnat notioni filii Dei λογου (ex Deo quippe oriundi), nunquam tamen in scriptis occurrit Ioanneis, neque πρωτοτοκος των νεκρων (quod magis Paulinum dixerim) και ο αρ-

χων των βασιλεων της γης apoc. 1, 5. b) Elocutioni quidem Ioanneae haud paucos inesse hebraismos et aramaismos vidimus §. 41. nota 5. Concedimusque, saepenumero errasse interpretes apocalypseos, qui in eiusmodi locis omnibus, ubi sermo scriptoris a graecitate sollemni deflectit, propter magnam, quam vitio ei verterent, *soloecismi*, duritiem offenderent, nec animum satis attenderent ad exempla eiusmodi anomaliae in scriptoribus graecis obvia. Cfr. *Winer* comment. de soloecismis, qui in apocalypsi Ioannea inesse dicuntur, Erl. 1825. 4. inserta cum additamentis eiusdem libro: exegetische Studien, 1. Bändchen, Leipzig, 1827. 8. Attamen *oratio apocalypseos universe spectata indolem sermoni hebraico eiusque dialectis propriam omnino pressius sequitur.* V. c. Pluralis pro Duali ponitur, c. 12, 14. c. 19, 20. c. 20, 14. Ubi Genitivus simpliciter positus sufficiebat, lubenter ἀπὸ sive ἐκ additur, c. 5, 5. c. 6, 1. c. 7, 13. c. 13, 3. c. 15, 7. c. 17, 1. c. 21, 9. Ubi plures genitivi copula iuncti ab eodem nomine eademve praepositione reguntur, nomen vel praepositio lubenter iteratur more parallelismi Hebraeorum, c. 14, 1. c. 16, 13. c. 17. 6. c. 18, 2. al. Vocativum saepius exprimit nominativus cum articulo, c. 6, 10. c. 15, 3. c. 16, 7. Dativo, qui apud Graecos simpliciter positus praesidio, auxilio, instrumento, cuius ope aliquid fiat, significando inservire solet, haud raro additur ἐν (hebr. ב), c. 6, 8. c. 8, 7. c. 9, 19. c. 11, 6. c. 12, 5. al. Pronomen demonstrativum abundantius additur, ubi pronomen relativum de eodem subiecto usurpatum praecesserat, c. 3, 8. c. 7, 2. 9. c. 13, 12. c. 20, 8. Participium more Hebraeorum tanquam praedicatum adhibetur, ad statum rei praesentis depingendum, ita ut vices gerat temporis finiti, praesertim post ἰδου, c. 1, 16. c. 4, 1. 5. 8. c. 5, 6. 13. c. 6, 2. 5. c. 7, 9. 10. al. Cfr. *Ewald* in prolegomenis commentarii §. 112. nota 1. laud. p. 38. ss. Quae in toto apocal. volumine a consuetudine Graecorum varie deflectunt, *tam frequenter* occurrunt, maximamque partem *tam prope accedunt ad idiotismos linguae hebraicae*, ut scriptorem prodant, qui multo potius hebraica legerit, quam graeca, etsi omnino singula obveniant, quae defendere liceat exemplis scriptorum graecorum. Deesse contra videmus haud paucas loquendi formulas bene graecas Ioanni usurpatas. Cfr. *Ewald* l. l. p. 67. sq. Qui originem libri apostolicam defendunt, in eo docent offendi non posse,

quod Ioannes in hoc volumine, prophetas Hebraeorum imitatus, singulare loquendi genus adhibuerit. Licetne vero satis probabiliter statuere, scriptorem, qui in ceteris libris non prorsus eidem loquendi generi adsuetus esset, non in iis tantum apocal. sectionibus, quae huius illiusve prophetae oracula et visiones imitando exprimerent, sed per totum fere librum orationem suam ad indolem linguae hebraicae consulto accommodasse? Quaeritur insuper, an compositio artificiosa, Phantasiae motus fervidior, immo audacior, usgue eruditionis Iudaicae multiplex, qualem in hoc volumine deprehendimus, cum indole Ioannis Apostoli ex ev. et epistolis cognita satis conveniat?

4) Obveniunt quippe, quae ad res gestas et exspectationes illius aevi respiciant. Cfr. §. seq. Vidimusque eos scriptorum veterum, qui originem libri apostolicam negarent, de auctore tamen admodum vetusto cogitasse. Cfr. §. 115.

5) Verissime monuit V. *Ewald* in comment. laud. prolegg. p. 77. scriptores illius aetatis, qui nollent suo nomine scripta edere prophetica, fere semper *veteris* cuiusdam doctoris et prophetae pii personam induisse, quod praesertim exempla libri Henocho adscripti et libri quarti Esrae docuerunt. Itaque, quum auctor apocal. ab illa consuetudine ex mea quidem aliorumque persuasione discesserit, et C. I. v. 1. 4. 9. C. XXII. v. 8. de semet ipso ita loquutus fuerit, ut omnino *Ioannes Apostolus* haberi voluisse videretur (vd. §. 114.) de causa singulari, quare sic fecerit, cogitandum est. Licetque satis probabilem ex coniectura nobis probata eruere, Ioanni Apostolo, in Pathmo insula versanti, per ipsam, qua hoc tempore uteretur, conditionem externam singulari modo mente adfecto et commoto, utique visiones oblatas fuisse symbolicas, eumque vel tempore exsilii vel posthac singulas harum visionum, *in suum quidem usum*, sermone hebraico s. aramaico chartae mandasse, tum vero, post obitum Apostoli, aliquem ex discipulis et familiaribus Ioannis, fragmenta illa graece vertisse, eademque (suo quidem ingenio accommodate, arte eximia et dexteritate usum) ita continuasse, aliisque addendis locupletasse, ut hoc volumen existeret integrum. Quanquam igitur, hac coniectura admissa, non dubitamus, plura, quae in libro apoc. obveniant, agnoscere Ioannea (v. c. prooemium

C. I. itemque ſeptem epiſtolas ad coetus aſiaticos datas, quae propius, quam aliae multae apoc. ſectiones, ad elocutionem Ioanneam accedunt, vd. *Eichhorn* Einl. 2. B. 2. H. p. 380. ſq. itemque, quae nuperrime de loco *apoc.* c. 1. v. 7. coll. *ev. Io.* 19, 36. ſq. acute obſervavit *Stein*: Winer und Engelhardt neues Journal der theol. Litter. 5. B. 1. St. 1826. p. 21. ſſ.) lubentiſſime tamen profitemur, in perluſtrandis ſingulis apoc. partibus, quae Apoſtolus ipſe litteris mandaverit, non poſſe ſatis accurate ab iis diſcerni, quae huic ſcriptori tribuantur, niſi quod de eiusmodi certe effatis, qualia ſunt quae ſupra nota 2. attulimus, confidenter pronuntiemus, haec aliena eſſe ab ingenio et doctrina Apoſtoli. — Originem apocalypſeos apoſtolicam praeter doctores antiquiores, quorum mentio §. 115. facta eſt, inpugnaverunt: *Luther* praef. ad verſionem apocal. a. 1522. (iudicium mitius pronuntiavit in praef. ad verſ. apoc. a. 1534.) Vd. Lutheri Opp. ed. Walch. T. XIV. p. 12. ſq. recentius Anon. Einleitung in die Geſchichte des Canon ſämmtlicher Schriften des N. T. herausgeg. von dem Vf. des Hierocles, Halle, 1794. 8. *Cludius* Uranſichten des Chriſtenthums, Altona, 1808. *Ballenſtedt* Philo und Johannes, Göttingen, 1812. 8. *Michaelis* Einl. Vol. II. p. 1573. ſſ. ed. IV. *Heinrichs* in comment. §. 112. nota 1. laud. Vol. I. prolegg. p. 43. ſſ. *Ewald* in comment. 1. proll. p. 54. ſſ. *De Wette* Einl. p. 352. ſſ. *Bretſchneider* probabilia de evangelii et epiſtolarum Io. Apoſtoli indole et origine, Lipſ. 1820. ſſ. ubi p. 150. ſſ. pluribus argumentis docetur, non poſſe eundem, qui evangelium Ioanneum ſcripſerit, auctorem haberi apocalypſeos. Praeterea cfr. ſcripta *Oederi*, *Strothii*, *Merckelii*, *Semmleri* §. 115. nota 5. laudd. *Defenſores* authentiae praeter antiquiores §. 114. commemoratos exſtiterunt: *Twels* vindiciae apocalypſeos, inſertae *Wolfii* curis philol. et crit. T. V. Baſil. 1741. 4. Fr. *Schmid* krit. Unterſuchung, ob die Offenb. Joh. ein ächtes göttliches Buch iſt? Leipzig, 1771. 8. Fr. *Reuſs* Vertheidigung der Offenb. Joh. Frankfurt, 1772. *Eiusd.* diſſert. theol. de auctore apocal. Tub. 1767. *Koerner* de auctoritate canonica apocal. Lipſ. 1751. 4. *Knittel* Beyträge zur Kritik über Johannis Offenb. Braunſchweig, 1773. 4. *Storr* neue Apologie der Offenb. Joh. Tüb. 1783. *Lüderwald* Bemühungen zur gründlichen Beurtheilung der Offenb. Joh. Helmſtädt, 1788. II. Voll. *Auguſti* Vorrede zu *Schreiber* Nachbildung der Offenb. Joh. Naumburg,

1802. 8. *Haenlein* Handbuch der Einl. Vol. I. p. 220. ff. ed. II. *Schmidt* Einl. Vol. II. §. 157. *Hug* Einl. Vol. II. p. 526. ff. ed. II. *Eichhorn* Einl. 2. B. 2. H. p. 375. ff. *Bertholdt* Einl. Vol. IV. p. 1871. ff. *Hemsen* die Authentie der Schriften des Evang. Joh. Schleswig, 1823. p. 340. ff. *Müller* über die Offenb. Joh. Berlin, 1827. *Guericke* Beiträge zur historisch-krit. Einl. p. 181. ff. Cfr. praeterea libri *Hartwichii*, *Herderi*. *Hagenii*, *Langii* §. 111. nota 1. §. 112. nota 2. commemorati.

§. 117.

Quum testimonia scriptorum veterum de tempore, quo Ioannes Apostolus in insula Pathmo exul fuerit (Apocal. C. I. v. 9.) dissentiant [1]), itemque plura apocalypseos effata, quibus interpretes ad cognoscendam libri aetatem varie usi sunt, diversam admittant explicationem temporumque computationem [2]), facile patet, qua de causa controversiae de tempore, quo apocalypsis litteris consignaretur, excitatae componi nunquam potuerint. De eo maxime in utramque partem disputant, utrum ante, an post eversionem Hierosolymarum scripta fuerit, neque negari potest, iis, qui prius defendant, praesertim favere, quod scriptor, quanquam C. XI. haud dubie cogitaverit de excidio Hierosolymarum (§. 112. nota 2. ex.), ipsam tamen urbis destructionem paucis tantum innuerit [3]). Qui accuratius rem definiunt, originem huius libri ad tempora vel Claudii Caesaris [4]), vel Neronis [5]), vel Galbae [6]), vel Vespasiani [7]), vel Domitiani [8]), vel Traiani aut Hadriani [9]) referunt. Quodsi coniectura admittitur §. 116. cfr. nota 4. 5. proposita, sequitur, haud exiguam certe libri partem, totamque sectionum singularum compositionem artificiosam, qua unam eamque continuam visionum seriem efficiant, post obitum demum Ioannis Apostoli exstitisse. Quod

locum attinet, ubi apocalypsis consignata fuerit, si Ioannes Apostolus totius voluminis auctor habeatur, verissime contendimus, vel eodem loco, ubi Apostolo visiones symbolicae contigissent, in Pathmo insula, vel posthac in Asia minori exaratam esse. Sin coniectura, quam commendavimus, probetur, in promtu est; de domicilio scriptoris incogniti ne probabiliter quidem disputari posse.

1) Vd. §. 36. nota 10. Ne sufficeret quidem certa cognitio temporis, quo Ioannes in Pathmo insula exul degeret, ad annum *consignationis* apocalypseos accuratius definiendum, siquidem ex loco C. I. v. 9. 10. id unum necessario colligitur, scriptorem in hac insula eo tempore commoratum esse, quo *visiones* (posthac, Deo volente, litteris mandatae) *ei contingerent.*

2) Praesertim huc pertinent, quae *apocal.* c. 17, v. 8. ff. de *regibus* dicuntur, quorum quinque ceciderint, unus (sextus) vigeat et inperet, septimus per breve tempus inperium sit habiturus, quo facto unus illorum quinque priorum rediturus sit regnumque recepturus (tanquam octavus), quanquam ipse mox interiturus. Quem locum (magis ingeniose quidem, quam accurate) *Herder* in l. Maranatha (§. 112. nota 2. laud.) p. 274. de serie quadam *principum sacerdotii Iudaici* (ἀρχιερεων) intelligi voluit. Alii h. l. de Inperatoribus cogitant Romanis, in diversas quidem partes abeuntes, quum seriem horum βασιλεων vel a *Iulio Caesare* ducant (cfrr. *Bertholdt* Einl. Vol. IV. p. 1893. sextum intelligens Neronem, quo inperante apocal. scripta fuerit, et F. *Koehler* Versuch über die Abfassungszeit der epistol. Schriften im N. T. und der Apocalypse, Leipzig, 1830. 8. p. 218. ff. qui illam computandi rationem ex libro IV. *Esrae* et *Iosephi* antiqq. Iudd. l. 18. c. 2. §. 2. defendit) vel ab *Augusto* (cfr. *Eichhorn* Einl. 2. B. 2. H. p. 388. sextum dici existimans Vespasianum, Othone, Galba, Vitellio propter summam inperii brevitatem omnino non adnumeratis, et *Ewald* comment. saepius laud. prolegg. p. 47. ff. qui docet, sub *quinto Neronem* intelligi, quo mortuo hic illic rumor circumferretur, eum non vere mortuum esse, immo ex oriente mox rediturum, *Sueton.* vita Neronis c. 40. 57.

Tacitus hist. 2, 8. *Dio Cass.* histor. rom. T. II. p. 1056. ed. Reim. *sextum* vero nunc inperantem *Galbam* appellari, cuius inperium exigui temporis fore exspectari facile posset.)

3) Eversio Hierosolymarum exemplo poenae de adversariis Christi sumtae tam illustri inserviebat, ut causa idonea desideretur, quare scriptor (si apocalypsin eo tempore consignavisse existimetur, quo excidium urbis *vere peractum* ante oculos haberet) noluerit hoc iudicium divinum amplius et definitius describere (quemadmodum c. 12. v. 1. ss. *res praeteritas* visione depingeret symbolica), singulis rei partibus commemorandis. Cfr. *Lücke* commentatio: theol. Studien und Kritiken von *Ullmann* und *Umbreit*, 2. B. 2. H. 1829. p. 317.

4) *Epiphanius* haer. 51, c. 15. c. 33. Traditionem Epiphanii (cuius fidem suspectam reddit, quod idem perperam dicit, Ioannem Apostolum, quum ex Pathmo rediret, senem fuisse nonaginta annorum) historiae contradicere, quum illa, quam septem epistolae *apoc.* c. 2. 3. exhibitae ponunt, ecclesiarum Asiae minoris conditio aevi fuerit serioris, bene docuit *Bertholdt* Einl. Vol. IV. p. 1887.

5) *Versio Syr. Philoxeniana* S. VI. (ed. Ludov. de Dieu, Lugd. 1627.) perhibet, Apostolum inperante *Nerone* visiones accepisse, in Pathmum legatum. Quo tempore apocalypsin scriptam esse plures defendunt, v. c. *Arethas* interpres Saec. X. cuius interpretatio, Andreae commentarium emendatum auctumque exhibens in *Oecumenii* Opp. ed. Paris. T. II. legitur, *Herder* in l. l. Maranatha, *Storr* neue Apologie der Offenb. Joh. Tübingen, 1805. §. 13. 14. *Lange* in comment. §. 112. nota 2. laud. *Bertholdt* Einl. Vol. IV. p. 1889. ss. *Koehler* in libro supra nota 2. laud. (cuius libri, *nuperrime* editi, cum acumine scripti, usum hoc demum loco facere potui.)

6) *Ewald* loco supra nota 2. indic. et *Lücke* l. nota 3. commemor.

7) *Eichhorn* Einl. 2. B. 2. H. p. 388. *Heinrichs* in prolegg. commentarii §. 112. nota 1. laud. p. 62.

8) Ioannem sub Domitiano apocalypsin in insula Pathmos *vidisse* perhibent *Irenaeus* adv. haerr. l. 5. c. 30. *Victorinus Petav.* comment. in apocal. 10, 11. in bibliotheca patrum T. III. p. 419. *Eusebius*, Irenaei testimonio usus, in Chronico ad annum Domitiani 14. cfr. *eiusd.* hist. eccles. l. 3. c. 18. c. 20. Itemque *Hieronymus* catal. scriptt.

eccl. c. 10. Ioannem inperante Domit. apocalypſin ſcripſiſſe teſtatur. Defendit hanc ſent. *Hug* Einl. Vol. II. ed. II. p. 563. ſſ.

9) *Dorotheus* Tyri epiſc. S. IV. in bibliotheca max. patrum T. VII. p. 122. *Knittel* in l. §. 116. nota 5. laud. p. 88. ſſ.

Ex *antiquioribus apocalypſeos interpretibus* praeter libros *Andreae*, *Arethae*, *Victorini Petav.* §. 114. nota 2. §. 117. nota 5. et 8. laudatos, potiſſimum commemorandi ſunt *Ambroſiaſter* Saec. IV. et *Primaſius* S. VI. Quod *ſeriores* et *recentiores* attinet, *praeter* plures eorum, qui *ceteros quoque N. F. libros* commentariis illuſtraverunt, laudatos ad finem §. 43. notae 5. p. 167. ſſ. (Theod. *Bezam*, *Strigelium*, *Camerarium*, H. *Grotium*, M. *Polum*, *Wolfium*, *Wettſtenium*, *Heumannum*, *Roſenmüllerum*, D. *Michaelem*, *Bengelium* in gnomone), et praeter libros exegeticos, *apocalypſi potiſſimum* interpretandae inſervientes, quos *Bengel*, *Herrenſchneider*, *Iohannſen*, *Harenberg*, *Herder*, *Eichhorn*, *Lange*, *Lindemann*, *Heinrichs*, *Bleek*, *Ewald*, *Matthaei* ediderunt (vd. §. 111. nota 1. §. 112. nota 1. et 2. §. 113. nota 3. ex.) inſuper conferendi ſunt: *Bolten* die neuteſtam. Briefe 3. Theil (Brief an die Hebr. kathol. Briefe, und Jo. Offenbarung), Altona, 1805. 8. C. *Schreiber* prophetiſch-poëtiſche Gemälde der Zukunft, eine Nachbildung der Offenbarung Johannis, mit einer Vorrede von *Auguſti*, Naumburg, 1802. 8. Die Offenbarung Joh. metriſch überſetzt von *Münter*, 2. Aufl. Kopenhagen, 1806. 8. *Sommel* diſputationum iſagogicarum in Apoc. Io. P. I. II. Lund. 1790. 8. *Heidelberger* Jahrbücher der Litter. 6. Jahrg. 8. Heft, Auguſt, 1813. *Weyers* initium diſputationis de libri apoc. argumento, ſententia, et auctore, Lugd. Batav. 1828. Die Apocalypſe des heil. Johannes, überſetzt, erklärt, und in einer hiſtoriſch-krit. Einleitung erläutert von *Scholz*, Frankfurt am Main, 1828. 8.

ISAGOGE UNIVERSALIS.

SECTIO PRIMA.

DE INDOLE ET AUCTORITATE LIBRORUM NOVI FOEDERIS.

CAPUT A.

DE CONSILIO SCRIPTORUM N. F. FONTIBUS, QUIBUS USI SUNT, LINGUA ET ELOCUTIONE.

§. 118.

Quem finem primarium auctores N. F. consequi voluerint, argumentum docet et oeconomia horum librorum, licetque insuper ex pluribus cognoscere effatis, ubi diserte aliquid professi sunt de consilio sibi proposito [1]). Omnibus curae cordique fuit, ut verae saluti et incolumitati internae ecclesiae Christianae consulerent, persuasione et pietate Christiana confirmanda atque promovenda, arcendis erroribus, qui doctrinam evangelii veram corrumperent, iisque palam et libere notandis, qui vel docendo vel agendo deflecterent a veritate divina, iis vero laudandis, et laudatione stabiliendis, qui tramitem rectum hucusque constanter fuissent persequuti. His de consilio scriptorum N. F.

universe enuntiatis comprehenduntur, quaecunque singuli, pro diversis lectorum desideriis, aliisque rebus externis, quae opportunitatem scribendi praebuerunt, effici voluerunt, in isagoge speciali suo loco indicata [2].

1) Cfr. v. c. *Lucae* ev. 1, 1. ss. *Io.* ev. 20, 31. II. *Corinthh.* 13, 10. I. *Petri* 5, 12. II. *Petri* 3, 1. 2. I. *Io.* 1, 4. 2, 1. 5, 13. Ep. *Iudae* v. 3. *Apocal.* c. I. in.

2) De diversis librorum N. F. generibus vd. §. 4.

§. 119.

Eorum, quae hi scriptores partim de Iesu Christi fatis, sermonibus, factis, aliisque rebus Christianis in facto positis, partim de tota Christianorum cogitandi, sentiendi, agendi ratione secundum vitam et doctrinam Servatoris recte componenda perhibuerunt, atque praeceperunt, fontem fuisse videmus triplicem, a) familiaritatem interiorem, quae pluribus horum virorum [1] cum Iesu Christo in terris versante intercesserat, b) narrationes exploratas scriptoribus ore traditas, et documenta litteris consignata [2], c) meditationem horum virorum propriam, ipsius potissimum Iesu Christi vitae atque doctrinae ope excitatam, auctam deinde et confirmatam usu et experientia multiplici, fatorum, quae subierunt, vicissitudine, observandis hominum, quibuscum versari solebant, studiis et placitis, ipsaque evangelii ore tradendi exercitatione assidua [3].

1) Cfr. quae de *Matthaeo*, *Ioanne*, *Petro*, *testibus vitae Christi oculatis*, §. 20. §. 36. §. 93. observavimus. *Lucam* haud exiguam certe partem eorum, quae de rebus post

abitum Christi de terra gestis (praesertim de Pauli fatis laboribusque) enarraret, experiundo cognitam habuisse §. 46. vidimus. *Iacobi* quoque et *Iudae* epistolas familiares Christi habuisse auctores defendunt haud pauci, originem harum litterarum apostolicam agnoscentes. Sed de utraque ep. vd. §. 90. §. 103.

2) Cfr. de *evangelistis* §. 15. §. 18. §. 23. ex. §. 32. §. 46. Quum *Paulus* et olim, quamdiu ipse Christianos persequeretur, haud dubie saepius cultores Christi audivisset Servatorem divinum praedicantes, suamque persuasionem palam et libere profitentes (v. c. Stephanum, *Actt.* c. 8. in.), et posthac, ad sacra Christiana conversus, Apostolorum aliorumque evangelii praeconum consuetudine usus fuisset (§. 48.), dubitari non potest, *hac ratione*, quae ad *historiam* Christi pertinerent, innotescere ei facile potuisse, quanquam, praeeunte ipsius testimonio sollenniter edito (praesertim ad *Gal.* 1, 11. 12.), nulli hominum institutioni, sed revelationi Dei et Christi debebat, quod veram *doctrinae* Christi indolem et auctoritatem divinam recte cognoverat. — Non defuisse inter epistolarum scriptores, qui lectione et usu aliarum epistolarum essent imbuti, in isagoge speciali docuimus §. 86. nota 8. §. 91. nota 20. §. 96. §. 102.

3) Usum ingenii sui atque iudicii, et meditandi libertatem scriptores N. F. singuli a) et in enarrandis iis, quae ad *historiam* pertinent, vario modo declaraverunt, ipso rerum traditarum delectu, oeconomia narrationis adornanda, inserendis eiusmodi observationibus, quae vel illustrandis et explicandis rebus propositis inserviunt, vel animos lectorum attentos reddunt ad effata V. T. per facta, sermones, fata Iesu Christi eventu comprobata, b) et *in ipsa religionis morumque doctrina* tractanda, sive placita et praecepta spectaveris singula (quibus haud pauca continentur, quae Christus ipse, legem sibi scriptam *Io.* ev. 16, 12. sequutus, in sermonibus suis vel omnino nondum tractaverat, vel paucis tantum adumbraverat) sive rationem diversam, qua scriptores N. F. pro diversa ingenii indole, variisque lectorum desideriis, sententias enuntiatas amplius explicuerint, argumentis comprobaverint, in usum vitae transtulerint. Exempla luculentissima lectori N. F. attento ubique sponte obveniunt. Cfr. inprimis, quae in isagoge speciali de indole singulari observavimus, qua singuli horum scriptorum inter se

differant. His minime contradicunt, quae evangelistae et apostoli de Spiritu divino, quo moderante docuerint, professi sunt. Verum de hac theopneustiae notione infra dicetur.

§. 120.

Quae in libris N. F. usurpatur res gestas enarrandi, sententiasque propositas amplificandi, illustrandi, comprobandi ratio, et ipsi Servatoris [1]) consilio, Apostolis probe cognito [2]), novam religionis oeconomiam instituendi, homines omnium gentium complectentem, et indoli atque ingenio lectorum illius saeculi egregie est accommodata. Universe spectata [3]) simplicitatem potius habet, quam artificium, ad intelligentiam popularem magis composita, quam ad formulas et decreta scholarum [4]). Soletque frequenter methodum explicandi et argumentandi adhibere Iudaeis familiarem [5]).

1) *Matth.* 8, 11. 10, 18. 24, 14. 21, 23. 28, 19. *Marci* 12, 9. 16, 15. *Luc.* ev. 13, 29. 20, 16. 24, 47. *Io.* 8, 16. 17. 19. 6, 33. 51. 8, 12. 9, 5. 10, 16. 14, 31. 16, 8. ss. 17, 21. 23. *Act.* 1, 8.

2) *Io.* ev. 1, 4. 7, 9, 1. ep. *Io.* 2, 2. 4, 9. *Actt.* 10, 34. 17, 30. al. *Romm.* 1, 14. *Ephess.* 3, 6. 8. *Coloss.* 1, 20. ss. I. *Tim.* 2, 4. ad *Titum* 2, 11. al.

3) Concedimus quidem, non prorsus eandem apparere omnium N. F. librorum simplicitatem in rebus tractandis adhibitam, si quis v. c. cum ceteris Pauli litteris epistolam Romanis scriptam, ad indolem *commentationis* propius accedentem (§. 58.), aut cum ceteris scriptis N. F. epistolam ad Hebraeos (§. 82.) et apocalypsin artificiosius compositam comparaverit.

4) a) Scriptores N. F. historici nunquam hoc agunt, ut res gestas enarrandas amplificatione vel poëtica vel oratoria, quae Phantasiam moveat, exornent, sed in ipsis rebus in

facto positis, prouti eas vel experiundo cognoverant, vel aliunde acceperant, simpliciter, secundum ordinem singularum rei gestae partium in ipsa rei natura positum, referendis acquiescunt. Etsi haud raro unum idemque eventum apud alterum brevitate magna, apud alterum copiosius et accuratius exponitur, quisque tamen ita enarrat, ut lector facile cognoscat *rem primariam*. Solentque ea, quae faciunt, ut causa eventi nexusque rei gestae ex hominum agentium indole sensibusque, et rebus externis circumiectis perspiciatur, suo loco indicare. Neque vero sua addere solent de dictis factisque enarratis iudicia (exceptis eiusmodi effatis, ubi oracula V. T. in Iesu Christo eventum habuisse ostendunt), suosve animi sensus et adfectus eloqui. Quanquam Ioannes, pragmatismi cuiusdam historici praecipue studiosus (§. 41.), pluribus locis observationes addidit de verbis Christi recte intelligendis (§. 38. nota 10.) Cfr. *Morus* defensio narrationum N. T. quoad modum narrandi, in eius dissertatt. theol. et philol. Lips. 1787. 8. *Küchler* comment. I. II. de simplicitate scriptorum ss. in commentariis de vita Iesu Christi, Lips. 1821. 1827. 8. b) *Notiones universas describunt* potius, quam *definiunt*. Cfr. definitio popularis πίστεως ad *Hebrr.* 11, 1. peccati 1. *Io.* 3, 4. descriptio Dei veri *Actt.* 17, 24. sq. legis et conscientiae moralis, et, quae huic legi repugnare solet, proclivitatis ad peccandum *Romm.* 2, 15. 7, 22. sq. amoris Christiani I. *Corr.* 13, 4. ss. al. c) *Exempla* proferunt ex vita communi desumta, atque omnino ex genere eorum, quae suis lectoribus probe cognita esse recte ponebant (v. c. ex historia Iudaeorum, et libris V. T.) d) ubi *argumenta* addunt, vel ad ipsius Iesu Christi auctoritatem provocant, vel loca usurpant V. T. probantia, vel historiam et experientiam vitae communis testem excitant, vel etiam ex aliis placitis atque praeceptis, cognitis quidem et concessis, lectores suos colligere iubent veritatem eorum, quae defendunt. Quanquam pluribus locis litterarum *Paulinarum*, itemque in ep. ad *Hebraeos* obveniunt, quae doceant, scriptorem eruditione quadam Iudaica et philosophia quadam illius saeculi inbutum fuisse, nec loca desunt difficiliora; sententiae tamen primariae ita tractantur et explicantur ad sensum communem cuiusque hominis recte cogitantis et meditantis accommodate, ut nexum argumentationis facile omnes perspiciant, interpretandi praesidiis philologicis et historicis usi idoneis.

5) Pluribus quippe locis, praesertim apud Paulum, et in epistola ad Hebraeos, sententia enuntiata vel interpretationi locorum V. T. allegoricae Iudaeis cum Palaestinensibus, tum extra Palaestinam versantibus probatae, vel placitis quibusdam Theologiae Iudaeorum seriorum ita adnectitur, ut ex concessis disputetur. Neque dubitari potest, huius generis argumentationes, etsi nobis interdum primo obtutu minus dilucidae appareant, variisque interpretationis historicae praesidiis indigeant, illius tamen saeculi lectoribus planas fuisse et perspicuas. Quod scriptores N. T. hanc disputandi viam saepius inierint, nemini potest mirum videri, quum et ipsi a pueris inde rebus placitisque Iudaicis adsueti essent, et necessitatem accommodationis cuiusdam, ex more ipsius Servatoris sapienter adhibendae, qua doctrina religionis perfectior indoli atque ingenio et Iudaeorum et gentilium illius saeculi facilius commendaretur, intellexissent (qua de re uberius disserui in I. Briefe über Religion und christlichen Offenbarungsglauben, Jena, 1826. p. 475. ff.)

§. 121.

Rem dicimus in facto positam, et Iesum Christum, et Apostolos, quamdiu inter Iudaeos Palaestinenses evangelium praedicarent, nisi semper, plerumque tamen, dialecto aramaica [1]), esse locutos. Sed libros N. T. omnes habemus sermone graeco consignatos. Nec de plerisque eorum probabiliter doceri potuit, graece translatos esse ex alia lingua, cuius usum fecissent auctores [2]).

1) Idioma intelligimus ex tribus linguae semiticae dialectis, vetere hebraea, chaldaea (s. aramaica orientali), syra (s. aramaica occidentali) varie mixtum et compositum, cui sermonis hebraei, ex libris V. T. cogniti usus inde ab aetate exilii babylonici sensim sensimque inter Palaestinenses cesserat, sacerdotibus tantum doctoribusque Iudaeorum sermonem veterem servantibus. Vd. *Schubert* differt. qua in sermonem quo ev. Matth. conscriptum

fuerit, inquiritur, Gott. 1810. 4. p. 10. ff. *Jahn* Einl. in die göttlichen Bücher des alten Bundes, 1. Th. Wien, 1802. p. 257. ff. ed. II. Lingua graeca, Palaestinae incolis tempore Christi minime incognita (§. 22. nota 3.), in *sermonem communem* Iudaeorum Palaestinensium nunquam abiit, solebantque permulti linguam litterasque Graecorum odio habere, testante *Iosepho* antiquitt. Iudd. l. 20. c. 9. §. 2. cfr. idem de bello Iud. l. 5, c. 6. §. 2. c. 9. §. 2. l. 6. c. 2. §. 1. c. 6. §. 2. contra App. I, 9. [Vd. *Ernesti* de odio Iudaeorum adversus litteras graecas in eius opuscc. philol. crit. p. 408. ff.] Accedunt plura huius rei testimonia in libris talmudicis (Mischna potissimum) obvia. Vd. *Pfannkuche* commentatio: *Eichhorn* Bibliothek der bibl. Litter. 8. B. 3. St. G. *Scheibel* das Abendmahl des Herrn, Breslau, 1823. p. 68. sqq. In libris N. F. vestigia haud pauca apparent sermonis *aramaei*, cum inter ceteros Palaestinae incolas, tum ab ipso Servatore eiusque discipulis *vulgo* usurpati (*Matth.* 23, 7. *Marci* 3, 17. 5, 41. 7, 34. 14, 70. 15, 34. *Io.* 1, 43. 1, 39. 20, 16.) etsi negare nolumus, et Iesum et discipulos Christi familiares facultate verba graeca intelligendi et graece loquendi haud destitutos fuisse, eosque interdum in Palaestina graece esse loquutos (*Marci* 7, 25. ff. *Io.* 7, 35. 12, 20. vd. *Paulus* progrr. Verosimilia de Iudaeis Palaestinensibus Iesu etiam atque apostolis non aramaea dialecto sola, sed graeca quoque aramaizante loquutis, Ienae, 1803.)

2) Dudum explosa est coniectura *Harduini* in comment. ad N. T. Hagae Comitum, 1741. et p. I. ff. et in prolegg. ad plures N. F. libros proposita (nuper, moderatius quidem, defensa in libro anglice scripto: Palaeoromaica etc. London, 1822. 8.), *pleraque* N. F. scripta ab ipsis auctoribus sermone *latino* consignata esse, nonnullos horum librorum, quos ipsi vel hebraice vel graece scripsissent aut dictassent, auctoritate horum virorum per amanuenses *latine* quoque esse exaratos, eumque, quo nos utamur, textum graecum, pro versione ex latino textu serius facta habendum. Refutarunt hanc sententiam historiae prorsus contradicentem *Baumgarten* in comment. vindiciae textus graeci N. T. contra Harduinum, Hal. 1742. et *Michaelis* Einl. Vol. I. p. 107. ff. ed. IV. Multo facilius defendere liceat, quod alii (praesertim *Bolten* et *Bertholdt*) probaverunt, plerosque N. F. libros *hebraice*

f. *aramaice* fcriptos effe, deinde graece translatos. Attamen. cfr., quae in ifagoge fpeciali §. 22. §. 28. §. 34. nota 10. §. 42. §. 49. nota 11. §. 87. nota 7. §. 96. ex. obfervata funt. De una Iudae epiftola probabiliter coniici vidimus (§. 104.) aramaice fcriptam effe, itemque Iacobi epiftolam, fi Apoftolo huius nominis tribuatur, pro paraphrafi liberiore epiftolae aramaice confignatae habendam (§. 90.) et libro apocalypfeos ineffe fragmenta ex apoftoli ingenio et calamo profecta, quae Ioannes hebraice vel aramaice litteris mandaffe videatur (§. 116. nota 5.)

§. 122.

Haec oratio graeca librorum N. F. innumera quidem exhibet, quae apud optimos Graeciae auctores obveniant [1]). Sed pure graeca minime poteft praedicari, five voces permultas formulasque dicendi fingulas, earumque ufum et fignificationem, five compofitionem verborum absque omni partium ftudio confideraveris, adhibita Graeciae veteris cognitione erudita et fubacta [2]). Nonnulli horum fcriptorum a ceteris ita differunt, ut indolem fermonis pure graeci accuratius exprimant [3]).

1) Fuerunt olim, qui pure graeca exiftimari vellent, *quaecunque* in N. F. legantur, nec ulla agnofcerent hebraifmorum veftigia (*Purifiae*): Sebaft. *Pfochenius* diatribe de linguae graecae N. T. puritate, Amftelod. 1629. ed. II. 1633. Iac. *Groffius* trias propofitionum theologg. ftilum N. T. a barbaris criminationibus vindicantium, Ienae, 1640. (contra *Iungii* librum: fententiae doctiffimorum quorundam virorum de helleniftis etc. Ienae, 1639.) Cfr. *eiusd.* obfervatt. pro triade apologeticae, 1640. (contra *Wulferi* l. innocentia helleniftarum vindicata, 1640.) *Eiusd.* tertia defenfio triados Hamb. 1641. (contra Io. *Mufaei* difquifitionem de ftilo N. T. 1641.) *Eiusd.* quarta defenfio triados, Hamb. 1642. (contra *Mufaei* vindicias difquifitionis de ftilo N. T. 1642) *Salmafius* liber de

hellenistica, Lugd. Bat. 1643. 8. *Eiusdem* funus linguae hellenisticae (contra *Heinsium*) eod. anno. *Eiusd.* ossilegium linguae hellenist. Lugd. Bat. 1643. 8. *Balthasar Stollberg* tract. de soloecismis et barbarismis graecae N. F. dictioni falso tributis etc. cum praefatione S. *Schurzfleisch* Viteb. 1685. 4. ed. III. 1688. 4. Sig. *Georgi* vindiciarum N. T. ab hebraismis libri tres, Francof. 1732. 4. *Eiusd.* Hierocriticus N. T. Viteb. et Lipf. 1733. 4. Conr. *Schwarz* commentarii crit. et philol. linguae graecae N. T. Lipf. 1736. 4. El. *Palairet* observatt. philologg. critt. in sacros N. T. libros, Lugd. Batav. 1752. 8. [Medium quendam tramitem ingressi fuerant Ant. *Blakwall:* auctores sacri classici defensi et illustrati; s. critica N. T. ex anglico sermone latine vertit Chr. *Wolle*, Lipf. 1736. 4. Henr. *Michaelis* diss. de textu N. T. graeco, Hal. 1707. Sermoni N. F. elegantiam vindicant, quanquam hebraismos inesse largiuntur.] Illius vero sententiae fautores, quanquam haud pauca attulerunt verissime observata, et erudite defensa, triplici tamen de causa proposito suo satisfacere nunquam potuerunt a) quod haud pauca ex iis effatis, quorum ope totam N. F. dictionem pure graecam esse demonstrari voluerunt, ex scriptis *seriorum* Graeciae auctorum depromta sunt, qui vel tempore Christi et Apostolorum, vel posthac floruerunt, b) quod haud raro *eiusdem plane generis* esse putaverunt, quae *similitudinem* tantum haberent, c) quod de multis vocibus formulisque loquendi non demonstratum est, eas apud exteros Graeciae auctores *eodem*, quo in libris N. F. obveniant, *sensu* adhiberi, etsi omnino doceretur, usurpatas fuisse apud bonos scriptores. Cfr. *Mori* acroases super hermeneutica N. T. ed. *Eichstädt*, Vol. I. Lipf. 1797. p. 195. ff. *Winer* Grammatik des neutestam. Sprachidioms, Leipzig, 1825. ed. II. p. 9. ff. Ceterum nemo facile nostra aetate existimat, de auctoritate scriptorum N. F. detrahi, si concedatur, sermonem eorum a graecitate pura deflectere.

2) Puristis (nota 1. laudd.) prorsus contradixerunt, qui *hebraistae* sive *hellenistae* dicuntur, quorum nonnulli omnino negaverunt, elocutioni N. F. quidquam inesse, quod graecitati purae recte vindicetur. Dan. *Heinsius* exercitatio de lingua hellenistica et hellenistis, Lugd. Batav. 1643. 8. Th. *Gataker* diss. de novi instrumenti stilo (contra *Pfochenium*) Lond. 1648. 4. in eius Opp.

criticis Trai, ad Rh. 1698. Io. *Vorftius* comment. de hebraifmis N. T. acc. *Vitringae* animadverff. curante F. *Fifcher*, Lipf. 1778. 8 *Fifcher* fupplementa commentarii Vorftiani de hebraifmis N. T. fpecimen I. II. III. Lipf. 1790. fq. 4. Io. *Olearius* de ftilo N. T. liber philologico-theol. auctus a Conr. *Schwarzio*, cum *Boecleri* de lingua N. T. originali differtatione, Coburgi, 1721. 8. Sam. *Werenfels* diff. de ftilo fcriptorum N. T. Bafil. 1698. in eius Opufcc. T. I. Laufan. 1739. 4. *Bang* differt. philol. inquirens in caufas, quare dictio pure graeca in N. T. praetermiffa fit, Marburgi, 1768. 4. Io. *Leusden* lib. de dialectis N. T. fingulatim de eius hebraifmis, ed. *Fifcher*, Lipf. 1792. 8. Colligendis libris polemicis Puriftarum et Hebraiftarum operam dederunt: Iac. *Rhenferd* fyntagma differtatt. philologg. theoll. de ftilo N. T. Leovard. 1702. 4. *Van den Honert* fyntagma differtationum de ftilo N. T. graeco, Amftelod. 1703. 4. Negari non poteft, huius fententiae defenfores, univerfe quidem indolem dictionis N. F. peculiarem recte perfpicientes, haud raro in fingulis erraviffe, ubi vel inter hebraifmos referrent, quae neque hebraifmi, neque graecifmi recte dicerentur, vel, quaecunque in N. F. ab ufu loquendi graeco follenni quodammodo deflectere vidiffent, confeftim prorfus aliena pronuntiarent ab oratione bonorum Graeciae auctorum (exempla multa attulit *Winer* comment. de foloecifmis, qui in apocalypfi Ioannea ineffe dicuntur, in libro: exegetifche Studien, 1. Bändchen, Leipzig, 1827. p. 144. feqq.) Magna praefertim cautio adhibenda eft in iis locis N. F. grammatice aeftumandis, quibus vitia grammatica f. foloecifmi ineffe videantur. Vd. *Schwarz* comment. foloecifmi difcipulorum Chrifti antiquati, Coburgi, 1730. add. *eiusd.* commentarii critici et philolog. linguae graecae N. F. Lipf. 1736. *Winer* comment. laud. H. *Tittmann* progr. de fcriptorum N. T. diligentia grammatica recte aeftimanda (infertum libro: de fynonymis in N. T. l. 1. Lipf. 1829. p. 198. ff.

3) Cfr. quae in ifagoge fpeciali de fcriptis *Lucae* §. 84. nota 10. §. 44. nota 3. de *epiftolis paftoralibus* §. 77. de epiftola ad *Hebraeos* §. 85. de epiftolis *Iacobi* et *Iudae* §. 91. nota 13. §. 104. obfervata funt.

§. 123.

Deprehendimus quippe in N. F. usum illius sermonis graeci serioris, qui per inperium Macedonicum inde a tempore Alexandri Magni et in ipsis Graeciae civitatibus, et in exteris Asiae et Africae regionibus inperio Macedonum subiectis in usu vitae communis exstitit [1]). Quae graecitas serior ab antiquiori eo maxime differt, quod partim, quae olim diversis Graecorum dialectis propria fuerant in orthographia, pronuntiatione, flexione nominum atque verborum, genere substantivorum, vocabulorum formis singulisque vocibus, promiscue adhibet [2]), partim haud pauca secundum analogiam recens formata usurpat [3]). Nec lingua tantum vitae communis hanc mutationem experta est, sed etiam, qui post Alexandrum M. inter Graecos scribendo inclaruerunt, etsi dialectum atticam, ceteris quippe cultiorem, sectarentur, haud pauca tamen sensim sensimque immiscuerunt, ex illa graecitate vulgari desumta [4]).

1) Idioma graecum per Macedones longe lateque divulgatum non fuit sermo atticus, sed, qualem maxime incolae regionum Graeciae septentrionalium usurpabant, mixtus linguae Macedonum vernaculae, dialecto Graecorum doricae (testantibus Grammaticis veterum) cognatae. Solebatque deinde pro diversitate regionum exterarum, in quibus sermonis graeci usus invaluit, ex linguis harum gentium vernaculis haud pauca admittere.

2) De antiquis Graecorum dialectis vd. *Matthiae* ausführliche griech. Grammatik T. I. Leipz. 1825. §. 1 — § 8. *Buttmann* ausführliche griech. Sprachlehre, 1. B. Berlin, 1819. p. 1. ff. Quemadmodum omnes Graeciae civitates *sortem communem* subierunt, quum inperio Macedonum obnoxiae redderentur; ita etiam *dialectorum*, quae olim singulis civitatibus propriae fuerant, *mistura* exstitit, invalescente prae ceteris, in usu quidem vitae

communis, dorica (vd. nota 1.) *Exempla* a) diversae vocum singularum orthographiae seriori aevo promiscue adhibitae: πιάζειν forma dorica (*Actt.* 3, 7. al.) et πιέζειν forma att. (*Luc.* ev. 6, 38.) Doricum πανδοχειον pro att. πανδοκειον *Luc.* 10, 34. Ionicum βαθμος 1. *Tim.* 3, 13. et αναβαθμος *Actt.* 21, 35. 40. pro attico βασμος et αναβασμος. Atticum φιαλη Apocal. 5, 8. al. pro Ionico et Dorico φιελη. b) flexionis nominum et verborum: attica τιθεασι, ηβουληθην, ημελλε, βουλει, οψει, dorica ἤτω 1. *Corr.* 16, 22. (pro ἔστω), ἀφέωνται *Matth.* 9, 5. (pro ἀφεῖνται), ionica γήρει *Luc.* 1, 36. (pro γήρᾳ), εἶπα. c) generis substantivorum: τα δεσμα attice *Luc.* 8, 29. al. οἱ δεσμοί ionice *Philipp.* 1, 13. d) vocum integrarum formarumque: εκτρωμα (I. *Corr.* 15, 8.) et σκορπίζειν *Io.* 10, 12. al. olim Ionica, κολλυβιστης *Matth.* 21, 12. al. Doricum, ρησσω forma ionica *Marci* 2, 22. 9, 18. pro attica ρήγνυμι quae *Matth.* 9, 17. occurrit, doricum ἀλέκτωρ (*Matth.* 26, 34. al.) pro ἀλεκτρύων, etc.

3) Extiterunt a) *flexiones novae*, v. c. ἔγνωκαν pro ἐγνώκασι (*Io.* 17, 7.) ἐδολιοῦσαν pro ἐδολιοῦν (*Romm.* 3, 13.) ἐκχεῶ pro antiquiori ἐκχεύσω (*Actt.* 2, 17. 18.) δύνῃ pro δύνασαι (*Apocal.* 2, 2) imperativus κάθου (a κάθημαι), fut. κερδήσω pro κερδανῶ al. b) *novae vocabulorum formae*, v. c. μετοικεσία (*Matth.* 1, 11.) pro μετοικησις, καύχησω (*Romm.* 3, 27. et al.) pro καυχη, γενεσια (Matth. 14, 6. Marci 6, 21.) pro γενεθλια, praesertim substantiva, quae in syllabam μα exeunt (ut ανταποδομα *Luc.* 14, 12. pro ανταποδοσις, ασθενημα Romm. 15, 1. pro ασθενεια, ψευσμα *Romm.* 3, 7. pro ψευδος), απειραστος (*Iac.* ep. 1, 13.) pro απειρατος, ελεεινος (1. *Corr.* 15, 19. Apocal. 3, 17.) pro ελεινος, πατρικος (ad *Gal.* 1, 14.) pro πατριος, ἐξάπινα (*Marci* 9, 8.) pro ἐξαπιναίως, αλλαχοθεν (*Io.* 10, 1.) pro αλλοθεν, ἀνέῳγε pro ἀνέωνται (I. *Corr.* 16, 9.) γαμηθῆναι pro γήμασθαι (*Marci* 10, 12. I. *Corr.* 7, 39.), γρηγορεῖν (saepe in N. F.) pro ἐγρηγόρειν, δεσμεῖν (Luc. 8, 29.) eodem sensu quo δεσμευειν (*Actt.* 22, 4.) ἐξυπνίζειν (*Io.* 11, 11.) pro ἀφυπνίζειν, ξενοδοχειν (I. *Tim.* 5, 10.) pro ξενοδοκειν, σαροῦν (*Matth.* 12, 44. al.) pro σαίρειν. c) *vocabula nova*, maxime composita, v. c. αγαθουργειν (*Actt.* 14, 7.) αιχμαλωτιζειν (*Luc.* 21, 24. al.) αλλοτριοεπισκοπος (I. *Petri* 4, 15.) αλεκτοροφωνια (*Marci* 13, 35.) ανθρωπαρεσκος (*Ephess.* 6, 6. *Col.* 3, 22.) αποκεφαλιζειν (*Matth.* 14, 10. al.) αροτριαν pro antiquiori αρουν (*Luc.* 17, 7. I. *Corr.* 19, 10.), διασκορπι-

ζειν (*Matth.* 26, 31. et saepius), εγκρατευεσθαι (I. *Corr.* 7, 9. 9, 25.), εκμυκτηρίζειν (*Luc.* 16, 14. 23, 34), εκτενεια (*Actt.* 26, 7.), εὐδοκεῖν (saepe in N. F.), ευκαιρειν pro σχολαζειν (*Marci* 6, 31. al.), καμμυειν pro καταμυειν (*Matth.* 13, 15. *Actt.* 28, 27.), καταλυμα (*Luc.* 2, 7. al.), οδηγειν (*Matth.* 16, 14. et saepius), παντοτε (saepenumero in N. F.) pro εκαστοτε, πανοικί (*Actt.* 16, 34.) pro πανοικησία et πανοικίᾳ, πελεκιζειν (*Apocal.* 20, 4.), στρηνιαν pro τρυφαν (*Apoc.* 18, 7. 9.) et alia. Praesertim huc pertinent substantiva cum συν composita, ut συμμαθητης (*Io.* 11, 16.), συμπολιτης (*Ephess.* 2, 19.), συμπρεσβυτερος (I. *Petri* 5, 1.) adiectiva in syllabas ινος exeuntia, καθημερινος (*Actt.* 6, 1.), οψιμος pro οψιος (*Iacobi* ep. 5, 7.), πρώϊνος (*Apocal.* 2, 28. 22, 16), verba, quae finiuntur syll. οω s. ιζω, ανακαινοω, δεκατοω, στενόω, αιχμαλωτιζω, ορθριζω, δειγματιζω, et cum παρα composita, παραβιαζεσθαι, παραδειγματιζειν, παραζηλουν, παραλεγεσθαι, etc. d) *novae vocabulorum significationes*, v. c. ανακλινεσθαι pro κατακεισθαι, accumbere (*Matth.* 8, 11. al.), αναπιπτειν eodem sensu de hominibus cibum capturis (*Luc.* 11, 37. al.), αναστροφη de ratione vitae (ad *Gal.* 1, 13. al.), αποτασσεσθαι τινι i. q. valedicere, renuntiare (*Actt.* 18, 22. et saepius), γεννημα de fructibus agrorum et arborum (*Matth.* 26, 29. et al.), επιστελλειν: *epistolam scribere*, Hebr. 13, 22. ερευγεσθαι sensu eloquendi (*Matth.* 13, 35.), παιδευειν sensu castigandi (I. *Corr.* 11, 32. al.) etc. — De his aliisque permultis ad graecitatem seriorem pertinentibus praesertim cfr. *Lobeck* in libro praestantissimo: *Phrynichi* eclogae nominum et verborum atticorum, cum notis Nunnesii, Hoeschelii, Scaligeri, Cornelii de Pauw edidit explicuit A. *Lobeck*, etc. Lips. 1820. 8. *Planck* (iunior) comment. de vera natura atque indole orationis graecae N. T. Gott. 1810. 4. *Sturz* liber de dialecto Macedonica et Alexandrina, Lips. 1808. 8.

4) Proinde elocutio graeca horum scriptorum, praeeuntibus Grammaticis veterum, appellari solet διαλεκτος κοινη, ipsique dicuntur οι κοινοι sive Ελληνες. Vd. *Buttmann* in 1. nota 1. laud. p. 5. sq.

§. 124.

Transierunt vero etiam in eam, qua scriptores N. F. usi sunt, orationem graecam haud pauca ex linguis peregrinis desumta, praesertim hebraica [1]), aramaica (syriasmi et chaldaismi), latina [2]).

1) *Hebraismi* N. F. (qua voce loquendi usus vulgaris virorum doctorum etiam *aramaismos* complecti solet, vd. §. 121. nota 1.) universe dicuntur eiusmodi voces, loquendi formulae, verba struendi rationes scriptorum sacrorum, quae hebraicas sive aramaicas tam accurate imitantur et exprimunt, ut facile pateat, cognitionem usumque linguae hebraicae et dialecti aramaicae ad graecitatem horum auctorum conformandam plurimum valuisse. Distinguimus autem duo eorum genera, siquidem usus illarum vocum, loquendi formularum, constructionum *vel* prorsus non potest aliunde derivari, quam ex hebraicis s. aramaicis, *vel*, quamvis apud profanos Graeciae auctores subinde eadem aut simillima obveniant, multo probabilius tamen apud auctores sacros ex sermone hebraico s. aram. quam ex graecis originem duxisse existimatur (quum res in facto sit posita, viros illos a pueris inde sermoni hebr. et aram. fuisse adsuetos, et plerorumque cognitionem sermonis graeci intra fines se continuisse angustiores.) Exempla generis *prioris:* a) *vocabulorum:* δεκαδύο (i. q. δώδεκα, *Actt.* 19, 7. 24, 11. secundum hebr. שְׁתֵּים עֶשְׂרֵה), ἐγκαίνια (חֲנֻכָּה *Io.* 10, 22. ἐγκαινίζειν (חָנַךְ) *Hebrr.* 9, 18. 10, 20. προσωποληπτεῖν *Iac.* ep. 2, 9. (נָשָׂא פָנִים), σπλαγχνίζεσθαι (saepius in N. F. ex hebr. רָחַם), b) *significationum novarum*, quas vocabb. graeca antiqua apud scriptores sacros ex vocibus hebraeis acceperunt, quae cum illis significatu primario conveniebant: αιων (de *tota rerum universitate*, itemque de *hoc praesenti saeculo*, et *olim futuro*, pluribus locis N. F. ex usu hebr. עוֹלָם), ἀνάθεμα (sensu malo:

homo poena divina gravissima dignus, *Romm.* 9, 3. et al. ex hebr. חֵרֶם), ἄνεμος (de *plaga coeli*, *Matth.* 24, 31. *Marci* 13, 27. ex hebr. רוּחַ), ἀποκρίνεσθαι (de eo, *qui loqui incipit*, ratione quidem habita eorum, quae antea vel dicta fuerant, vel acciderant, pluribus locis N. F. ex hebr. עָנָה), δυνάμεις (de *potenter factis*, *miraculis*, saepe in N. F. ex usu hebr. גְּבוּרָה), εἰρήνη (de *felicitate*, saepe in N. F. ex hebr. שָׁלוֹם), ἐξομολογεῖσθαι (sensu *laudandi*, *celebrandi*, *Matth.* 11, 25. al. ex hebr. הוֹדָה), κρίσις (de *iustitia* Matth. 23, 23. *Luc.* 11, 42. et de *doctrina iusta* s. *vera*, *Matth.* 12, 18. 20. ex hebr. מִשְׁפָּט), ματαιος (de *inprobo*, 1. *Petri* 1, 18.) et ματαιοτης (de *inprobitate* *Ephess.* 4, 17. ex hebrr. אָוֶן, הֶבֶל, שָׁוְא), πορευεσθαι (de *ratione vitae instituendae*, *Actt.* 9, 31. al. ex hebr. הָלַךְ). c) *dicendi formularum ex vocibus, quae per se spectatae bene graecae sunt, compositarum:* αἷμα τινος ἐκχύνειν, s. ἐκχέαι (i. q. *aliquem trucidare*, hebr. שָׁפַךְ דָּם), ἄρτον ἐσθίειν s. φαγεῖν (sensu latius patente: *cibum capere*, hebr. אָכַל לֶחֶם), ἀπέρχεσθαι ὀπίσω τινός (i. q. *aliquem sequi*, *relicto alio*, *Marci* 1, 20. al. hebr. הָלַךְ אַחֲרֵי), διώκειν τὴν ἀγάπην s. δικαιοσύνην (de *studio summo amoris* s. *probitatis*, ex usu hebr. רָדַף), ἐνώπιόν τινος (i. q. *iudice aliquo*, ubi graeci vel simplicem dativum adhibent, vel ἐν τινι, s. παρά τινι κριτῇ hebr. לִפְנֵי), ζητεῖν ψυχὴν (i. q. *vitae cuiusdam insidiari*, *Matth.* 2, 20. al. hebr. בִּקֵּשׁ נֶפֶשׁ), λαμβάνειν πρόσωπον (i. q. *rationem habere personae*, *partium studio teneri*, hebr. נָשָׂא פָּנִים), ὀφθαλμος πονηρὸς (de *invidia*, *Matth.* 20, 15. *Marci* 7, 22. hebr. רַע עַיִן), στηρίζειν πρόσωπον τοῦ πορεύεσθαι εἰς etc. (de eo, *qui apud animum constituit*, *proficisci*

etc. *Luc.* 9, 51. hebr. שׂוּם פָּנִים sq. ל), υἱός s. τέκνον *sequente genitivo substantivi* (de eo, *ad quem aliquid pertinet*, v. c. υιοι της βασιλειας, υιοι του αιωνος τουτου, υιοι του φωτος, υιοι της απωλειας, τεκνα σοφιας, τεκνα της οργης etc. ex usu hebr. בֵּן), praepositio εἰς cum accusativo post verba excitandi, educandi, constituendi loco accusativi simplicis, sive (ubi verba illa passive leguntur) pro nominativo, (v. c. *Luc.* 2, 34. *Actt.* 7, 21. al. ex usu hebr. ל), periphrasis superlativi per praepos. εν sq. dativo, v. c. ευλογημενη εν γυναιξιν (*Luc.* 1, 28.), usus voculae εἰ in formulis iurisiurandi (*Marci* 8, 12. al. ex imitatione hebr. אִם) etc. d) *constructionum, quae prorsus sunt hebraicae:* praepositio ἐν *sequente dativo personae pro accusativo*, εκλεγεσθαι εν τινι, ομολογειν εν τινι (*Actt.* 15, 7. *Matth.* 10, 32. ex usu hebrr. בָּחַר et הוֹדָה sq. ב,) απο cum genitivo rei post verba, quae notionem *edendi*, *bibendi*, *percipiendi aliquid* exprimunt, ut εσθιειν απο τινος (*Marci* 7, 28. ex usu hebr. אָכַל מִן), παρα antecedente positivo sequente accusativo ad comparativum exprimendum (*Luc.* 13, 2. ex usu hebr. מִן), *verbum* προστιθημι sequente alius verbi infinitivo, ut adverbium *iterum*, *porro*, s. *insuper* circumscribatur (*Luc.* 20, 11. sq. *Actt.* 12, 3. ex usu hebr. יָסַף), ποιειν cum praepos. μετα seq. genitivo personae de eo, qui beneficia alicui exhibet, ελεος ποιειν μετα τινος (*Luc.* 1, 72. al. ad normam hebr. עָשָׂה sq. אֵת vel עִם.) Exempla *generis posterioris:* a) *vocabulorum*, et *significationum:* δικαιος (i. q. probus), αναγκη (de angustiis, calamitatibus), εις τον αιωνα s. εις τους αιωνας, περατα της γης, ψυχη de homine ipso vivente, εις απαντησιν, alia. [Cfr. hebrr. צַדִּיק, צָרָה, לְעוֹלָם, אַפְסֵי הָאָרֶץ, נֶפֶשׁ, לִקְרַאת.] b) *dicendi formularum et constructionum:* genitivi substantivorum adiectivis circumscribendis inservientes (κριτης της αδικιας, λογοι της χαριτος, etc.), pronomen personale, pleonastice positum (v. c. *Matth.* 3, 12. οὗ τὸ

πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ), genitivus articuli τοῦ ante infinitivum h. s. *ut*, s. *ita ut* ad normam hebr. ל, praepos. εἰς cum accusativo sic adhibita, ut duae sententiae una eademque constructione comprehensae appareant (v. c. *Matth.* 2, 23. κατῴκησεν εἰς πόλιν Ναζαρέτ, h. s. quum sese contulisset Nazaretham, ibi habitavit), positivus sequente vocula ἤ pro comparativo (*Matth.* 18, 8. al.), consuetudo pro tempore finito participium huius verbi cum vb. substant. εἶναι adhibendi (v. c. ἤμην πρὸς ὑμᾶς διδάσκων *Marci* 14, 49. s. ἦν διανυκτερεύων *Luc.* 6, 12.) Cfr. quae de hebraismis perfectis et inperfectis verissime disseruit *Winer* Grammatik des neuteſt. Sprachidiom, ed. II. 1825. p. 19. ss. itemque de modo in hebraismis quaerendis servando Henr. *Tittmanni* liber I. de synonymis N. T. Lips. 1829. 8. p. 267. ss. — Exempla *Aramaeismorum:* γεύεσθαι θανάτου i. q. mortem experiri (*Matth.* 16, 28. al. מְטַעַם מִיתָא), δέειν i. q. interdicere, et λύειν i. q. permittere, (*Matth.* 16, 19. 18, 18. אֲסַר et שְׁרָה s. הַתִּיר), κοιμᾶσθαι i. q. mortuum esse (דְּמַךְ), μεγαλωσύνη de *Deo ipso maiestatis pleno* (*Hebrr.* 1, 3. רְבוּתָא), ὀφείλημα de *delicto*, *peccato* (*Matth.* 6, 12. al. חוֹבִי), ὀφειλήματα ἀφιέναι (שְׁבַק חוֹבָא). Cfr. *Kaiser* comment. qua linguae aramaicae usus ad iudicanda et interpretanda evangelia canonica novis exemplis defenditur, sectio I. Erl. 1823. 4. — Nec desunt in N. F. *Rabbinismi*, i. e. voces ac formulae graecae ad normam vocum formularumque usurpatae, quales tum temporis in sacris Iudaeorum, in precibus, in sermonibus scriptisque doctorum Iudaicorum legisque interpretum adhibebantur, v. c. ἄνωθεν (מִמַּעַל) γεννᾶσθαι (Io. 3, 3. sensu sacro), παλιγγενεσία (ad *Titum* 3, 5.), σὰρξ καὶ αἷμα hebr. דָּם וּבָשָׂר (saepius, praesertim apud Paulum, de *homine* vivente, quatenus naturam habet, quae constat carne et sanguine), πλήττεσθαι (pro ἐκλείπειν apocal. 8, 12. הֻכָּה), ἐν ὀνόματι i. q. ratione alicuius rei habita (לְשֵׁמָה), ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον (*Io.* 1, 9. al. לְעוֹלָם

כוא). Cfr. *Lightfoot* horae hebr. et talmudicae, Lipf. 1679. 4. in eius Opp. ed. II. Ultrai. 1699. ff. T. II. *Schoettgen* horae hebr. et talmudd. in N. T. Dresdae, 1733. 1742. T. II. 4. *Buxtorfii* lexicon chald. talmud. et rabbin. Basil. 1640. *Meuschenii* N. T. ex Talmude et antiquitatibus Hebrr. illuftr. Lipf. 1736. 4. — Ab *Hebraismis* et *Aramaeismis* diftinguendae funt *voces prorsus hebraicae s. aram. graecis tantum litteris scriptae* et quodammodo graece formatae, v. c. αββα, αμην, αλληλουια, γεεννα, μεσσιας, μαραν αθα, πασχα, ρακα, σαββατον et σαββατα, ωσαννα.

2) *Latinismi* (quorum origo ex poteftate fumma inperii Romani et commercio, quod illo tempore fuit, Romanorum Graecorumque perpetuo facile intelligitur): *Matth.* 12, 14. (22, 15.) λαμβάνειν συμβούλιον, *consilium capere. Marci* 15, 16. ἱκανὸν ποιεῖν τῷ ὄχλῳ, *satisfacere populo. Luc.* 12, 58. δοῦναι ἐργασίαν, *operam dare. Luc.* 14, 19. ἔχε με παρῃτημένον, *habe me excusatum. Vocabula prorsus latina*, graece quodammodo formata: ἀσσάριον, δηνάριον, κεντυρίων, κῆνσος, κοδράντης, κολώνια, κουστωδία, λεγεὼν, λέντιον, μάκελλον, πραιτώριον, σιμικίνθια, σουδάρια, σπεκουλάτωρ, τίτλος, φραγέλλιον. — De latinifmis N. F. olim in utramque partem difceptatum. Vindicarunt eos dictioni N. F. E. *Kapp* et F. *Dresig* differt. de N. T. graeci latinifmis, merito ac falfo fufpectis, Lipf. 1726. 4. Inpugnavit hanc fententiam Sigism. *Georgi* differt. de latinifmis graecae N. F. dictioni immerito afflictis, Viteb. 1732. 4. quae comment. una cum illa Kappii et Drefigii differt. inferta leg. libro *Georgii* §. 122. nota 1. laud. Hierocriticus N. F. P. II. — Obveniunt infuper in N. F. fubinde vocabula origine *aegyptia*: βαΐον, ὀθόνιον, σινδὼν, et *persica*: ἀγγαρεύειν, γάζα, μαγοι, μεγιστᾶνες, παράδεισος. Mirum omnino videri non poteft, quod Graeci et olim, quo tempore bella gererent cum Perfis, et pofthac, Macedonum inperio, cui Perfae quoque obnoxii effent, fubiecti, Perfica quaedam receperint aut graece formaverint. Itemque Iudaeis, aliquamdiu Perfarum inperio parentibus, plura innotuerant Perfica.

§. 125.

Solebant olim graecitatem N. F. itemque versionis LXX. V. T. dialectum et hellenisticam [1]) et alexandrinam [2]) nuncupare. Qui hanc dicendi formulam probarunt, primum quidem vocabulum: dialectus, cuius notio finibus continetur angustioribus, parum recte ad hanc et dialectorum et linguarum diversarum misturam transtulerunt [3]). Deinde nec praedicatum: alexandrina (eos tantum idiotismos innuens, quos homines graece loquentes, qui Alexandriae versabantur, usurpabant) [4]) apte adhibetur ad conformationem singularem totius graecitatis serioris, qualis in N. F. potissimum apparet, universe significandam; neque illud: hellenistica, satis accurate, quod volumus, indicat, sive eam teneamus substantivi ἑλληνιστης significationem, quae in libris N. F. occurrit [5]), sive de potestate ampliori verbi ἑλληνιζειν cogitaverimus [6]). Praestat, sermonem graecum N. F. hellenismum [7]) appellare ad indolem linguae hebraicae et dialecti aramaicae conformatum.

1) Commendavit hanc formulam primus omnium I. *Scaliger* in l. castigationes et notae ad Eusebii chronicon p. 134. *Probaverunt* Io. *Drusius* in adnotatt. ad Acta App. 6, 6. in Criticis sacris T. IV. p. 2193. Dan. *Heinsius* in exercitt. sacris ad N. T. Lugd. Bat. 1639. itemque in exercit. de lingua hellenistica et hellenistis, Lugd. Bat. 1643. 8. in eiusque apologia adversus Croium, 1646. *Ligtfootus* in addendis ad horas hebrr. in I. Corr. c. 14. in eius Opp. T. II. p. 929. Linguam N. F. hellenisticam dici posse inter recentiores defendit *Eichhorn* Einl. in das N. T. Vol. IV. p. 133. ff. Inprobaverunt *Salmasius*: de lingua hellenistica s. commentarius controversiam de lingua hellenist. decidens, Lugd. Bat. 1643. 8. itemque in l. funus linguae hellen. ib. eod. anno. Io. *Croius* observatt. in N. T. Genev. 1645. 4. cap. 30. ff. alii, inter

recentiores *Bertholdt* Einl. T. I. p. 155. sq. *De Wette* Einl. p. 5.

2) Dialectum *alexandr.* linguam N. F. dici maluerunt *Salmasius* in l. nota 1. laud. de lingua hellenistica, et Ern. *Grabe* in editione versionis LXX. Oxon. 1707—1729. IV. Volumm. (repetita a *Breitingero*, Tiguri, 1730.) *Inprobarunt Morus* in l. §. 122. nota 1. laud. acroases hermen. Vol. I. p. 234. *Bertholdt* et *de Wette* locis nota 1. laudd.

3) *Dialectus* quippe ex usu loquendi sollenni dicitur *linguae* cuiusdam, qua gentes s. provinciae ad eundem populum pertinentes utuntur, *idioma*, quo una illarum gentium s. provinciarum a ceteris differt, ratione potissimum habita vocabulorum singulorum, quae, vel integra, vel conformatione sua et pronuntiatione singulari, huius provinciae finibus continentur. Cfr. *Morus* acroases herm. Vol. I. p. 223. et observatio *Eichstadii* p. 231, Henr. *Tittmanni* liber 1. de synonymis in N. T. Lips. 1829. 8. p. 259. ss.

4) Quanquam ex iis, quae Alexandrinis graece loquentibus et scribentibus propria fuere (vd. *Sturz* de dialecto macedon. et alexandrina, Lips. 1809. ed. II. coll. *Heidelberger* Jahrbücher der Litter. Jahrg. 1810. 6. St.) in libris N. F. plura obveniunt, praesertim in epistola ad Hebraeos, ea tamen quae graecitatem N. F. prae ceteris insigniunt, minime possunt alexandrina appellari.

5) De vera potestate vocabuli ελληνιστης (*Actt.* 6, 1. 9, 29.) dissentiunt interpretes, *aliis* Iudaeos omnes graece loquentes sic dici existimantibus, *aliis* (rectius) eos tantum Iudaeos sermonis graeci gnaros, qui extra Palaestinam viverent, una cum proselytis ex gentilibus, *sive* Iudaeos extra Palaestinam natos, qui vel ipsi olim gentiles fuissent, vel parentes certe aut proavos haberent *olim* (religione) gentiles. Sed facile patet, probata hac utraque vocab. interpretatione, quam posteriori loco commemoravimus, graecitati N. F. parum accommodatum esse praedicatum: hellenistica, quum praeter homines, qui illo, quem diximus, sensu angustiori hellenistae dicerentur, alii quoque Iudaei permulti eiusmodi sermone graeco peregrinis mixto in vita communi usi fuerint, pluresque auctorum N. F. non pertinuerint ad exteros.

6) Quum ελληνιζειν sensu angustiori et antiquiori dicerentur, qui dialectum Graecorum maxime cultam, atticam, imitarentur, sensu seriori latius patente, qui omnino

Graecis faverent, ad ſtudia moresque Graecorum ſeſe conformarent, linguam eorum ediſcerent (*Thucyd.* 1, 6. *Xenoph.* Anab. 7, 3. 25.), oratio graeca N. F. helleniſtica quidem appellari poſſet, quatenus auctores illi, natione Iudaei, lingua ſibi peregrina (graeca) adhibenda imitarentur Graecos. Sed eodem iure hoc praedicatum transferre liceat ad graecitatem hominum cuiusque alius populi, qui uſum ſermonis graeci ſibi comparaverint.

7) Praeeuntes habemus Grammaticos veteres, Ἑλλῆνες ab Atticis diſtinguentes. §. 123. nota 4.

§. 126.

Unde ſcriptores N. F. hanc ſingularem linguae graecae conformationem acceperint, ex ipſa patet horum virorum conditione externa, et vitae ratione ab iis inſtituta. Natalibus quippe fuerunt Iudaei, eorumque plures in Palaeſtina educati, qui a pueris inde idiomati adſueſcerent aramaico [1]); ſermonem graecum, illum quidem dialectis mixtis conſtantem et varia recens formata habentem, poſt aetatem Alexandri M. divulgatum (§. 123.), uſu et conſuetudine cognoverant inter Iudaeos graece loquentes, eamque cognitionem, quum, Palaeſtina egreſſi, doctrinam divinam gentilibus traderent, magis perfecerant [2]); non ipſos tantum libros V. T. hebraicos ſed etiam verſionem LXX. legerant, eamque in docendo ſaepenumero uſurpabant [3]). Praeterea neceſſitas haud raro inſtabat, eiusmodi res graece eloquendi, quibus perſpicue et breviter exprimendis nulla earum, quae ſuppetebant, vocum graecarum apte inſerviret, praeſertim notiones doctrinae religionis Chriſtianae proprias. Unde factum, ut in libris N. F. et peregrina graece formata in auxilium vocarentur [4]), et nova vocabula graeca componerentur [5]), antiqua plura ſignificatu novo adhiberentur [6]).

1) Vd. §. 121. nota 1. Hoc fponte fecum ferebat, ut pofthac, quamcunque cogitationem fermone *graeco eloquuturi* effent, eam veluti *forma* quadam *hebraica* f. *aramaica* indutam *mente complecterentur.*

2) De plerisque certe fcriptoribus N. F. recte negatur, inbutos fuiffe lectione profanorum Graeciae auctorum, etfi haud inprobabile dixerim, Paulo, quum gentilibus edocendis operam fuam addixiffet, fubinde poëtarum graecorum volumina innotuiffe. Magis in promtu iis fuerunt fcripta apocrypha V. T. graece confignata, quorum effata auctoribus N. F. interdum ante oculos obverfata effe plures certe interpretes ex locis fingulis colligunt.

3) Verfio LXX. Alexandriae facta pluribus faecc. ante C. N. partim fermone illo graeco, quem §. 123. delineavimus, confignata eft, partim prorfus refert indolem idiomatis graeci hebraico mixti, immo ea ipfa de caufa, quod *verfio* eft antiqui foederis, a fermone graeco puro magis deflectit, quam oratio N. F. Cfr. *Eichhorn* Einl. in das N. T. Vol. IV. p. 104. ff.

4) Praefertim, ubi de moribus et inftitutis fermo fuit, quae illo tempore per *Romanos* inter Iudaeos quoque invaluerant, haud raro voces latinae erant adhibendae. Vd. §. 124. nota 2.

5) V. c. ἀγαθοεργεῖν (I. *Tim.* 6, 18.) ἀγενεαλόγητος (*Hebrr.* 7, 3.) ἁγνότης (II. *Corr.* 6, 6.) ἀλληγορεύειν (ad *Gal.* 4, 24.) ἀλλοτριοεπίσκοπος (I. *Petri* 4, 15.) δειγματίζειν (*Coloff.* 2, 15.) διακατελέγχεσθαι (*Actt.* 18, 28.) etc. Praefertim apud Paulum et Lucam eiusmodi verba obveniunt novata.

6) v. c. αγιοι (de hominibus per Chriftum Deo confecratis), δικαιοσύνη (partim de probitate univerfe, partim de ftatu hominis, qui Deo probatus eft redditus fide vera Chrifto habendā), δικαιουσθαι (Deo probatum reddi), εργα (et de factis legi Mofaicae accommodatis, et de virtute vera Chriftiana), εκκλησια (de tota focietate eorum, qui Deum verum, qualis per Chriftum patefactus eft, recte cognofcunt atque colunt), εκλεκτοι (de Chriftianis), ευαγγελιον (de nuntio laeto regni divini per Chriftum nuntiati et inftituti, itemque de tota doctrina Chriftiana), οικοδομεισθαι (incrementa capere perfuafionis verae et pietatis Chriftianae), πιστις (de fide vera Chrifto habenda), πληρουσθαι (de effatis V. T. per Chriftum eventu comprobatis), σω-

ζωῆς et σωτηρία (de ſalute vera et aeterna per Chriſtum inpetranda). Quanquam in his obveniunt, quae omnino comparari poſſint cum ſimili uſu loquendi apud Talmudiſtas adhibito. — Ad *hanc totam quaeſtionem de graecitate librorum N. F. illuſtrandam* a) pertinent, qui *de lingua N. F. univerſe* ſcripſerunt: praeter libros eorum qui dicuntur Puriſtae et Hebraiſtae (§. 122. nota 1. 2. laudd.) et *Planckii* commentationem (§. 123. nota 3. laud.) *Haab* hebraeiſch-griechiſche Grammatik zum Gebrauch für das N. T. mit einer Vorrede von *Süſskind*, Tübingen, 1815. 8. praeſertim vero *Gersdorf* Beiträge zur Sprachcharakteriſtik der Neuteſtam. Schriftſteller, 1. B. Leipzig, 1816. 8. et *Winer* Grammatik des Neuteſtam. Sprachidiom, Leipzig, 1825. 8. ed. II. *Eiusd.* grammatiſche Excurſe über die Sprache des N. T. oder: Grammatik des Neuteſt. Sprachidiom, 2. Bändchen, Leipzig, 1828. 8. b) *qui ſingulas tractaverunt quaeſtiones ad graecitatem N. F. ſpectantes:* F. *Dreſig* commentarius de verbis mediis N. T. ed. cura F. *Fiſcheri*, add. Io. *Clerici* diſſert. de eodem genere verborum, Lipſ. 1755. ed. II. 1792. Adr. *Kluit* vindiciae articuli ὁ, ἡ, τὸ in N. T. Trai. et Alcmar. P. prior, T. I—III. P. poſterior T. I. II. 1768—71. 8. *Van Voorſt* animadverſiones de uſu verborum cum praepoſitionibus compoſitorum in N. T. Pars I. et II. Lugd. Bat. 1818. 1821. 8. A. *Wolf* undecim commentatt. de agnitione ellipſeos in interpretatione librorum ſſ. Lipſ. 1800—1808. 4. Ad *Lipſius* de modorum uſu in N. T. quaeſtionis grammaticae pars I. indicativi uſum explicans, Lipſ. 1827. 8. Henr. *Tittmanni* liber egregius de ſynonymis (§. 124. nota 1. laud.) Libri de latiniſmis N. F. §. 124. nota 2. laudd. c) qui *graecitatem N. F. comparando ſermone profanorum Graeciae ſcriptorum, Philonis et Ioſephi, librorum V. et N. F. apocryphorum, patrum denique apoſtolicorum illuſtraverunt:* Ge. *Raphelii* adnotatt. philoll. in N. T. ex Xenophonte collectae, ed. II. acc. Io. *Fechtii* praefatio de ſtilo N. T. Hamb. 1720. 8. *Eiusd.* adnott. philol. in N. T. ex Polybio et Arriano collectae, Hamb. 1715. 8. *Eiusd.* commentatt. in ſacram ſcripturam etc. ex Herodoto collectae, Luneb. 1731. 8. F. *Munthe* obſervv. philol. in ſacros N. T. libros ex Diodoro Siculo collectae, Hafn. et Lipſ. 1755. 8. Bapt. *Ottii* excerpta ex Flavio Ioſepho ad N. T. illuſtrationem cura *Haverkampii*, Lugd. Bat. 1741. 8. *Krebſii* obſervv. in N. T. ex Flavio Ioſepho, Lipſ. 1755.

8. F. *Lösneri* obſervv. in N. T. e Philone Alexandrino, Lipſ. 1777. 8. F. *Kühnii* ſpicilegium Lösneri obſervv. in N. T. e Philone, Lipſ. 1785. 8. *Lamb. Bos* exercitatt. philoll. ed. II. Franequ. 1713. 8. Eiusd. obſervv. miſcell. ad loca quaedam N. T. ib. 1707. 8. Iac. *Elsner* obſſ. ſacrae in N. T. libros, T. I. II. Trai. ad Rh. 1720. 1728. 8. Io. *Alberti* obſervv. philoll. in ſacros N. T. libros, Lugd. Bat. 1625. 8. El. *Palaireti* obſervv. philoll. critt. in ſacros N. T. libros, Lugd. Bat. 1752. 8. *Eiusd.* ſpecimen exercitt. philoll. critt. in ſ. N. T. libros, Lond. 1755. 8. Dav. *Kypke* obſervv. ſſ. in N. T. libros, Vratisl. 1755. T. II. 8. Vict. *Hauff* über den Gebrauch der griechiſchen Profanſcribenten zur Erläuterung des N. T. Leipz. 1796. 8. — Io. *Hencke* de uſu librorum apocryphorum V. T. in N. T. Hal. 1711. *Kuinoel* obſervv. ad N. T. ex libris apocr. Lipſ. 1794. 8. H. *Beckhaus* Bemerkk. über den Gebrauch der apocryphiſchen Bücher des A. T. zur Erläuterung der neuteſtam. Schreibart, Lipſ. 1803. 8. Imm. *Nitzſch* de apocryphorum evangg. in explicandis canonicis uſu et abuſu, Viteb. 1808. Cfr. *Schmidt* Bibliothek für Kritik und Exegeſe 1. B. 1. St. — Sigiſm. *Baſch* de interpretatione N. T. ex patribus apoſtolicis, Lipſ. 1726. 4. A. *Frommann* interpretationes N. T. ex Hippolyto collectae, Coburg. 1765. 4. *Eiusd.* interpretationes N. T. ex Irenaeo, part. I. II. ib. 1766. 4. *Eiusd.* obſervatt. ad interpretationem N. T. ex Clemente Rom. part. I. II. ib. 1768. 4. Caſp. *Suiceri* theſaurus eccleſiaſticus e patribus graecis, ed. II. Amſtelod. 1728. T. II. d) *qui praeſertim ſermoni graeco ſeriori poſt Alexandrum M. divulgato inſerviunt cognoſcendo:* Opera ſcriptorum graecorum, qui inde a tempore Alexandri M. floruerunt, *Aeliani, Apollodori, Ariſtotelis, Arriani, Diodori, Herodiani* hiſtoriarum ſcriptoris, *Luciani, Plutarchi, Polybii, Theophraſti,* etc. Scripta *Grammaticorum* (Atticiſtarum), Phrynichi (comment. egregio *Lobeckii* illuſtrati, vd. §. 123. nota 3.), *Moeridis, Herodiani, Thomae Magiſtri.* Liber *Sturzii* §. 123. nota 3. laud. e) *qui operam utilem praeſtant ad cognoſcendum ſermonem graecum hebraiſmis mixtum, qualem iam ante tempora Chriſti Iudaei graece loquentes et ſcribentes uſurparunt:* Verſio V. T. LXX. (vd. §. 126. nota 3.) et verſionum Aquilae, Symmachi, Theodotionis reliquiae (legg. in libro: Hexaplorum *Origenis* quae ſuperſunt etc. ex mſſ. et

libris editis eruit et notis illustravit Bern. de *Montfaucon* Paris. 1713. Hexapl. Orig. quae supersunt etc. ed. notisque illustravit Fried. *Bahrdt*, Lips. et Lubec. 1769. 70. T. II. 8.) De usu versionis LXX. ad loquendi usum N. F. cognoscendum vd. Beni. *Gautzsch* specimen exercitationum grammatt. ad illustr. N. T. e versione LXX. intt. Brem. 1778. 8. F. *Schmid* versio Alexandrina, optimum interpretationis librorum sacrorum praesidium spec. I. II. Lips. 1763. 1764. 4. F. *Fischer* prolusf. quibus varii loci librorum divinorum e versionibus graecis explicantur, Lips. 1779. 4. *Wolle* differt. de parallelismo N. T. verbali cum LXX. versione caute instituendo, Lips. 1731. 4. Usum versionum graecarum V. T. philologicum et exegeticum magnopere iuvant: Conr. *Kircheri* concordantiae V. T. graecae, hebraeis vocibus respondentes, Francof. 1607. Voll. II. 4. Abr. *Trommii* concordantiae graecae versionis vulgo dictae LXX. Amstelod. 1718. Voll. II. forma max. Chr. *Biel* novus thesaurus philol. s. lexicon in LXX. et alios intt. et scriptores apocr. V. T. Hagae Com. 1779. 80. T. III. 8. Novus thesaurus philologico criticus sive lexicon in LXX. et reliquos interpretes graecos ac scriptores apocryphos V. T. post *Bielium* et alios viros doctos congessit et ed. F. *Schleusner*, T. III. Lips. 1820. 8. f) *qui sermonem N. F. cum usu loquendi talmudico et rabbinico contulerunt*: opera *Lightfooti*, *Schoettgenii*, *Buxtorfii*, *Meuschenii* (§. 124. nota 1. laudd.) g) *scholia*, partim margini codicum adscripta, partim ex scriptis patrum antiquiorum graecorum collecta (v. c. *Possini* catena in *Matth.* Tolos. 1646. *Corderii* in *Lucam*, Antverp. 1678. *Eiusd.* in *Io.* Antverp. 1630. *Victoris Antioch.* enarratio *Marci*, ed. Fr. *Matthaei*, Moscov. 1775. vd. *Nösselt* de catenis patrum graecorum in N. T. Hal. 1762. 4.); *glossaria* (*Suidae* lex. notis perp. illustr. Lud. *Küster*, Cantabr. 1705. 3. Voll. *Hesychii* lexicon cum notis doctorum virorum suas animadverss. adiecit Io. *Alberti*, T. II. Lugd. Bat. 1746. 1766. *Phavorini* lexicon cum praef. Camerarii, Basil. 1538. et Venet. 1712. Glossae sacrae *Hesychii* graece excerpsit, emendavit et notis illustr. C. G. *Ernesti*, Lips. 1785. 8. *Suidae* et *Phavorini* glossae sacrae gr. cum spicilegio glossarum ss. Hesychii et etymologici magni, congessit, emendavit et notis illustr. C. G. *Ernesti*, Lips. 1786. 8. Io. *Zonarae* lexicon ex tribus codd. nunc primum ed. et observationibus illustr. Henr. *Tittmann*, Lips. 1808. T. II. 4. *Zonarae*

glossas ss. interpretari instituit *Sturz*, Grimmae, 1818. 4. *Photii* lexicon e codice Galeano descripsit Ric. *Porson*, Lips. 1823. 8. II. Volumm. A. *Ernesti* prol. de glossariorum graecorum vera indole et recto usu in interpretatione, Lips. 1741. 4. repetita in: tempe helvetica T. VI. et in editione Hesychii ab Alberti curata supra laud.) denique *lexica N. F. recentiora*, praesertim: novum lex. graeco-lat. in N. T. congessit et variis observatt. philologg. illustravit Frid. *Schleusner*, ed. III. Lips. 1808. T. II. 8. Abr. *Wahl* clavis N. T. philologica, ed. II. Lips. 1829. 2. Voll. 8. G. *Bretschneider* lexicon manuale graeco-lat. in libros N. T. ed. II. Lips. 1829. 2. Voll. 8.

§. 127.

Elocutio [1]) quidem scriptorum N. F. haud pauca exhibet, quibus alter ab altero differat, in isagoge speciali suo loco observata. Ad isagogen universalem hoc tantum pertinet, ut a) studium praedicemus horum virorum plane et perspicue dicendi, ratione potissimum lectorum suae aetatis habita [2]), b) dignitatem elocutionis, ubique servatam, indoli rerum tractatarum prorsus [3]) accommodatam, c) facundiam naturalem, quae partim in evidentia narrationis cernitur [4]), partim in sententiis, placitis, praeceptis, quae ad doctrinam religionis morumque pertinent, ad animum commovendum altiusque tollendum apte enuntiatis [5]), d) simplicitatem orationis, quam plerique horum scriptorum, rebus tantum ipsis recte tradendis toto animo intenti, ita adhibuerunt, ut de sermonis cultu et ornatu arte quaesito omnino [6]) non cogitarent, immo interdum negligentius scriberent.

1) Sub *elocutione* intelligimus rationem, qua singuli, pro consilio dicendi sive scribendi et ipsa argumenti natura, pro desideriis lectorum s. auditorum diversis, pro indole

sensuque scriptoris sive oratoris, *linguam* quandam adhibent, ut seriem cogitationum sensuumque continuam exprimant.

2) *Voces formulasque eligere solebant* iis rebus, de quibus sermo est, lingua graeca aut graeco-hebraica exprimendis in usu loquendi vulgari maxime destinatas (quae dicitur *proprietas* sermonis.) Abstinebant ab eo genere dicendi, quod scholis doctorum proprium esset, exceptis singulis huiusmodi vocibus, quae sensim sensimque, in his illisve regionibus, scholarum scriptorumque Theologiae Iudaicae cancellos transierant. Probe tenebant singuli, quae *suis* potissimum lectoribus perspicua essent (unde v. c. neminem mirum habere potest, quod Ioannes vocem λογος sensu metaphysico de Christo adhibuerit, vd. §. 38. nota 1. §. 40. ex. sive, quod in epistolis Timotheo ac Tito scriptis voces technicae obveniant, vd. §. 77. nota 3.) *Compositio verborum* in libris historicis plerumque facilis est et expedita, in epistolis (Paulinis certe) pluribus locis inpeditior apparet (cfr. §. 49.) Sed neque totum dicendi genus epistolicum N. F. inpeditius dici potest (multa, immo plurima indolem referunt orationis, quam dicunt, fusae sive solutae), neque illa, qua loca singula premuntur, constructionis verborum difficultas totius sententiae primariae perspicuitatem tollit. Quicunque ad modum loquendi huic vel illi scriptori N. F. familiarem animum probe attenderit, eiusque effata diversa comparaverit, non destituitur praesidiis ad eiusmodi difficultates expediendas idoneis. Nemo unquam horum scriptorum *consulto* obscuriori sermone usus est.

3) Haec dignitas, ex pietate, qua viri illi summam argumenti, in quo tractando versarentur, praestantiam toto pectore sentirent, oriunda, res sacras religiose tractans, adeoque in rebus vitae communis exponendis vocem, quae notionem rei abiectae excitet, nullam usurpans, nisi necessitas efflagitet, quovis tempore fecit, ut, quicunque ad libros N. F. legendos sine partium studio accessisset, suum ipsius animum experiretur sublimiori motu agitatum.

4) Plerumque eiusmodi voces phrasesque usurpant, quae praesertim efficiant, ut sensus, gestus, facta hominum, et eventa, de quibus agitur, veluti oculis lectorum sub-

iecta appareant. Solentque homines, quos inter agendum aliquid dixisse referunt, ipsos inducere loquentes.

5) Cfr. quae de dictione epistolarum Pauli §. 49. Iacobi §. 91. Petri §. 96. Iudae §. 104. Ioannis §. 106. observata sunt. Pectus fuisse patet sensu rerum divinarum prorsus inbutum, et adfectu sacro commotum, quod eos disertos faceret.

6) Auctores librorum N. F. historicorum in narrando, praesertim *transeundo* ab una re gesta ad alteram, eiusmodi formulas retinuisse videmus, quae ipsis, Palaestinensibus, librorum V. T. historicorum gnaris, prae ceteris essent in promtu positae. Cfr. voces et phrases in evangeliis et Actis saepenumero repetitae: καὶ, δὲ, τότε, ἐν ἐκείνῳ καιρῷ, ἐν ἐκείναις s. ταύταις ἡμέραις, καὶ ἐγένετο, ὅτι etc. καὶ ἰδοὺ, ἀποκριθεὶς δὲ εἶπε, καὶ ἐρωτήσας εἶπε etc. Ipsa illa, quam laudavimus, dicendi vis et gravitas librorum epistolicorum (nota 4.), *si exceperis singularem epistolae ad Hebraeos atque Iacobi indolem rhetoricam*, nihil habet, quod artis studium scholamque redoleat. Haud raro in eadem enuntiationum serie eaedem voces ac formulae repetuntur, quamvis scriptori non defuisse aliorum vocabulorum, quibus eadem sententia exprimeretur, cognitionem usumque alia doceant effata. Alibi synonyma coniunguntur, quorum unum alterumve deesse poterat, et inter ipsas rei species vocabulum occurrit, quod notionem totius generis exprimat (v. c. *Romm.* 1, 29. ff. ad *Gal.* 5, 19. ff.) Abundantior est sermo, v. c. *Marci* 7, 36. 4, 2. *Luc.* 9, 45. (cfr. de Ioanne §. 41. nota 5. observata.) Alibi (praesertim apud Paulum) desiderantur, quae ad conformationem periodi *integram* pertineant, et inchoata verborum structura interrumpitur (*Marci* 11, 31. sq. *Romm.* 5, 12.) Quanquam libri N. F. didactici saepius, quam historici, longiori utuntur verborum comprehensione, pleraque tamen membris efferre solent brevibus, haud raro eiusdem voculae ope (v. c. και, *Coloss.* 1, 16. ff.) solutius compositis. Loco periodi proprie sic dictae omnibus numeris absolutae saepius (praesertim apud Paulum et Petrum) longa apparet series enuntiationum, quae ita cohaereant, ut singulae singulis ope particularum, pronominum, participiorum adnectantur (ut *Coloss.* 1, 9. ff. I. Petri 1, 3. ff.) Imagines subinde obveniunt non prorsus consummatae et absolutae (ea quidem ratione, quam artis regulae efflagitant), metaphorae audacius coniunctae, sermo tropicus proprio mixtus.

Caput B.

DE FIDE ET VERACITATE SCRIPTORUM NOVI FOEDERIS.

§. 128.

De fide scriptori cuidam habenda non dubitamus, nisi primum demonstratum fuerit, eum non potuisse earum rerum, quas litteris mandaverit, testimonium exhibere fide dignum. Scriptores novi foederis et in rebus gestis, iis maxime, quae ad Christum pertinerent, enarrandis veritatis testes evadere, et doctrinam Christi recte tradere potuisse, argumentis contendimus idoneis. Sive enim quaeratur de iis, quos adierint, fontibus, constat, viros illos partim testes vitae Servatoris oculatos fuisse, eiusque sermonum auditores, familiaritate Christi per triennium usos, partim per eiusmodi testes oculatos et auditores de rebus Christi eiusque doctrina certiores reddi potuisse [1]); sive animi ingeniique indolem spectaverimus ad praesidia veritatis cognoscendae aliisque tradendae recte adhibenda necessariam, et ipsa eorum scripta, et, quaecunque de factis eorum innotuerunt, viros exhibent et facultate res sensibus externis obiectas recte animadvertendi et iudicio sano instructos, eorumque suspicionem prorsus amoliuntur, qui illos vel credulos fuisse, vel opinionum, quibus semel a pueris inde inbuti fuissent, tenacissimos [2]), vel fanaticos [3]) dixerint.

1) Cfr. §. 119.

2) Primi Iesu Christi discipuli et familiares, priusquam Servator eos excitavit, ut sectatores sui fierent perpetui, in

ea conditione vitae externa versati fuerant (*Matth.* 4, 18—22. 9, 9. *Marci* 1, 16—20. *Luc.* 5, 1—11.) quae occasionem multiplicem iis praebuerat, et hominum ingenia moresque diversos, et obiecta varii generis externa, in vulgari rerum naturae serie et ordine posita observandi, *sensum*que, quem dicunt, *communem veri et recti* ita excolendi, ut profecto *idonei apparerent ad singularem ingenii morumque Christi praestantiam pectore toto sentiendam, et facta eius insignia ab iis, quae vulgo accidere viribusque humanis praestari intellexissent, probe distinguenda;* cuius rei documento id ipsum inservit, quod viri illi, testantibus evangeliis, quum Iesum et loquentem audiissent, et agentem vidissent, prorsus relicto vitae genere, quod hucusque lucro iis fuisset, doctrinae eius et disciplinae sese tradiderunt (Matth. 4, 18—22. Marcus loco par. cfr. praesertim, quae Petrus *Luc.* 5, 8. et Nathanael *Io.* 1, 50. coll. v. 47. professi sunt.) Atque res ipsa docet, eiusmodi doctorem veritatis, animorumque humanorum scrutatorem, *qualem Christum fuisse ipsi eius sermones docent in evangeliis enarrati*, non potuisse homines ingenii obtusi eligere sectatores, praecones futuros evangelii. Iidem Servatoris familiares, priusquam ad partes Christi transierant, religionis doctrinam cognoverant Iudaicam, et libros V. T. canonicos, fundamento inservientes, cui Iesus perfectiorem religionis morumque doctrinam superstrueret (quod oratio montana *Matth.* 5, 21. ss. et alia loca testantur innumera) eorumque plures Ioannis baptistae discipuli fuerant (*Io.* 1, 35. ss.) Quanquam in libris N. F. historicis plura obveniunt vestigia exspectationis Iudaicae regni Messiani terrestris, aliarumve opinionum mancarum, quibus familiares Christi a pueris inde adsueti fuerant (*Matth.* 16, 22. 20, 21. *Luc.* 19, 11. *Actt.* 1, 6. *Matth.* 14, 26. 17, 10. *Io.* 9, 2. al.), alieni tamen fuerunt ab illa pertinacia superba, quae hominem facile inpedit, quo minus opinioni erroneae, semel probatae, unquam renuntiet. Testantur quippe narrationes permultae in N. F. obviae, discipulos Christi haud raro doctorem (qui ad docendum esset promtissimus, et ad quamvis hominum inbecillitatem egregie se demitteret), precibus adiisse de sensu huius illiusve dicti amplius explicando (*Matth.* 13, 36. 15, 15. al.), probe perpendisse et animis retinuisse, quae Christus erroribus Iudaicis opponeret, praestantiam summam et efficaciam sermonum Christi suis ipsorum animis expertos esse, temporisque

successu magis magisque renuntiasse opinionibus, quae cum vera doctrinae Christi indole pugnarent (cfr. *Matth.* 17, 13. *Marci* 9, 10. *Io.* 1, 50. coll. v. 47. 2, 22. 6, 66—69. 13, 6—9. 16, 29. *Actt.* c. 10. c. 11. al.) Ad indolem veram doctrinae Christi recte percipiendam plurimum valuit, quod primi eius sectatores minime prodierant ex scholis, quae illo tempore floruerunt, doctorum rabbinicorum et Pharisaeorum (hoc sensu πτωχοι τω πνευματι *Matth.* 5, 3. sed etiam modesti, liberis similes educatori paterno se totos committentibus). De Paulo quidem constat, eum, quamdiu Christianos persequeretur, doctrinae ac disciplinae Pharis. fuisse tenacissimum. Ad Christum vero conversus eminuit inter omnes evangelii praecones alacritate summa et constantia indefessa in oppugnandis evertendisque erroribus Iudaeorum, noluitque ullam profiteri scientiam, nisi veram Iesu Christi cruci adfixi cognitionem (I. *Corinthh.* 2, 2.) — Ceterum, quomodo fieri potuerit, ut doctrina divina, quum sermonibus Christi primorum eius discipulorum memoriae et pectori tradita fuisset, seriori aevo, quo evangelia prodirent, etiam scribendo recte traderetur, §. 18. nota 7. 8. vidimus.

8) Eiusmodi mentis animique commotio sublimior, sive adfectus pius, quem religio vera excitat (qualem haud pauca effata scriptorum N. F. exprimunt) plurimum differt ab illo dicendi et scribendi genere, hominibus mere mysticis et fanaticis familiari, cuius vestigia nulla in N. F. obveniunt. Etenim, ubi scriptores N. F. *res gestas* tradunt, narrationis sermonisque genus simplex, perspicuum, sedatum adhibent (§. 120. nota 4. §. 127.), ne in iis quidem factis et eventis (*insignibus*) enarrandis Phantasiae indulgens, quae pro natura sua motibus Phantasiae excitandis facile potuerint materiem idoneam suppeditare. Ubi *placita religionis atque praecepta* tradunt et explicant, nulla captant παραδοξα, nolunt unquam eiusmodi res subtilius investigare, quae limites cognitionis humanae superent (cfr. *Coloss.* 2, 18. I. *Tim.* 1, 4. 6, 20.), neque morum praecepta tradunt rigidiora quae naturae humanae repugnent, de semet ipsis (ubi necessitas postulabat, ut eorum, quae *ipsi* docuissent, fecissent, experti fuissent, mentionem facerent) ita loquuntur, ut ubique modestos se gerant, inbecillitatem illam, cui obnoxia est natura humana, nunquam superbe dissimulantes, denique ita docere solent, ut sermoni studeant plano et perspicuo (§. 127.)

Itemque *factis* horum virorum absque omni partium studio considerandis facile refutantur, qui eos mera phantasmata pro veritate rerum amplexos esse perperam suspicati fuerint. Non cupidi fuerunt miraculorum (vd. *Reinhardi* concio sacra: wie merkwürdig es uns seyn muss, dass die Apostel Iesu nie Wunder von ihrem Herrn verlangten: *Reinh.* Predigten im J. 1803. gehalten, 2. B. Nürnberg und Sulzbach, 1804. p. 279. ff.) Quam animi modestiam scriptis suis testati sunt, eandem universa agendi ratione praestiterunt, coniunctissimam humanitati et patientiae (a moribus fanaticorum plerumque alienae), qua se demitterent, quantum fieri posset, ad opiniones praeconceptas et inbecillitatem aliorum. Tantum aberat, ut suis viribus nimium confiderent et, Phantasiae motu sensuumque vehementia abrepti, quaevis vel maxime ardua exspectarent, ut etiam per magnum temporis spatium saepius *fiduciam minus firmam* (testantibus evangeliis ab ipso Servatore notatam) proderent, animumque, quum Christus mortem in cruce subiret, abiicerent, donec eum vitae vidissent restitutum. Quovis tempore civitatis legibus paruerunt, nec unquam eorum studia vel probaverunt, vel adiuverunt, qui illa aetate res novas in republica molirentur, iugumque Romanum armorum vi decutiendum existimarent. Quanquam animo intrepido in ipsa vitae discrimina se offerebant, ubicunque sancta muneris necessitas efflagitaret, nunquam tamen (quod haud raro a fanaticis factum) prodigi vitae fuerunt, sed incolumitati suae, quamdiu fieri poterat, prudenter consuluerunt. [Quae subinde in ipsis libris N. F. de dono γλωσσαις loquendi *Actt.* c. 2. I. *Corr.* c. 14. itemque de εκστασει et visionibus *Actt.* c. 9, v. 10. 12. c. 10. c. 11. c. 16, v. 9. 10. c. 18, v. 9. c. 22, v. 17. c. 26, v. 19. II. *Corr.* 12, 1. *Apocal.* 1, 10. al. leguntur, sententiae nostrae, qua Apostolis mentem sobriam, suarumque cogitationum et consiliorum probe sibi consciam vindicamus, minime contradicunt. Perpendamus quippe a) singularem illum animi statum, cuius indicio haec eventa inserviant, Apostolos non inpedivisse, quo minus *perspicuitate* summa docerent (testantibus hoc et orationibus apostolorum, quae in Actis leguntur, et epistolis), b) satis dilucide *res ipsas* locis laudd. indicari, de quibus apostoli subinde visionibus fuerint instituti moderante providentia divina, eiusmodi institutionis praesidia illi maxime tempori et ingenio horum virorum orientali accommodata

indicante, c) rarius tantum in N. F. mentionem eiusmodi rerum factam esse, ipsumque Apostolum Paulum de pretio illius linguarum doni recte aestumando admodum sobrie iudicasse I. *Corr.* c. 14.]

§. 129.

Nec potuisse tantum, sed etiam voluisse scriptores N. F. historiam atque doctrinam Christi tradere veram, eodem iure adfirmamus. Primum quidem causa fictionis eiusmodi rerum nulla apparet idonea. Etenim, quae viri illi, natalibus et religione Iudaei, de vita Christi eiusque evangelio et narrando et docendo tradiderunt, eum pluribus opinionum illius temporis iudaicarum omnino pugnabant [1]), atque ita sese habebant, ut propagatio talis doctrinae atque historiae, sive loquendo sive scribendo fieret, non tantum utilitatem externam nullam auctoribus adferret, sed etiam vexationibus eos redderet obnoxios, adeoque vitae discrimini exponeret [2]). Deinde ipsa eorum scripta, sive effata contuleris singula, sive universam spectaveris narrandi et docendi rationem, documenta exstant luculentissima religionis [3]) ac pietatis horum virorum, studiique ingenui, huic religioni coniunctissimi [4]) veritatis sincere profitendae [5]). Itemque, quae de factis eorum innotuerunt, non permittunt, ut eos de lectoribus decipiendis et sua ipsorum persuasione dissimulanda unquam cogitasse censeamus [6]).

1) Audimus quippe videmusque Christum in evangeliis saepenumero exspectationibus Iudaeorum divulgatis ad regnum Messianum terrestre pertinentibus et agendo et loquendo contradicentem, superbiam vanam, qua plerique Iudaei regnum divinum sibi potius, Abraami posteris, quam aliis gentibus destinatum esse praedicabant, graviter inpugnantem, contra auctoritatem nimiam disputan-

tem, quam Iudaei ritibus quibusdam externis vindicare solebant, haud obscure interdum totius legis Mosaicae abrogationem aliquando futuram declarantem, fata subeuntem, quae ipsi Servatoris discipuli et familiares cum sua Messiae notione Iudaica, donec Christus in vitam rediisset, conciliari non posse existimaverant. Cfr. *Herder* Briefe das Studium der Theol. betreffend, 2. Th. (sämmtliche Werke zur Religion und Theol. 9. Th. Tübingen, 1808.) p. 186.

2) Eiusmodi sortem duriorem sibi instare, praecones huius historiae atque doctrinae praevidere facile potuerunt. Ipsi, Christum haec omnia praedixisse, testantur *Matth.* 10, 17. ff. 24, 9. ff. *Io.* 16, 2. ff. al.

3) Quaecunque scriptores N. F. et docent et praecipiunt, hominibus de rebus divinis edocendis, emendandis, tranquillitate vera inbuendis inserviunt. Nihil nisi hoc effici volunt, ut Deus et Christus in terra illustretur, hominesque fide vera et viva Christo habenda salvi reddantur. Non suis ipsorum meritis, nec sapientiae meditatione propria comparatae, sed gratiae divinae et institutioni Christi accepta referunt, quaecunque iis, regnum divinum et docendo et agendo adiuvantibus bene successerint (v. c. I. *Corr.* 15, 9. ff. II. *Corr.* 12, 9. ff. *Philipp.* 1, 19. ff. I. ep. *Io.* 1, 1. ff. al.)

4) Quum Christus, qualem historia vitae Chr. in evangeliis exposita describit, et ipse nihil antiquius haberet, quam ut veritatem sincere profiteretur, eamque incommodo proprio defenderet (tota ipsius vita terrestri causae veritatis consecranda), et animos discipulorum ubique ad Deum sanctissimum, veracem, cuivis fraudi atque mendacio inimicum converteret, verissime adfirmamus, homines, qui summa animi pietate (ex omnibus scriptis N. F. elucescente) Deum et Christum colerent, atque praeclarum Christi exemplum et sibi et aliis ubique imitandum proponerent, profecto non potuisse consulto ab illo veritatis tramite deflectere. Ipsosque audimus veritatis studium sanctissimum praedicantes, suisque discipulis iniungentes, v. c. *Luc.* ev. 1, 4. *Io.* ev. 19, 35. I. *Corr.* 13, 6. II. *Corr.* 13, 8. *Gal.* 2, 14. *Ephess.* 4, 25. I. *Tim.* 2, 7. I. *Io.* 1, 8. 2, 4. *Iac.* 3, 14. al.

5) a) Quod loca attinet singula, quae veracitati horum scriptorum declarandae praecipue inserviant, ne ea quidem

silentio praeterierunt, aut dissimularunt, quae vel ipsis, vel adeo Servatori (inter homines parum recte iudicantes) vitio verti potuissent. In libris potissimum historicis obveniunt, quae aperte et sincere profiteantur, familiares Christi et Apostolos aliquamdiu erroribus quibusdam indulsisse, praepostere aliquid iudicasse aut fecisse, ipsius Christi vituperium iustum incurrisse, v. c. *Matth.* 14, 31. 15, 16. 16, 8. ss. 23. 17, 20. 26, 40. sq. 26, 69. ss. (cfr. loca parall.) *Marci* 6, 52. *Luc.* 9, 55. ss. *Io.* 9, 2. ss. 14, 9. *Actt.* 10, 14. ss. al. Paulum, quae olim, fanatismo coeco abreptus, contra ecclesiam Christi suscepisset, aperte audimus confitentem I. *Corr.* 15, 8. 9. al. Facta et dicta Christi, in quibus qui offenderent non defuisse videmus, *Matth.* 8, 28. ss. (*Luc.* 8, 26. ss.) *Matth.* 12, 46—50. (*Marci* 8, 31. ss.) *Matth.* 16, 23. sq. *Marci* 11, 14. 20. ss. *Io.* 2, 4. (cfr. de his recte intelligendis et aestumandis interprr. horum locc.) simpliciter enarraverunt, ne addita quidem observatione, quae defensionem aliquam aut excusationem pararet. Itemque ex pluribus patet sectionibus librorum historicorum, narratione rerum gestarum admodum breviter defungentibus, scriptores illos maluisse prorsus omittere, quae ipsis vel incognita essent, vel parum explorata viderentur, quam ad traditiones incertas et fabulas (quales evangelia plura apocrypha exhibent) confugere, quibus lacuna expleretur. Observetur potissimum brevitas Matthaei et Lucae in enarrandis vitae Christi primordiis, et pueritiae fatis. — b) Quod modum narrandi attinet, quanquam dubitari non potest, consilia certa secutos fuisse scriptores historiae Christi rerumque Christianarum (§. 118.), abesse tamen videmus a scriptis eorum eiusmodi oeconomiam artificiosiorem, quae facile eam vim habeat, ut res gestae enarrandae formam certam induant consilio scriptoris accommodatam, itemque studium *meditatum* lectores quovis pacto ad haec vel illa iudicia de hominibus, quorum facta enarrantur, ferenda pronos reddendi et proclives. Ubique se gerunt scriptores id unum agentes, ut, quae ipsi *acceperint*, simpliciter aliis tradant (§. 119. §. 120. nota 4.) Quae quidem narrationis indoles quam egregie conveniat conditioni horum virorum externae, praesertim familiaritati Apostolis cum Christo intercedenti (qualem evangelia ipsa describunt) facile quisque videt. Nunquam operosius in eo elaborant, ut narrationibus suis fidem faciant apud lectores; rarius addunt (rarissime in libris historicis) quae veritati

testimonii inserviant adfirmandae (*Io.* ev. 19, 35. 21, 24. sq. 1. ep. *Io.* 1, 1. ff. II. *Petri* 1, 16. ff. *Romm.* 9, 1. I. *Corr.* c. 15. in.); neque solliciti sunt de dubitationibus lectorum vel illius vel serioris aevi praeoccupandis aut inpediendis (*Marcus* v. c. sincere profitetur 15, 44. Pilatum mirum habuisse, quod Christus, per aliquot tantum horas cruci adfixus, diem iam obiisset, quem locum plures historiae evangelicae interpretes adhibuerunt ad coniecturam, qua Servator in cruce non vere mortuus esse putaretur, probabilem reddendam, repugnante quidem loco Io. ev. 19, 34.)

6) Quanquam his viris minime virtutem perfectam cuiusque vel levioris maculae expertem vindicamus (qualem nemo illorum iactitavit), intelligimus tamen, eos summa virium contentione hoc egisse, ut omnem cogitandi, sentiendi, agendi rationem ad exemplum Christi magis magisque conformarent, nec eiusmodi vitii incusari posse, quo fides iis habenda labefactetur. Prae ceteris, quae in moribus horum virorum laudibus dignissima apparent, constantia illa spectanda est et animi fortitudo, qua discipuli et familiares Christi evangelii caussa bonis huius terrae omnibus, ipsique vitae terrestri renuntiare non dubitarunt (cfr. v. c. historia Pauli §. 48.) Eiusmodi constantiam et enthusiasmum singularem (ab omni quidem fanatismo prorsus alienum vd. §. 128.) nihil efficere potuit nisi intima eorum persuasio de veritate et auctoritate divina historiae atque doctrinae Iesu Christi. Nec licet huius argumenti gravitatem propterea in dubium vocare, quod illa de vitae honestate et pietate Apostolorum persuasio, qua veritatem testimonii, quod exhibuerunt, probari dicimus, ex ipsis eorum scriptis eruatur, de quorum fide disputetur. Illam quippe indolem animi piam non dicimus ex eiusmodi effatis cognosci, ubi scriptores consulto hoc egerint, ut probi apparerent (siquidem ipsi laudibus suis praedicandis nunquam consuluerunt), immo *sponte* apparere ex locis innumeris, diversissimi generis, inter se comparatis. Eidemque persuasioni plane consentiunt, quae aliunde (ex scriptis priscorum ecclesiae doctorum et universa traditione antiqua ecclesiastica) de iis innotuerunt.

§. 130.

Praeterea ex ipſa rerum in N. F. traditarum indole atque conſenſu cognoſcimus, ſcriptores illos utique veritatis teſtes exſtitiſſe fide digniſſimos. Etenim ſermones pariter atque res geſtae Servatoris, quales in N. F. apparent, tam ſingularem exhibent, quae in Chriſto fuerit, ingenii vim et ſublimitatem, tam praeclaram animi libertatem, opinionibus praeconceptis Iudaiſmi nullis obnoxii, tantamque morum ſanctitatem, ut facile pateat, ſcriptores novi foederis, praeſertim hiſtoricos, pro ea animi conditione, quae ex ipſorum ſcriptis eluceſcat [1]), eiusmodi hiſtoriam atque doctrinam omnino non potuiſſe Phantaſiae ope effingere. Porro, quae libris N. F. continentur, narrationes rerum geſtarum neque hiſtoriae populorum civitatumque illius ſaeculi aliunde cognitae [2]) repugnant, neque contradictionem habent internam. Immo, quicunque ſucceſſionem rerum narratarum, qualis in N. F. appareat, attente obſervaverit, ſingulorumque hominum, qui in his libris loquentes et agentes inducuntur, dicta et facta variis locis commemorata inter ſe comparaverit, facile intelligit, quo nexu alterum cohaereat alteri, et, quam egregie ſingula naturae moribusque hominum diverſis conveniant [3]). Quod narrationes earundem rerum geſtarum in N. F. obviae non ubique in iis omnibus conſentiunt, quae ad modum rei geſtae expoſitae pertinent, nemini poteſt offenſam praebere. Unum quippe idemque apparet, ſi rem primariam ſpectaveris, omnium teſtimonium [4]), eorumque veracitati comprobandae haud parum conſulit ille, quem diximus, in rebus minoris momenti diſſenſus, quum doceat, viros illos in tra-

denda historia ita esse versatos, ut nullus eorum auctoritatem alius, qui prius scripsisset, unice sequeretur, nec veluti foedere mutuo, priusquam libros ederent, constituisse, quae narraturi essent. Doctrina religionis morumque in epistolis tradita cum iis, quae Christus ipse docuisse in evangeliis perhibetur, egregie consentit, et, quaecunque Apostolorum placita in sermonibus Christi evangelicis vel prorsus non obveniunt, vel primis tantum veluti seminibus conclusa videntur, iis tamen superstructa sunt tanquam fundamento, quae familiares Christi partim ex ore Servatoris acceperant, partim vita eius contemplanda fatisque spectandis intellexerant [5]). Ceterum narrationes factorum insignium, quae miracula dicuntur, nihil continent, quo veracitas scriptorum N. F. recte inpugnetur, siquidem investigatio rei accurata absque omni partium studio instituta cuivis facile persuadet, non posse alienum videri ab omnipotentia et sapientia Numinis divini, quod per eiusmodi eventa, quae pro nostra rerum cognitione humana ex legibus viribusque naturae nobis perspectis prorsus explicari nequeant, animi hominum ad providentiam divinam, causam Iesu Christi, praesertim incunabula ecclesiae Christianae adiuvantem singulari modo convertantur.[6]).

1) Quaecunque in iis ipsis N. F. libris, qui historiam vitae Christi rerumque Christianarum describunt, de primis Iesu familiaribus et Apostolis dicuntur, viros illos tanquam homines exhibent a pueris inde vulgari Iudaeorum de regno Messiano aliisque rebus, quae ad religionem pertinent, cogitandi et iudicandi modo adsuetos, temporis demum successu persuasionem emendatam amplectentes (vd. §. 128. nota 2. §. 129. nota 1. nota 5. a.) Nec ulla in scriptis eorum (Matthaei certe, Marci, Lucae, Ioannis, Petri) vestigia deprehendimus *eiusmodi* facultatis nativae, nova plane et insolita ope Phantasiae

ſubliminora appetentis fingendi atque componendi, quae ad *imaginem hominis perfecti atque doctoris vere divini*, qualem novi foederis ſcripta, ſingulis omnibus collatis, lectori ſuppeditant, *ſponte effingendam* requireretur (§. 119. §. 120. nota 4.) In promtu eſt, viros illos Ieſum Chriſtum, qualem ex evangeliis cognoſcimus, deſcribere *non potuiſſe*, niſi ille re vera apparuiſſet, talemque vitam inter homines egiſſet. Et quanquam in *Paulo* ſingularis fuit efficacia Phantaſiae fervidioris, itemque facultas eximia, *ideas*, quae dicuntur, mente complectendi, facile tamen intelligimus, viro, qui ſectatores Chriſti fervore coeco Phariſaico perſequeretur, nunquam in mentem venire potuiſſe, ut vel ipſe effingeret, quae Chriſtus feciſſet atque docuiſſet (ipſius opinionibus prorſus contraria), vel fidem haberet huic hiſtoriae atque doctrinae, eiusque praeco indefeſſus et intrepidus exiſteret, niſi de vita Chriſti inter homines vere peracta perſuaſionem certam habuiſſet (§. 48.) Ceterum, ſi quis exiſtimaverit, ſcriptores N. F. tam eximiis ingenii animique dotibus natura fuiſſe inſtructos, ut illam Chriſti eiusque vitae imaginem praeclaram *ipſi effingere*, et eiusmodi perſuaſionem emendatam, qualem (teſtantibus iis) Chriſtus praeivit, *ipſi meditando aſſequi* poſſent; nemo tamen unquam dixerit, quae cauſa idonea viros tanto ingenii acumine, tanta ſapientia, tam perfecta honeſtatis verae cognitione praeditos impellere potuerit, ut, quam ipſi cogitando inveniſſent, perfectiorem religionis morumque doctrinam, mallent ad alium hominem referre (cuius hiſtoriam effingerent), quam *ſibi* vindicare.

2) Vd. §. 14. nota 1. Quae l. l. authentiam evangeliorum probare diximus, eadem conſulunt veracitati horum ſcriptorum illuſtrandae.

3) Obſervetur v. c. *ratio loquendi ac docendi*, quae Chriſto in evangeliis tribuitur, eiusmodi hominibus, quales primi fuerunt Servatoris diſcipuli, *ſenſim ſenſimque* ab Iudaiſmo vulgari avocandis, ad ideam regni divini perfectam attollendis, ſorti quae iis inſtabat aſperiori conſtanter ſuſtinendae praeparandis prorſus accommodata. Comparentur evangelia cum actis Apoſtt. et epiſtolis, quo pateat, quomodo familiares Chriſti, olim opinionibus variis Servatori parum probatis indulgentes, ac timidiores, *ſucceſſu temporis*, prorſus ſecundum naturam animi humani, ſingula Ieſu effata rectius intelligere, conſilium le-

gationis eius divinae accuratius indagare, spectando exitu fatorum Christi glorioso corroborari coeperint, ita, ut his omnibus enthusiasmus ille singularis quodammodo praepararetur, qui, moderante Deo, inter phaenomena externa insolita, Pentecostes die legatos Christi corriperet, ab hoc inde tempore doctrinam divinam palam et intrepide ubivis locorum praedicaturos. Quae in libris N. F. historicis de Petro, de Ioanne, de Paulo, in diversissima quidem orationis serie, modo brevius, modo prolixius enarrantur, si psychologice examinaveris, egregie inter se conveniunt, ita ut unam eandemque et indolis et morum cuiusque imaginem exhibeant; iidemque illi apparent, quales ex epistolis eorum cognoscimus.

4) Cfr. §. 19. de evangeliis universe itemque §. 38. nota 3. 4. 5. de evangelio quarto et §. 44. nota 3. b. c. de Actis Apostl. observata. De locis, ubi scriptores historiarum, profani pariter atque sacri, inter se discrepant, universe haec tenenda sunt: a) ante omnia sedulo explorandum est, accurata et docta verborum interpretatione adhibita (coniecturis quidem arbitrariis et operosius quaesitis abstinente), utrum *re vera* discrepent, an discrepare tantum iis *videantur*, qui interpretandi officio leviter et obiter fungantur; b) cavendum est, ne ex quavis *similitudine* eventuum apud scriptores diversos non eodem modo enarratorum (v. c. *Matth.* 22, 34—40. *Marci* 12, 28—34.) confestim colligamus, scriptores illos *eandem rem gestam* ita exposuisse, ut uterque in modo eiusdem rei enarrando ab altero dissentiret, siquidem facile fieri potuit, ut res simillimae diversis locis temporibusque acciderent (vd. G. *Crome* Beyträge zur Erklärung des N. T. 1. Bändchen, Göttingen, 1828. 8. p. 7. ff.); c) silentium, quo scriptor rem gestam ab altero expositam transiit, minime potest suspectum reddere, quod hic narraverit, nisi demonstretur (quod *saepenumero* magis ponitur, quam demonstratur), hoc eventum non tantum illi, qui narrationem eius omiserit, *innotescere debuisse*, sed etiam, si cognitum ipsi persuasumque esset, *silentio praeteriri non potuisse* (quaeritur potissimum, an uterque historiarum scriptor eundem prorsus finem primarium consequi, iisdemque lectorum desideriis inservire voluerit); d) ubi duo pluresve scriptores *idem factum* sive *eventum* ita exponunt, ut de rebus quibusdam singulis (de caussis, prae-

fidiis, tempore, loco, hominum; qui interfuerint, numero, nominibus, verbis singulis, quae hic vel ille pronuntiaverit) diversa exhibeant, non sequitur, ipsius facti s. eventi veritatem in dubium esse vocandam, nisi illae, de quibus dissentiunt, res singulae cum re primaria eiusmodi nexu cohaereant, ut, quum de his ambigatur, factum ipsum appareat dubium, nec plures eiusdem rei gestae modi cogitari possint, ideoque traditionis vagae s. fabulae, ex qua narratio *tota* originem duxerit, suspicio iusta excitetur (sed huius rei exempla nulla in iis effatis N. F. obveniunt, quae narrationes eiusdem rei gestae diversas exhibent); e) si qua *narratio* ab altera (eiusdem facti s. eventi) discrepat, non illico dici potest *narrationis auctor* alteri hac in re contradixisse, eiusque effatum inprobasse (quaeritur enim, an compertum habuerit, illum hac de re aliter exposuisse); f) iniuste agunt, qui scriptori historiarum propterea, quod hic vel illic rem gestam minus accurate loquendo exposuerit, aut memoria (in rebus minoris momenti) lapsus fuerit, fidem denegari volunt. Exploranda est universa, quam tenuit, ratio historiae scribendae. Vd. de his quaestionibus *Mori* acroases super hermeneutica N. T. ed. *Eichstädt*, Vol. II. Lips. 1802. p. 22. ss. Henr. *Tittmann* progr. de fide historiae Domini ex fide librorum N. T. recte aestumanda, Lips. 1817. 4.

5) Ad hanc quaestionem uberius illustrandam adhibendi sunt, qui de Theologia scripserunt biblica, praesertim V. *Baumgarten-Crusius* Grundzüge der biblischen Theologie, Jena, 1828. 8. p. 72. ss.

6) Argumenta, quibus haud pauci fidem narrationibus miraculorum in N. F. obviis habendam inpugnaverunt, praecipue adnexa sunt quaestioni diu multumque agitatae, an omnino eiusmodi res insignes unquam accidisse recte credantur. Neque negari potest, haud exiguis difficultatibus rem inpediri, si quis eventum, quod dicitur, miraculosum nonnisi tollenda aut suspendenda lege, quam Deus ipse ab aeternis inde naturae et ordini rerum scripserit, accidere posse existimet, aliamve sequatur miraculi notionem arbitrariam. Sed meam de his rebus persuasionem ingenue professus sum in l. Briefe über Religion u. s. w. Jena, 1826. 8. epistola VII. et VIII. Quantopere insuper narrationes scriptorum N. F. de rebus in-

ſigniter factis eodem orationis genere ſimplici et pacato commendentur, quo alia quaevis eventa in N. F. videmus expoſita, ad §. 128. nota 3. obſervatum eſt. Neque *cupidos* fuiſſe ſcriptores N. F. miraculorum enarrandorum ea potiſſimum loca docent, quibus praeſidia quaedam commemorantur in aegrotis ſanandis adhibita, *Marci* 6, 13. 7, 33. 8, 22. ſſ. *Io.* ev. 9, 6. 7. Itemque cuivis facile elucefcit diſcrimen haud exiguum, quo narrationes illae N. F. a traditionibus fabuloſis, quae in pluribus evangeliis actisque apocryphis et pſeudepigraphis proferuntur, differunt. — Ceterum ſalva manet veracitas horum ſcriptorum, etſi pluribus recentiorum N. F. interpretum concedatur, eam de rebus quibusdam externis earumque cauſis et nexu iudicandi rationem, cui ſcriptores illi a pueris inde adſueti eſſent, ad *modum narrandi conformandum*, aliquam vim exſerere potuiſſe. Modo haec ſententia limitibus iuſtis coerceatur. Quo minus enim ſcriptores illos, quae vel ipſi vidiſſent et audiiſſent, vel a teſtibus fide dignis accepiſſent, conſulto, opinionibus ſemel probatis indulgentes, vel narrando omiſiſſe, vel prorſus immutaviſſe ſuſpicemur, argumenta his §. §. pertractata inpediunt. De eiusmodi tantum rebus ſingulis ad facta ſ. eventa enarrata pertinentibus, in quibus (quum ipſae non pateant ſenſui externo) *ſola conclusio* locum habet, coniicere licet, indicium ſcriptoris ad *modum* rei definiendum et oratione exprimendum aliquid contuliſſe. V. c. ſi ad opinionem Iudaicam referatur, quod Matthaeus, Marcus, Lucas, pluribus locis homines *daemoniacos* per Chriſtum ſanatos commemorantes, *cauſam* horum morborum ab efficacia daemonum malorum repetendam indicant, nihil tamen veritati detrahitur teſtimonii, quo perhibent, *homines aegrotos (quaecunque tandem fuerit indoles morbi) Chriſtum adiiſſe eiusque auxilio inſigni convaluiſſe* (haec enim res in facto poſita *intuendo* cognoſci poterat, illam vero, quam diximus, aegritudinis cauſam *coniiciendo* aſſequebantur ſecundum Iudaicam de efficacia daemonum malorum perſuaſionem.) Aut, ſi rationi et loquendi et iudicandi Iudaicae tribuas, quod *Io.* ev. 5, 4. *angelus* ſtatis temporibus in piſcinam (Bethesdam) deſcendiſſe, et aquas turbando aegrotis ingredientibus ſalutares reddidiſſe, et *Actt.* 12, 23. *angelus* Herodem regem percuſſiſſe dicitur, ſalva tamen manet ipſius rei geſtae narratio, aquas illas ſalutares fuiſſe aegrotis, illumque regem morbo letali adflictum ſubito diem obiiſſe.

§. 131.

Denique, quo iure ſcriptoribus N. F. fidem habeamus, ex eo cognoſcitur, quod hiſtoria antiquior neminem profert, qui probatum iverit, viros illos hiſtoriam de Chriſto vel prorſus fictam vel pro lubitu exornatam et amplificatam enarraviſſe; quanquam, ſi quid mentiti eſſent, ea potiſſimum aetate, qua libri N. F. edebantur, et tempore proxime inſequuto refutari fraudisque convinci facile potuiſſent. Neque patet, quomodo tandem, ſi quid fraudulenter vel egiſſent, vel docuiſſent, ſaeculo I. et II. tanta exiſtere potuerit ſectatorum huius novae religionis multitudo, in quibus haud pauci verſarentur iudicii acumine praediti litterarumque graecarum et romanarum ſtudiis inbuti. Accedunt teſtimonia rerum Chriſtianarum ſingula, in ipſis eorum voluminibus obvia, qui alieni fuerunt a religione Chriſtiana, qui eam ludibrio habuerunt, aut refutare conati ſunt, ſaeculo quidem I. et II. Ioſephi [1]), Taciti [2]), Plinii Secundi [3]), Suetonii [4]), Luciani [5]), Celſi [6]), ſaeculo III. Porphyrii [7]), et Hieroclis [8]), ſaeculo IV. Iuliani Caeſaris [9]), Chalcidii [10]), Macrobii [11]). Unde factum ſit, ut ſcriptores profani ſaeculi I. et II. (quantum ex ſcriptis, quae aetatem tulerunt, cognoſcere licet), rerum illarum mentionem rarius iniicerent, facile intelligitur ex ea, quae tum temporis inter Graecos et Romanos divulgata fuit [12]), de Chriſtianis eorumque ſacris iudicandi ratione [13]).

1) Illius quidem teſtimonii de Ieſu Chriſto admodum inſignis, quod vulgo apud *Ioſephum* antiquu. Iudd. l. 18. c. 3. §. 3. legitur, authentia dubitationibus graviſſimis eſt obnoxia, cum ex ipſa totius loci indole, placitis Ioſephi aliunde cognitis comparata, totiusque narrationis c. 3. ſerie, tum extrinſecus oriundis. Cfr. *Eichſtaedt* Fla-

viani de Iesu Chr. testimonii αὐθεντία quo iure nuper rursus defensa sit (contra defensionem a *Bretschneidero* in l. capita theologiae Iudaeorum etc. Lips. 1812. 8. exhibitam) progr. I. II. III. Ienae, 1813. Recentius iterum Iosepho hoc testimonium vindicare studuit F. *Böhmert* über des Flav. Iosephus Zeugniss von Christo, Leipzig, 1823. 8. Cfr. quae Censor huius libri opposuit: *Winer* und *Engelhardt* neues krit. Journal der theolog. Litter. 2. B. 1. St. Sulzbach, 1824. p. 95. ss. Attamen ad rem nostram omnino pertinet locus *Iosephi* antiquu. Iudd. l. 18. c. 5. §. 1. 2. ubi de Ioanne baptista et Herode Antipa enarrat, quae cum historia sermonum, factorum, fatorumque baptistae in evangeliis nostris obvia conveniunt. Cfr. antiquitt. Iudd. l. 20. c. 9. §. 1. ubi Iacobus quidam, ἀδελφὸς Iesu, Hierosolymis martyrium subiisse narratur (vd. isag. specialis §. 89. nota 7. 8.)

2) Ubi de persecutione Christianorum *Neroniana* sermo est (apud *Tacitum* Ann. l. 15. c. 44.) breviter narratur Christus, nominis Christianorum auctor, Tiberio inperante, per Procuratorem Pontium Pilatum, supplicio esse adfectus.

3) Ex *Plinii* epp. l. 10. ep. 96. praesertim huc pertinet locus, ubi Christiani statis diebus ante lucem convenisse, carmenque Christo, quasi Deo, dixisse, et sacramento se obstrinxisse leguntur, ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent etc. Authentiam epistolae egregie defendit *Gierig* in editione: Plinii Sec. epistolarum libri decem, recensuit notisque illustravit, T. II. Lips. 1802. 8. p. 498. ss.

4) Parum accurate quidem *Suetonius* familiam Christianorum cognovit, praeeuntibus iis, quae in vita *Neronis* c. 16. et vita *Claudii* c. 25. de Christianis eorumque duce *Chresto* obiter attulit.

5) *Lucianus* (quem animo erga Christianos infenso fuisse, contra *Kestnerum* verissime docuit V. *Eichstädt* in progr. Lucianus num scriptis suis adiuvare religionem Christianam voluerit, Ienae, 1820. 4.) inter ipsa, quibus Christianos insectatur, ludibria perhibet, eos, relictis Graecorum Diis, Sophistam (Iesum intelligit) in Palaestina crucifixum, novorum sacrorum auctorem colere, ex legibus eius vivere, mortem contemnere, immortalitatem et animi et corporis sperare, se invicem fratres habere, in libro de

morte Peregrini c. 11—13. T. III. ed. Reiz. p. 233. ff. Cfr. A. *Zeibich* duae commentatt. Lucianus Christi redemtoris testis, Gerae, 1762. 4.

6) *Celsus* Philosophus in libro Christianis opposito λογος αληθης, cuius epitomen *Origenis* octo libri contra Celsum scripti exhibent, quanquam non tantum placita multa religionis Christianae inpugnat, sed etiam, quae ad historiam Christi eiusque Apostolorum pertinent, saepenumero male detorquet et ludibrio habet, plura tamen huius generis facta sive eventa ita commemorat, ut pateat, eum non habuisse, quod veritati historiae opponeret. Concedit, a) Iesum matrem habuisse mulierem pauperem Iudaeam, quae virgo diceretur, patremque fabrum lignarium (etsi de probitate Mariae parum honorifice loquitur, traditiones Iudaeorum sequutus), b) Iesum Nazarethae diutius habitasse, et per Ioannem baptistam lotionem subiisse sacram (fidem denegat iis, quae de phaenomenis externis illo tempore apparentibus in evangeliis leguntur), c) Iesum eiusque legatos facta edidisse insignia (suo quidem modo haec facta interpretatur, negatque, auctoritatem Iesu divinam iis comprobari), d) Iesum, quum coenam paschalem ultima vice celebrasset, arduumque certamen internum subiisset, per Iudam hostibus proditum, cruci adfixum vere mortuum esse (haud pauca proferuntur, sed explicando detorquentur, quae evangeliorum auctores de malis Christi ultimis habent), e) Iesum sepultum esse, posthac iterum nonnullis apparuisse (negat, eum re vera ex mortuis prodiisse, nullo quidem veracitatis testium huius eventi examine instituto), f) familiares Christi, homines inferiorum ordinum, parumque cultos, quamdiu ipse in terra versaretur, assidue eum comitatos esse, g) sectatores Christi, olim exiguos numero, aliquamdiu concordes fuisse, posthac, quum numerus invaluisset, de variis rebus dissensisse. Vd. *Origenes* contra *Celsum* l. 1. §. 28. 32. ff. 41. 62. 68. l. 2. §. 15. 16. 23. 24. 36. 39. 55. 75. l. 3. §. 10. l. 7. §. 13. l. 5. §. 52. al.

7) *Porphyrius* in paucis, quae nonnulli servarunt, fragmentis quindecim librorum Christianis oppositorum, plura de Christo eiusque legatis in N. F. perhibita ita commemorat, ut veritatem historiae minime inpugnet, sed ex his ipsis narrationibus depromat, quae Christo et Apostolis vitio vertenda existimet. Vd. *Hieron.* comment. ad *Matth.* 9, 9. 14, 35. *Io.* 7,10. *Eusebius* praepar. evang. l. 5. c. 1.

8) *Hierocles* in libro deperdito (cuius refutatio ab Eusebio scripta aetatem tulit) λογος φιλαληθης minime negavit, Iesum facta edidisse insignia (quanquam facta Apollonii Tyanensis his aequiparanda censuit), dixitque, eum ab hostibus esse comprehensum et cruci adfixum. Vd. *Eusebii* liber contra Hieroclem, adiectus eiusd. demonstrationi evangelicae ed. Colon. 1688. inde a p. 511. *Lactant.* institt. divv. l. 5. c. 2. c. 3.

9) *Iulianus*, cuius septem libros contra Christianos editos *Cyrillus* refutavit *Alexandrinus* (decem libris υπερ της των χριστιανων ευαγους θρησκειας etc.) vera agnoscit, quae *Lucas* ev. 2, 2. perhibet (*Cyrillus* l. laud. l. 6. p. 213. ed. Spanhem.), concedit, Iesum aegrotos multos sanavisse (quanquam haec negat facta fuisse extraordinaria, *Cyrill.* l. 6. p. 191.), plura commemorat facta et eventa in Actis App. et epistolis obvia, quorum historiae veritatem ponit (*Cyrill.* l. 9. p. 314. 325. l. 6. p. 206. al) Vd. *Krebs* de argumentis pro veritate et praestantia religionis Christianae ex Iuliani reliquiis, in eius opuscc. acadd. scholastst. p. 325. ss.

10) Cfr. quae *Chalcidius* in comment. ad Timaeum *Platonis* c. 7. de stella fulgida perhibet, quae Iesum Christum natum indicavit.

11) *Macrobius* in saturnal. l. 2. c. 4. testimonium perhibet historiae caedis puerorum Bethlehemiticorum (*Matth.* 2, 16.)

12) Satis diu quippe Romani et Graeci, Iudaeos vulgo contemnentes, eorumque historiam, doctrinam, instituta parum curantes, Christianos *sectam* tantum habuerant *Iudaicam*, nec cupidi fuerant res Christianas accuratius cognoscendi, praesertim, quum plerique eorum, qui primis temporibus Christo nomen dedissent, homines essent inferiorum ordinum. Posthac, ubi discrimen magnum Christianorum et Iudaeorum magis intellectum fuerat, plurimi, religionum publicarum novitati ac diversitati adsueti, in sacris Christianorum nihil singulare animadverterant. Nec pauci, Christianis vel propter crimina ab adversariis malignis in eos congesta, vel ea de causa, quod sacra publica moresque gentilium fugerent, graviter indignantes, hoc ipso inpediebantur odio, quo minus causam eorum accuratius investigarent. Insignem totius de religione sentiendi et iudicandi rationis conversionem, sacrorumque graecorum et romanorum abrogationem per

Christianos esse futuram plurimi tum temporis nondum augurabantur. Cfr. *Tzschirner* tres commentatt. graeci et romani scriptores cur rerum Christianarum raro meminerint, Lipsiae, 1824. 25. 4.

18) Cfr. ad hanc §. F. *Buddeus* comment. de veritate religionis Christianae philosophorum gentilium irrisione confirmata, in miscellaneis sacris T. I. *Nüscheler* tentamen veritatem doctrinae Christianae scriptis adversariorum confirmandi, Tiguri, 1792. G. *Meyer* Versuch einer Vertheidigung und Erläuterung der Geschichte Jesu und der Apostel allein aus griechischen und römischen Profanscribenten (eine gekrönte Preisschrift), Hannover, 1805. 8. — De fide et veracitate scriptorum N. F. praeter eos, qui in Gallia et Anglia religionem Christ. eiusque documenta inpugnaverunt (vd. *Stein* in l. infra laud. Apologetik etc. p. 19. ff.) in *Germania* dubitationes excitaverant libri notissimi: vierter Beytrag zur Geschichte und Litteratur, aus den Schätzen der Wolfenbütteler Bibliothek, herausgeg. von Ephr. *Lessing*, Braunschweig, 1778. 8. Vom Zweck Jesu und seiner Jünger, noch ein Fragment des Wolfenbütteler Fragment. herausg. v. *Lessing*, Braunschw. 1778. Fragmente des Wolfenb. Ungenannten, ein Anhang zu dem Fragmente vom Zwecke Jesu bekannt gemacht v. Lessing, Berlin, 1784. Uebrige noch ungedruckte Werke des Wolfenb. Fragmentisten ein Nachlass von *Lessing*, herausg. von E. *Schmidt*, Braunschweig, 1787. Et his, et aliis, qui eundem tramitem ingressi fuerant, refutandis inserviunt scripta *Lardneri*, *Lessii*, *Noesselti*, *Paleyii*, *Kleukeri* ad §. 14. sub finem notae 2. commemorata, itemque: *Duchal* Vermuthungsgründe für die Wahrheit und das göttliche Ansehen der christl. Rel. aus dem Englischen, Zürich, 1767. 8. *Töllner* Versuch eines Beweises der christlichen Religion für Jedermann, Mietau, 1772. *Münter* Unterhaltungen eines nachdenkenden Christen mit sich selbst über die Wahrheit und Göttlichkeit seines Glaubens, Hamburg, 1775. 76. C. *Lavater* Nathanael, Winterthur, 1786. *Seiler* der vernünftige Glaube an die Wahrheit des Christenthums, Erlangen, 1795. *Wizenmann* die Geschichte Jesu nach dem Matthaeus als Selbstbeweis ihrer Zuverlässigkeit betrachtet, ein nachgelassenes Werk mit Vorrede von *Kleuker*, Leipzig, 1789. Ad. *Krummacher* über den Geist und die Form der evangelischen Geschichte, Leipzig, 1805. p. 42. ff.

Chr. *Storr* Lehrbuch der chriſtlichen Dogmatik, in das Deutſche überſetzt mit Erläuterungen und Zuſätzen von Chr. *Flatt*, ed. II. Stuttgart, 1813. T. I. prolegg. W. *Stein* Apologetik des Chriſtenthums als Wiſſenſchaft dargeſtellt, Leipzig, 1824. p. 215. ſſ.

§. 132.

Proinde ſcripturam ſacram novi foederis auctoritatem humanam habere veriſſime adfirmamus. De authentia quippe horum librorum iſagoge ſpecialis diſſeruit [1]). Scriptores ipſos fidos eſſe et veraces modo demonſtratum eſt. Quod vero integritatem textus N. F. attinet, negari quidem non poteſt, ſi de toto quaeratur ambitu eorum, quae apoſtoli unquam litteris mandaverint, non quodvis ſcriptum apoſtolicum aetatem tuliſſe [2]), itemque, ſi diſputatio de integritate ad ſectiones verſusque ſingulos transferatur, ſubinde (quanquam rarius) ſucceſſu temporis additamenta quaedam maiora in textum N. F. primitivum irrepſiſſe [3]), et ſatis mature in exemplaribus magnam exſtitiſſe lectionum diverſitatem, vocibus ſingulis modo addendis, modo omittendis, modo permutandis, modo transponendis, partim ex erroribus ſcribentium [4]), partim ex corrigendi ſtudio [5]) oriundam. Attamen, quae eccleſia antiquior colligenda curavit, apoſtolica (vel ubique, vel in pluribus certe regionibus) agnovit, poſthac canoni adſcripſit, etiamnum habemus [6]), nec ulla in his apparent veſtigia, quae ſuſpicari nos iubeant, in ſcripto quodam apoſtolico deperdito ea fuiſſe litteris conſignata, quibus amiſſis doctrina atque hiſtoria Chriſti recte cognoſci non amplius poſſet. Illa vero, quam in ſingulis factam videmus, textus primitivi immutatio non inpedit, neque incer-

tum reddit ufum horum librorum. Etenim in univerfa rerum Chriftianarum hiftoria nihil occurrit, quo fufpicio moveatur, vel eos, qui fidem ecclefiae orthodoxam fequerentur, vel haereticos confiliis compofitis in eo elaboraffe, ut textum integrarum fectionum librorumve fecundum placita fua arbitrarie conformarent [7]), docentque ipfae controverfiae, quae doctoribus ecclefiae orthodoxae cum Chriftianis ab illa fide deflectentibus fuerunt, quam diligenter utriusque generis Chriftiani fe invicem obfervaverint, et veluti cuftodierint, ut viderent, an forte altera pars textu N. F. uteretur hic illic depravato et arbitrarie immutato [8]). Deinde, etfi in fingulis fere commatibus lectiones variae obveniunt, textus tamen univerfe fpectatus, quod rem primariam attinet, ubique idem apparet; plerumque illa fcripturae diverfitas ita fe habet, ut, probata vel hac vel altera lectione, elocutio potius, quam ipfa fententia aliter conformata videatur; rarius effata obveniunt, ubi probatio facti cuiusdam primarii, aut placiti Chriftiani a lectionis delectu pendeat [9]), nec ullam perfuafionis noftrae Chriftianae partem eiusmodi locis probantibus deftitutam videmus, quorum ufus nulla lectionum diverfitate reddatur ambiguus. Denique praefidia fuppetunt critica [10]), quorum ope, ubi fcriptura apparet diverfa (iis potiffimum locis, quorum lectio varia ad ipfam fententiam valet conformandam), de lectione vera iudicium vel certum vel admodum probabile pronuntiari poffit.

1) Argumenta et interna et externa nobis perfuaferunt, a) *plerosque* libros N. F. iis, quibus vulgo tribuuntur, auctoribus recte vindicari, b) *nonnullos*, de quorum origine dubitetur, a familiaribus certe apoftolorum fcriptos effe, c) *omnes* ad aevum pertinere apoftolicum.

2) Cfr. quae §. 54. nota 5. §. 60. nota 5. de epistolis deperditis, quas Paulus ad Corinthios et Laodicenos dederat, observavimus, et §. 59. nota 3. de capite postremo epistolae ad Romm. coniecimus.

3) Cuius generis est pericope *Marci* ev. 16, 9—20. (vd. isag. spec. §. 30.), locus *Io.* ev. 5, v. 3. ἐκδεχομένων etc. et v. 4. itemque sectio *Io.* 7, 53—8, 11. (§. 43.), effatum I. *ep. Io.* v. 7. 8. εν τω ουρανω — εν τη γη.

4) Errorum causae fuerant variae: a) oculi scribentium litteras similes parum distinguentes, itemque ab uno vocabulo ad aliud simile, sive ab uno enuntiationis membro ad aliud, eandem vocem iterum continens (omissis, quae interiecta essent) aberrantes, v. c. *Matth.* 11, v. 2. δια pro δυο, ib. v. 18. 19. omissio verborum και λεγουσι etc. usque ad εσθιων και in quibusdam codd. facta, *Romm.* 12, 13. μνειαις pro χρειαις, ib. 1, 13. καρπον τινα pro τινα καρπον. b) aures verba dictata minus recte percipientes, praesertim ea litterarum graecarum pronuntiatione, quam ithacismum dicunt, deceptae, v. c. *Romm.* 2, 17. ἴδε pro εἰ δε, *Matth.* 27, 60. κενω pro καινω, I. *Petri* 2, 3. χριστος pro χρηστος. c) memoriae lapsus, quales facile accidere poterant librario, non quamvis vocem singulam in codice describendo propositam confestim calamo sequenti, sed plura vocabula (vel lecta, vel etiam ex ore dictantis accepta) simul animo complectenti, v. c. *Matth.* 5, 47. φιλους pro αδελφους, ib. 9, 8. εφοβηθησαν pro εθαυμασαν, *Actt.* 20, 28. του θεου pro του κυριου. d) coniunctio aut divisio litterarum et syllabarum perperam facta (in antiquissimis quippe codicibus nulla apparebant vocabulorum intervalla), v. c. *Romm.* 7, 14. οἶδα μεν pro οἴδαμεν, *Philipp.* 2, 4. εκαστοις κοπουντες pro εκαστος σκοπουντες. e) interpretatio falsa compendiorum scripturae in exemplaribus vetustis usurpatorum, v. c. *Romm.* 12, 11. καιρω pro κυριω (ex compendio script. κω), I. *Timoth.* 3, 16. θεος pro ὅς. f) permutatio eorum, quae margini exemplaris vel illustrandi vel comparandi causa addita legebantur, cum verbis ad ipsum textum pertinentibus, v. c. quod *Actt.* 1, 12. post οδον in codice quodam apparet: τοσουτον ον το διαστημα, οσον δυνατον ιουδαιον περιπατησαι εν σαββατω, *Romm.* 13, 5. lectio triplex: διο υποτασσεσθε, διο αναγκη υποτασσεσθε, (vulgata) διο αναγκη υποτασσεσθαι.

5) Non defuerunt librarii, qui orationem loci, quem describerent, novi foederis, quum minus bene graeca, aut

obscurior, aut abundantior videretur, emendandam putarent, maxime, ubi mutatione levi fieri posset, v. c. *Actt.* 20, 3. εγενετο γνωμης pro εγενετο γνωμη, *Matth.* 15, 32. ημερας τρεις pro ημεραι τρεις, *Marci* 12, 23. εν τη αναστασει pro lectione magis verbosa εν τη αναστασει, οταν αναστωσιν, I. *Petri* 2, 20. κολαζομενοι pro κολαφιζομενοι (exempla permulta correctionum grammaticarum praesertim in textu apocalypseos obveniunt.) Aliarum mutationum, omissionum, additamentorum caussa haec fuit, quod in ipsa sententia, quam textus exhibebat, offendebatur, v. c. *Marci* 2, 26. pro επι αβιαθαρ του αρχιερεως legi voluerunt επι Αβιμελεχ ἀρχιερ. omittentibus aliis vel prius επι αβ. vel posterius του αρχιερεως, aliis ιερεως pro αρχ. habentibus, *Matth.* 27, 9. nomen ιερεμιου apud plures omittitur, nonnulli exhibent Ζαχαριου, *Io.* ev. 7, 39. post ουτω γαρ ην πνευμα αγιον, varia apud plures adduntur: επ' αυτοις, s. επ' αυτους, s. δεδομενον, s. δοθεν. Nec raro ex locis parallelis aliquid receptum est, quo narratio magis integra existeret, v. c. *Actt.* 9, 5. post ιησους addebatur ο Ναζωραιος ex *Actt.* 22, 8. itemque post verba ον συ διωκεις inserebatur ex *Actt.* 26, 14. σκληρον σοι προς κεντρα λακτιζειν. Interdum etiam, ex quo tempore doctrinae formula publica subtilius constitui coeperat, rationes dogmaticae aliquam vim habuisse videntur ad lectionem loci conformandam, v. c. *Marci* 13, 32. vbb. ουδε ο υιος et, quae vulgo *Luc.* ev. 22, v. 43. 44. leguntur, in nonnullis codd. omittuntur. — De caussis diversissimis lectionum varietatis cfr. *Bertholdt* Einl. Vol. I. p. 250. ss. *Eichhorn* Einl. in das N. T. Vol. IV. p. 183. ss.

6) Quod indices docent librorum canonicorum capite III. sectionis I. commemorandi.

7) Ipsa pietas, qua primi coetus Christiani amplexi fuerant, quae de historia atque doctrina Iesu Christi ab Apostolis eorumque discipulis acceperant, impellere eos debebat, ut integritati historiae atque doctrinae in libris N. F. exhibitae servandae prospicerent. Nec tribus prioribus post C. N. saeculis, in scriptura sacra explicanda dogmatibusque tractandis libertate maiori gaudentibus, idem, quod posthac, studium obtinuit, *certam doctrinae formulam*, publice sancitam, quovis pacto ex libris sacris defendendi. Seriori tempore eiusmodi immutatio textus N. F. quae doctrinam et historiam Christi perverteret, propterea accidere non poterat, quod textus ille codici-

bus multis, versionibus, aliisque monumentis criticis a saeculo inde II. longe lateque fuerat divulgatus. Patetque ex *scriptis patrum* ecclesiae graecorum latinorumque, qui partim innumera N. F. loca in docendo adhibuerunt, partim integros N. F. libros interpretati sunt, textum, quem illi habuerint, universe spectatum, eundem esse, quo nos utamur.

8) Non defuerunt quidem inter doctores ecclesiae veteris, qui haereticis vitio verterent, quod loca quaedam scripturae s. in gratiam placitorum suorum interpolassent. *Tertullian.* de praescriptt. haerett. c. 38. Negare nolumus, singulos fuisse inter haereticos, qui in fervore disputandi eo usque progrederentur, ut vel pro lubitu aliquid immutarent, vel ex diversis lectionibus eam scripturam, quae suis placitis maxime faveret (quamvis vitiosa esset), reciperent. Cfr. quae §. 6. de ev. Matthaei inter Ebionaeos interpolato, et §. 10. de harmonia Tatiani observavimus. De *Marcione* quoque vidimus, eum in textu ev. Lucae et Pauli epistolarum tractando crisin exercuisse audaciorem §. 8. §. 49. nota 9. Sed neque *quaevis* discrepantia lectionum Marcioni probatarum a textu vulgari argumentis criticis fuit destituta, nec omnia satis considerate dicta, quae nonnulli doctorum veterum hac in re haereticis exprobraverunt, v. c. *Iren.* adv. haerr. l. 4. c. 6. §. 1. *Origenes* comment. in *Io.* p. 421. ed. Huëtius, *Tertull.* de carne Christi c. 19. *Ambrosius* de fide l. 5. c. 8. de spiritu sancto l. 3. c. 11. Vd. *Eichhorn* Einl. in das N. T. Vol. I. p. 658. ss. Vol. IV. p. 91. ss. *De Wette* Einl. in das N. T. p. 89. ss. Plerique eorum, qui a fide orthodoxa deflectebant, *interpretando* textu potius, quam immutando dogmatibus suis consulebant. Proinde doctores ecclesiae orthod. cum haereticis plerumque de textu librorum sacrorum recte *intelligendo* et *adhibendo* videmus disputantes, cfr. §. 13. nota 5. [Quae in Anglia quidam de textu evangeliorum nostrorum auctoritate Anastasii, inperatoris graeci, in gratiam Eutychianorum immutato conquesti sunt, unius scriptoris Saec. VI. Victoris Tunnunensis traditione, forsan ne recte quidem intellecta nitebantur. Vd. *Wesseling* comment. de evangeliis iussu Inperatoris Anast. non emendatis, Traiecti, 1738.] — Vicissim haeretici doctores ecclesiae orthodoxae huius illiusve mutationis arbitrariae in textu N. F. factae incusaverunt (cfr. qui in Opp. *Orig.*

exſtat dialogus contra Marcionitas c. 2.) Etſi omnino exempla lectionum ſive coniecturarum obveniant dogmatis cauſa probatarum (cfr. nota 5. ex. e. g., quae *Epiphanius* dixit in ſermone ancorato c. 31.), recte tamen adfirmamus, et religionem, qua monumenta antiquitatis Chriſtianae venerarentur, et ipſam prudentiam doctoribus eccleſiae orthod. interdixiſſe, ne quid in textu recepto *ſaepe* et *graviter* immutarent. Neque habebant, quod ad immutationem textus arbitrariam confugerent, doctrinam publicam comprobaturi, quum placita propoſita ex *pluribus* ſcripturae effatis inter ſe comparandis, ſecundum interpretationem ſibi probatam, defendere ſolerent. Ceterum, ſi Theologi aevo medio viventes textum N. F. ſecundum principia dogmatica arbitrarie conformaſſent, haud dubie eiusmodi potiſſimum mutationes inſtituiſſent, et effata adieciſſent, quae dogmatibus eccleſiae Romano-Catholicae propriis (de primatu Papae, de invocatione Mariae, angelorum, ſanctorumque, de transſubſtantiatione et miſſa pontificiali, de igne purgatorio etc.) ſtabiliendis aperte inſervirent. Attamen conſtat, haec placita *interpretationi* tantum locorum N. F. perverſae et arbitrariae ſuperſtrui.

9) Qualia v. c. ſunt effata *Matth.* 24, 36. *Marci* 13, 32. (ουδε ο υιος), *Actt.* 20, 28. ubi et του κυριου, et θεου legitur, I. *Timoth.* 3, 16. (vulg.) θεος (ex altera lect. ὅς) εφανερωθη etc.

10) De his praeſidiis criticis ſectio II. differet.

Caput III.

DE THEOPNEUSTIA ET AUCTORITATE CANONICA LIBRORUM NOVI FOEDERIS.

§. 133.

Auctoritatem vero ſingularem, quae divina dicitur, ſcriptoribus N. F. eorumque libris ſenſu duplici vindicamus, ratione et argumenti, quod his libris ex-

positum videmus, primarii et originis habita. Quod prius attinet, et historiam tradunt viri divinitus ad homines legati [1]), atque divino auxilio (cuius documenta prorsus eximia ederentur) adiuti, et doctrinam religionis morumque continent non tantum Numine Supremo dignissimam, sed etiam ex singulari modo institutionis divinae (revelatione) profectam [2]).

1) Provocamus ad exemplum sapientiae et virtutis perfectae a Christo exhibitum, eiusque factorum fatorumque insignium historiam ab auctoribus N. F. (fide dignis) enarratam.

2) Eam sequimur *revelationis* notionem, qua curam s. efficaciam Dei indicet, hominibus de rebus gravissimis, quae ad religionem virtutemque pertinent, edocendis prospicientem, *quatenus singulari modo sese exseruit, hominibusque Deum huius institutionis auctorem manifestavit.* Religionis nostrae auctorem satis dilucide audimus profitentem, et sanctissime testantem, doctrinam illam omnibus salutarem sibi divinitus patefactam esse, traditamque eo consilio, ut per ipsum, divinitus in terram legatum, toti hominum generi innotesceret, *Io.* ev. 5, 40. ss. 6, 27. ss. 7, 16. 28. 29. 8, 18. 26. 28. sq. 40. 42. (coll. 3, 12. sq. 6, 33. 38. 51. 62.) *Matth.* 11, 25. ss. *Luc.* 10, 22. Eandemque de divina Christi legatione persuasionem Apostoli modo posuerunt tanquam certissimam, modo adfirmatione sanctissima commendaverunt. Quo minus de veracitate scriptorum N. F. dubitamus (argumentis supra propositis demonstrata), quo gravius veracitatis ipsius Christi testimonium tota eius vita perhibet ex evangeliis cognita, quo accuratius documenta insignia auxilii divini Iesum et docentem et agentem adiuvantis, vicissitudines et fortunae gentium, et religionum, quae adventum Christi in hanc terram antecesserant, eiusque institutum salutare vario modo praeparaverant (praesertim exspectationes inter Iudaeos pridem excitatas), denique ipsius religionis et oeconomiae Christianae praestantiam summam et efficaciam, quam hucusque in persuasionem hominum (gentium diversissimarum) recte moderandam, mores emendandos, salutem animi promovendam exseruit, consideramus; eo certius nobis persuademus, religionem nostram

sensu eminentiori divinam (κατ' ἐξοχὴν revelatam) verissime appellari, *siquidem efficacia et providentia Numinis Supremi, generi humano magis magisque perficiendo eiusque saluti in aeternum promovendae potentissime, benignissime, sapientissime consulentis, hac religionis doctrina et oeconomia introducenda, propaganda, conservanda, perspicuitate prorsus eximia, atque ita, ut singularem vim in animos hominum exsereret, conspicuam sese reddiderit, et etiamnum conspicuam reddat.* Uberius de his exposui in libro: Briefe über Religion und christlichen Offenbarungsglauben, Jena, 1826. epistola V. et seqq.

§. 134.

Quod posterius (originem) attinet, libros novi foederis propterea divinos praedicamus, quod eiusmodi viros habent auctores, qui non tantum in ceteris omnibus, quae evangelii adiuvandi et propagandi causa susciperent [1]), sed etiam, ubi scriptis edendis muneri demandato satisfacturi essent [2]), singulari fruerentur Dei (Spiritus divini) auxilio, et partim cum ipso Servatore, *πνευματος αγιου* plenissimo, familiaritate coniuncti fuissent interiori, partim horum Christi legatorum familiares et adiutores exstitissent [3]). Huic notioni significandae (quam scholae dogmaticae antiquiores, formularum subtiliorum [4]) ope, amplius et operosius explicuerunt ac definierunt) praesertim inserviit vocabulum: theopneustia, ex ipsis libris N. F. depromtum [5]).

1) Quemadmodum Iesus discipulis electis hoc adiumentum invisibile πνευματος αγιου, s. παρακλητου sollenniter promiserat (*Io.* ev. 14, 16. 17. 26. 15, 26. 16, 13. ss. 20, 22. *Matth.* 28, 20. coll. *Matth.* 10, 19. ss. *Marci* 13, 11. *Luc.* 21, 15.) ita etiam Apostoli ceterique scriptores novi foederis, hoc promissum eventu vere comprobatum esse, luculentissime testantur. v. c. *Act.* c. 2. I. *Corr.* 2, 9. 10.

Epheſſ. 3, 5. I. *Theſſall.* 6, 9. I. *Petri* 1, 12. al. ſolentque hac de re ita loqui, ut ex mea quidem perſuaſione negari nequeat (collatis ipſius Chriſti effatis ſupra laudatis), efficaciam quandam intelligi inviſibilem, uſum ſuarum animi ingeniique virium, quem illi perpetuo fecerint (doctrinam atque hiſtoriam Chriſti memoria recolentes et meditando pertractantes), eximie adiuvantem et, ſalva quidem libertate naturae humanae, moderantem, etſi modum internum huius auxilii et moderaminis divini nunquam ſubtilius deſcripſerint. Cfr. liber meus: Briefe über Religion u. ſ. w. p. 132. ſſ.

2) Quanquam in N. F. nulla legimus mandata Ieſu Chriſti de ſua religionis doctrina *etiam ſcribendo* conſervanda atque propaganda, nullius tamen argumenti idonei ope probari poteſt, Apoſtolos eorumque familiares, quum ad ſcribendum ſeſe accingerent, aliquid feciſſe, quod alienum eſſet a voluntate et conſilio Servatoris. Etenim, ſi ipſe hoc fieri *noluiſſet*, haud dubie aperte interdixiſſet diſcipulis, ne quid litteris mandarent. Audimusque Ieſum in evangeliis de auctoritate et pretio librorum veteris Teſt. ita iudicantem, ut facile pateat, ex ipſius perſuaſione non potuiſſe voluntati divinae repugnare, quod homines etiam ſcribendo de rebus divinis edocerentur. Immo ex ipſa rei natura atque hiſtoria eccleſiae Chriſtianae intelligimus, qua de cauſa *neceſſarium* fuerit, ut vera Chriſti hiſtoria atque doctrina litteris conſignaretur; ſiquidem nemo negare poteſt, religionem Chriſt. eo ipſo celerius et latius inter homines diverſiſſimarum gentium propagatam eſſe, quod praeter ſermonem etiam uſus calami adhiberetur, temporisque ſucceſſu haud paucos (ipſo aevo apoſtolico) exſtitiſſe, qui ſcripta deſiderarent (quum non ubique vel ipſi Apoſtoli, vel viri apoſtolici adeſſent), nec ſola, quae ore fieret, traditione inpediri potuiſſe, quo minus doctrina evangelii ſenſim ſenſimque inter homines depravaretur eiusque cognitio redderetur incerta. Quam ſcribendi neceſſitatem auctores N. F. probe intellexerunt, cfr. *Lucae* ev. c. 1. v. 1. ſſ. *Io.* ev. 20, 31. II. *Corr.* 2, 3. ſq. 13, 10. *Philipp.* 3, 1. II. *Theſſall.* 2, 1. ſſ. II. *Petri* 1, 12. ſſ. al. Uberius de his diſſeruit praeter alios V. *Hauff:* Briefe den Werth der ſchriftlichen Religionsurkunde, als ſolcher betreffend, 3. Voll. Stuttgart, 1809. 1814. praeſertim Vol. I. Itaque, quum dubitari non poſſit de nexu intimo, quo illud ſcribendi negotium cum

provincia sancta cohaereret, cui Apostoli eorumque familiares Deo volente satisfacturi essent, nemo facile contenderit, adiumentum πνευματος αγιου, quod viris illis in causa religionis universe contigisset, *scribentibus* defuisse. Atque ipsi, non tantum ore Christum praedicantes, sed etiam scribentes, conscii sibi fuerunt huius auxilii invisibilis. Pluribus locis, ratione eorum habita, quae modo litteris consignarent, sive consignassent, testati sunt, spiritum divinum sibi adesse, v. c. I. *Corr.* 7, 40. I. *Thessall.* 4, 8. I. Timoth. 4, 1. *Apocal.* 1, 10. sq. 14, 13. ideoque doctrinae suae litteris scriptis propositae pariter atque iis, quae sermonibus docuerant, fidem haberi voluerunt, v. c. *Actt.* 15, 23—29. I. *Corr.* 14, 37. II. *Corr.* 2, 9. al. Idem recte probatur eiusmodi effatis, ubi Apostoli universe Spiritu sancto iuvante, sive Deo vel Christo volente et moderante loqui, et Christianos commonefacere dicuntur. (v. c. I. *Corr.* 2, 13. II. *Corr.* 2, 17. 5, 20. 13, 3.) Verba quippe λεγειν, λαλειν, παρακαλειν non tantum de institutione ore facta, sed etiam de scriptis usurpari effata docent II. *Corr.* 11, 17. 12, 19. *Actt.* 26, 22. II. Petri 1, 20. sq. *Hebrr.* 13, 22.

3) Efficacia quidem πνευματος αγιου in N. F. non solis vindicatur Apostolis, sed etiam aliis omnibus Iesu Christo fidem recte habentibus. Attamen Apostoli, primi doctrinae novae praecones, Servatori familiaritate coniunctissimi, tanquam homines describuntur *prae ceteris* πνευματος αγ. participes, talesque habebantur in coetibus Christianis. Vd. *Twesten* Vorlesungen über die Dogmatik u. s. w. 1. B. Hamburg, 1826. p. 406. ff.

4) Constat haud paucos, de inpulsu supernaturali ad scribendum et inspiratione rerum omnium atque verborum cogitantes, placita defendisse, quae neque cum notione vera dignitatis naturae humanae, ratione et libera voluntate praeditae, neque cum diversitate magna elocutionis scriptorum N. F. multisque effatis singulis, meditationem horum virorum, usumque ingenii et experientiae libere factum aperte testantibus, conciliari possent. De his uberius disputant scholae dogmaticae.

5) Cfr. II. *Timoth.* 3, 16. ubi praedicatum θεόπνευστος (divinitus inspirata) scripturae sacrae V. T. praesertim propheticae tribuitur (cfr. II. *Petri* 1, 21.) — De re ipsa his §. §. pertractata cfr. Abr. *Teller* de inspirationis scri-

plurarum ſacrarum iudicio formando, Helmſt. 1764. 4. (in eius opuſcc. Francof. ad Viadrum, 1780. 8.) *Töllner* die göttliche Eingebung der heil. Schrift, Lindau und Leipzig, 1771. 8. *Hegelmaier* diſſ. de θεοπνευστία etc. Tub. 1784. 8. *Meyer* comment. de inſpiratione ſcripturae ſacrae, Ultraiecti, 1784. 8. *Griesbach* ſtricturae in locum de theopneuſtia librorum ſacrorum, quinque programmata (inſerta eius opuſculis acadd. ed. *Gabler* Vol. II. Ienae, 1825.) *Henckel* diſſert. qua inſpirationem evangeliorum actuumque apoſt. ſine ullo religionis Chriſt. damno negari poſſe dubitatur, Francof. ad Viadrum, 1793. 4. *Millies* diſſ. de variis generibus θεοφανειων atque επιπνοιων θειων, Hal. 1792. 8. Abhandlung über den Inſpirationsbegriff in: *Flatt* Magazin für chriſtl. Dogmatik und Moral, 2. St. Tüb. 1797. *Sonntag* doctrina inſpirationis, eiusque ratio, hiſtoria, et uſus popularis, Heidelb. 1810. 8. E. *Jablonsky* opuſcula ed. *te Water* T. IV. Lugd. Batav. 1813. 8. *Dullo* über die göttliche Eingebung des N. T. Jena, 1816. 8. H. *Plank* über Offenbarung und Inſpiration, Gött. 1817. 8. Dankeg. *Cramer* quinque commentatt. de bibliologia in ſacris N. T. libris propoſita, Lipſ. 1819—1823. 4.

§. 135.

Hanc utramque librorum N. F. auctoritatem, et humanam (§. 132.) et divinam (§. 133. 134.), notio complectitur auctoritatis canonicae, quam huic ſcripturae ſacrae propterea, quod doctrinam continet hominibus Chriſtianis normae credendi agendique perpetuae inſervientem, tribuimus, loquendi uſum antiquiorem ſequuti. Vocabulum quippe *κανων*, de quavis norma [1]) ſ. regula, in eccleſia potiſſimum de [2]) regula fidei uſurpatum, ad ipſos tranſiit libros hanc regulam continentes [3]), ita ut *κανονες* indices [4]) (*καταλογοι*) horum librorum *κανονικων* ſ. *κανονιζομενων*, regularium [5]), poſthac, quum alii libri praeter

illos nulli in eccleſia publice praelegerentur, indices ſcriptorum [6]) lectioni publicae deſtinatorum dicerentur [7]). Canonicis opponebantur ſcripta apocrypha [8]).

1) Cfr. Platonis Philebus Vol. II. ed. Bipont. p. 56. *Eurip.* Hecuba v. 602. *Dionyſ. Halicarn.* antiquitt. Romann. Vol. II. p. 65. Sylb. Ex N. F. II. *Corr.* 10, 13. praeſertim ad *Gal.* 6, 16. *Philipp.* 3, 16.

2) *Iren.* adv. haerett. l. 4. c. 35. §. 4. *Clemens Alex.* ſtromm. l. 3. p. 453. Sylb. *Tertull.* contra Marcionem l. 4. c. 5. *Euſeb.* hiſt. eccl. l. 4. c. 23. l. 6. c. 2. ex.

3) *Iren.* adv. haerr. l. 3. c. 11. §. 1. *Iſidorus* Peluſiota ep. 114.

4) Vd. *Euſeb.* hiſt. eccleſ. l. 6. c. 25. Similiter apud Grammaticos Alexandrinos collectiones eorum Graeciae ſcriptorum, quae claſſica habebantur, dici ſolebant κανονες, vd. *Ruhnken.* hiſtoria critica oratorum graecorum p. 94.

5) γραφαι κανονικαι, regulam fidei definientes apud *Origenem* dicebantur prol. in *canticum canticorum* (ed. de la Rue T. III. p. 36.) comment. in *Matth.* 27, 9. Itemque ſcripta κανονιζόμενα ab αναγινώσκομενοις (quae, quanquam publice praelegi poterant, minime tamen auctoritatem normativam cum illis habebant communem) diſtinguuntur apud *Athanaſium* in epiſtola feſtali Opp. T. I. p. 961. ed. Bened. (cfr. ſynopſis ſcript. ſ. in Athanaſii Opp. T. II. p. 126. ſſ.), eodemque ſenſu libri *canonici* ab *eccleſiaſticis* apud *Rufinum* in expoſitione ſymboli apoſtolici, ad calcem operum *Cypriani* ed. Oxon. p. 26. Cum hac notione librorum regulam fidei definientium coniunctum fuiſſe praedicatum *theopneuſtiae* (§. 134.) plura docent patrum vett. effata, v. c. *Irenaei* adv. haerr. l. 1. c. 8. §. 1. l. 2. c. 27. §. 1. c. 28. §. 2 *Clementis Alex.* ſtromm. l. 7. p. 761. paedag. l. 1. p. 106. l. 4. p. 475. Sylb. *Origenis* de princ. praef. T. I. p. 49. ed. de la Rue. *Tertull.* de patientia c. 7.

6) Canone 59. concilii Laodiceni a. 360. aut proxime ſeqq. habiti interdicebatur, ne alii libri publice praelegerentur in eccleſia praeter τα κανονικα της καινης και παλαιας διαθηκης (ſcripta Moſis et prophetarum, evangeliſtarum et Apoſtolorum, cfr. canon 60.) Vd. *Manſi* collectio concill. T. II. p. 574.

7) Fuerunt post Semmlerum, qui hanc dicerent *primitivam* fuisse potestatem ecclesiasticam vocabuli κανων, ut indicem (καταλογον) innueret librorum, qui lectioni publicae inservirent, sive prophetici essent et apostolici, sive ab aliis auctoribus profecti. Vd. *Schmidt* histor. krit. Einl. Vol. I. §. 5. *Haenlein* Handbuch der Einl. Vol. I. p. 334. ff. ed. II. *Bertholdt* Einl. Vol. I. p. 55. ff. Inpugnavit hanc sententiam H. *Planck* comment. de significatu canonis in ecclesia antiqua, Gottingae, 1820. 4. (quocum cfr. *Paulus:* Heidelberger Jahrbücher der Litter. 13. Jahrgang 10. Heft, Oktober, 1820. Nr. 59. 60.) Ex ipso loquendi usu graeco antiquiori (vd. nota 1.) cognoscimus, etiam in usu vocabuli κανων ecclesiastico interpretando non tam indicis, quam normae s. regulae notionem *primariam* recte haberi; quanquam concedimus, hoc vocab. in ecclesia de indicibus carminum sacrorum in coetibus sacris recitandorum, s. clericorum ad ecclesias singulas pertinentium, aliarumque rerum subinde usurpatum fuisse, *quatenus hi indices normae cuidam* inservirent.

8) Duplex potissimum apparet in scriptis patrum ecclesiae antiquiorum significatio formulae: libri apocryphi. Etenim, quum proprie eiusmodi libri dicerentur αποκρυφοι, qui vel res secretas continerent, vel ipsi haberentur secreti (v. c. *Epiphan.* haer. l. 1. c. 3. et haer. XXX, c. 3.), atque haeretici saepenumero ad eiusmodi scripta secreta provocarent, ex quibus cognitionem suam peterent subtiliorem (vd. *Clemens Alex.* stromm. l. 1. p. 304. Sylburg.), factum inde, ut nomine *apocryphorum* venirent scripta et propter argumentum et originis causa prorsus reiicienda (ab haereticis ficta, huic vel illi doctori antiquiori fraudulenter supposita, erroribus referta), quae neque ad διαϑηκην παλαιαν et καινην referenda essent, neque in ecclesiis publice praelegenda. Cfr. *Iren.* adv. haerr. l. 1. c. 17. in. p. 86. ed. Grabe (ubi γραφαι αποκρυφοι και νοϑαι commemorantur.) *Tertull.* de anima c. II. *Origenes* in prologo ad canticum cantice. *Athanasius* epist. festalis Opp. T. I. p. 961. ed. Bened. (distinguuntur h. l. scripta κανονιζομενα, αναγινωσκομενα, αποκρυφα.) *Cyrillus* Hierosolym. catech. IV. (αποκρυφα tanquam ψευδεπιγραφα και βλαβερα describuntur.) *Rufinus* in expos. symboli apostolici. *Hilarius* praef. in Psalmos. *Hieronymus* in epist. ad Laetam T. I. Opp. ed. Basil.

(1553) p. 57. et *Philastrius* de haeres. c. 40. 41. (Saec. IV.) docent, tum temporis sub apocryphis eiusmodi quoque libros intellectos esse, qui, quamvis legi, immo utiliter legi possent a Christianis cognitione provectioribus, minime tamen ab omnibus legi deberent, propterea quod veris falsa continerent mixta, nec vere ab iis scripti essent, quorum nomina prae se ferrent. Sed negari non potest, quum a saeculo inde IV. ecclesiae Christianae de numero librorum canonicorum V. et N. F. definiendo magis magisque consentire coepissent, sensu *latiori* apocrypha appellata esse, *quaecunque canoni non adscriberentur*, etsi utiliter legi possent a Christianis, praesertim tironibus, nec spuria essent et pseudepigrapha, v. c. librum sapientiae, librum Tobiae, epistolam Barnabae, vd. *Hieron.* praef. in librum regum ed Basil. T. III. p. 17. catal. scriptt. eccl. c. 6. Cfr. observv. *Gieseleri:* theol. Studien und Kritiken herausgeg. von *Ullmann* und *Umbreit*, 2. B. 1. H. Hamburg, 1829. p. 141. ff.

§. 136.

Ipsa quidem autographa librorum N. F. (ab ipsis auctoribus consignata, iisve dictantibus scripta), mox evanuerunt [1]), neque de fatis eorum quidquam innotuit [2]). Haud dubie vero, more antiquitatis [3]), exemplaria mature frequenter descripta sunt, quae usui inservirent tum privato tum ecclesiastico. Nec dubitamus, variis locis, quum eiusmodi ecclesiae, quae vel origine sua vel locorum vicinitate arctius cohaererent, haud raro, quae accepissent, scripta apostolica sibi invicem transmitterent [4]), nec singuli deessent Christiani, qui exempla horum librorum conquirerent, collectiones minores quorundam N. F. scriptorum Saec. I. exeunte et II. ineunte exstitisse [5]). Vestigia collectionis amplioris inde a saeculo demum II. medio apparent.

1) Quanquam pietas Christianorum autographis conservandis, quantum fieri poterat, consuluit (deponendis iis apud

presbyteros coetuum, *Iren.* adv. haerr. l. 4. c. 32.) facile tamen intelligimus ex ipsa papyri fragilitate, ex usu horum scriptorum frequenter facto (et recitandis in coetu Christiano, et describendis), ex fatis adversis, quae plures ecclesiae subierunt, quomodo factum sit, ut haec autographa perirent.

2) Quae de evangelio Matth. aramaico, quod *Pantaenus* deprehenderit, apud *Eusebium* hist. eccl. l. 5. c. 10. narrantur, parum recte intelliguntur de autographo. (vd. §. 22. nota 2.) Αρχαια illa, quorum mentionem (secundum lect. veram) *Ignatius* fecit epist. ad Philadelphenos c. 8. libri dicuntur foederis antiquioris. *Litterae Apostoll. authenticae*, quas *Tertull.* de praescriptt. haerett. c. 36. in coetu Corinthiaco atque Romano recitari perhibet, sunt i. q. exempla harum epistolarum nondum corrupta et interpolata ab haereticis. Cfr. *Griesbach* historia textus graeci epistolarum Paulinarum spec. I. sect. II. in opuscc. acadd. ed. *Gabler* Vol. II. Lips. 1825. p. 66. ss. De traditionibus vanis ad autographa singula pertinentibus, quae hic illic deprehensa fuerint (v. c. autographon ev. *Marci* latinum, vd. §. 28. nota 7.) cfr. *Haenlein* Handbuch der Einl. Vol. II. p. 11. sq. ed. II. Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, aliique patres ecclesiae antiquiores, dogmata proposita ex N. F. probantes, aut cum haereticis disputantes, nunquam ad ipsa provocarunt autographa.

3) Vd. *Hug* Einl. Vol. I. p. 94. ss. ed. II.

4) Cfr. ep. ad *Coloss.* 4, 16. Similiter Polycarpus eas, quas ipse possidebat, *Ignatii* epistolas cum Philippensibus communicasse, vicissim, quas illi habebant, eiusdem epistolas ab iis accepisse legitur *Euseb.* hist. eccl. l. 3. c. 36 Eiusmodi quoque epistolarum *apostoll.* quae ad ecclesias maiori locorum intervallo disiunctas datae fuerant, exemplaria facile per praecones evangelii, qui varias regiones itineribus lustrabant (*Euseb.* hist. eccl. 3, 37.) ad plures coetus Christianos perferri potuerunt.

5) Ex II. Petri ep. 3, 16. hoc certe patet, auctorem multas legisse Pauli epistolas. §. 96. nota 5. Quo minus vero eiusmodi collectionem integram scriptorum N. F. quae vel omnia, vel plurima complecteretur, Saec. I. ex. aut II. in. iam institutam fuisse existimemus, argumenta gravissima inpediunt. Primis quippe temporibus nondum

exstiterat firmior illa coetuum, qui in provinciis diversissimis versabantur, coniunctio, quae eiusmodi collectionem integram adiuvaret. Scripta N. F. ipsa locis admodum variis sensim sensimque prodiisse, eorumque plura initio parum fuisse divulgata in isagoge speciali docuimus. Et, quamdiu Apostoli viriqne apostolici doctrinam evangelii ore tradebant, collectio amplior *scriptorum* apostolicorum minus desiderata est, quam tempore seriori. *Iustino Martyri*, qui ante saeculum II. *medium* inclaruit, quanquam multas et Italiae et Asiae minoris regiones itineribus lustraverat, nulla tamen contigit vel omnium vel plurimorum N. F. scriptorum collectio. Alioquin praeter απομνημονευματα των αποστολων et apocalypsin Io. haud dubie alia quoque scripta N. F. in libris suis diserte usurpasset. *Plinius* epp. l. 10. ep. 97. ubi de Christianis in Bithynia versantibus loquitur, nihil dicit de scriptis eorum sacris. Ex narratione (apud *Eusebium* h. e. l. 3. c. 24.) de Ioanne Apostolo, evangelia Matthaei Marci et Lucae auctoritate sua comprobante, iisque suum commentarium addente (vd. §. 39.) minime sequitur, Ioannem operam navasse scriptis Apostt. omnibus colligendis. Neque apud *Ignatium* vestigia collectionis obveniunt. Cfr. Ag. *Niemeyeri* observata: Oppositionsschrift für Theologie und Philos. herausgeg. von *Fries*, *Schröter*, und *Schmid*, 1. B. 2. H. 1828. 2. B. 2. H. 1829. p. 114. ss.

§. 137.

Etenim, quum Marcion Gnosticus, qui ante saeculum II. medium inclaruit, eiusque sectatores et evangelium Lucae, varie quidem mutilatum et interpolatum, quod Marcion *κατ' εξοχην ευαγγελιον* appellaret (§. 8.), et decem Pauli epistolas communi nomine *ο 'αποστολος* comprehensas (§. 49. nota 9.) usurparent, factum inde, ut ecclesia fidei orthodoxae addicta, quemadmodum ipsa Marcionis dogmata inprobaret, ita etiam in eo offenderet, quod Marcionitae neque eodem textu evangelii Lucae, quem ceteri haberent, uterentur, neque ceterorum evangeliorum

aliarumque epistolarum praeter illas decem Paulinas auctoritatem agnoscerent. His controversiis inter doctores ecclesiae orthodoxae studium acrius excitatum est, scripta vere apostolica, quae normam fidei continerent, accuratius colligendi canonemque definiendi, praesertim, quum probe animadverterent, scripta apostolica hucusque non ubique satis accurate ab iis distincta esse, quae auctoritate illa destituerentur [1]). Proinde a saeculo inde II. medio duae exstiterunt collectiones librorum novi foederis ampliores, altera *το ευαγγελιον* sive *τα ευαγγελια* (quatuor nostra evangelia), altera *ο αποστολος*, sive *οι αποστολοι*, sive *το αποστολικον* (Acta Apostolorum, tredecim Pauli epistolae, prior Petri, prima Ioannis [2]). Utramque saeculo II. exeunte complexi sunt formula: *η καινη διαθηκη*, libri novi testamenti, s. novi instrumenti [3]).

1) Quod v. c. exemplum docet ipsius *Clementis Alexandrini* stromm. l. 1. p. 311. ex. l. 2. p. 384. sq. ed. Sylb. ad librum Hermae: Pastor, l. 6. p. 635. ad praedicationem Petri, in l. *επιτομαι εκ των Θεοδοτου* etc. p. 806. ad apocalypsin Petri provocantis. Cfr. quae *Eusebius* h. e. l. 3. c. 3. ex. c. 16. l. 5. c. 8. l. 6. c. 12. perhibet.

2) A saeculo inde II. medio commentarii Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis *simul* commemorari solent, haud raro *το ευαγγελιον* appellati. Cfr. quae ex Irenaeo, Theophilo Antiocheno, Clemente Alexandrino, Tertulliano in isag. spec. §. 3. et §. 13. nota 4. laudata sunt, et §. 10. de harmonia Tatiani observata. Alteram vero partem, *αποστολον*, cetera, quae in §. commemoravimus, scripta continuisse propterea non dubitamus, quod doctores ecclesiae orthodoxae in agnoscenda auctoritate *horum* librorum apostolica ubique consenserunt. De *editore* huius collectionis (vel doctori cuidam graeco, vel ecclesiae cuidam orientali tribuendae ex coniectura *Griesbachii*, vd. opuscula eius acadd. ed. *Gabler* Vol. II. p. 86. ff.) nihil compertum habemus, nec ulla deprehendimus vestigia decreti ecclesiarum *publici*, quo de utraque collectione, illo

tempore, quidquam sancitum fuerit. Uberius de his omnibus disseruit praeter *Griesbachium* l. l. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 25. ff.

8) Vd. isag. spec. §. 8.

§. 138.

Attamen de pluribus scriptis praeter ea, quae hac utraque collectione comprehensa fuerant, diversimode iudicatum est. Nec plane consentiunt canones (indices librorum ενδιαϑηκων) Saeculo III. et IV. variis locis exhibiti. Ex his praecipue commemorandi sunt: canon ecclesiae syriacae, qualem versio antiquissima Peschito exhibet [1]), canon scriptoris incerti (Muratorius) ad ecclesiam Romanam pertinens [2]), canon Origenis [3]), Saeculo IV. canones Eusebii [4]), Athanasii [5]), Cyrilli Hierosolymitani [6]), Gregorii Nazianzeni [7]), Epiphanii [8]), inter latinos Hieronymi [9]), et Rufini [10]). Eodem saeculo publica conciliorum decreta ambitum canonis N. F. definierunt, ita, ut praeter cetera *αντιλεγομενα*, quorum auctoritas Saec. IV. exeunte et V. ineunte magis magisque in tota ecclesia increscceret [11]), etiam volumen apocalypseos [12]) ad scripturam referretur canonicam. Quanquam posthac de singulis horum librorum *αντιλεγομενων* (praesertim de apocalypsi) dubitationes a singulis excitatae sunt, inde a saeculo tamen VII. quum excommunicatio omnibus, qui apocalypsin recipi nollent, irroganda concilio [13]) Toledano fuisset decreta, controversiae omnes de canone N. F. desierunt, interpretatione docta et crisi scripturae sacrae aevo medio prorsus iacente. Renata per emendationem sacrorum cogitandi, disputandi, docendique libertate, praeeunte Luthero [14]) alii quoque de auctoritate nonnullorum N. F. librorum iterum libe-

rius iudicare coeperunt [25]). Et, quo diligentiorem operam Theologia recentior (a decenniis inde postremis saeculi XVIII.) et interpretationi et crisi librorum sacrorum perficiendae navavit, eo maior exstitit diversitas sententiarum et disputatio acrior de origine et auctoritate apostolica singularum canonis nostri partium. Quae quidem controversiae veritati Christianae plurimum profuerunt, quum auctoritas apostolica plerorumque N. F. librorum iterum argumentis gravissimis diligentissime exploratis defenderetur, plurimique Theologi nostrae aetatis probe intelligerent, veram nostram doctrinae atque historiae Christi cognitionem salvam stare et incolumem, etsi nonnullae canonis nostri partes, quod auctorem attinet, dubitationibus obnoxiae maneant [26]).

1) De versione Peschito (vel saec. III. in. vel S. II. ex. consignata) sectio II. suo loco differet. Complectebatur quatuor evangelia, Acta, tredecim Pauli epistolas cum ep. ad Hebraeos, epistolam Iacobi, priorem Petri, primam Ioannis. Cfr. *Hug* Einl. Vol. I. p. 329. ff. ed. II.

2) Fragmentum huius canonis, parum latine scriptum, ex codice bibliothecae Mediolanensis antiquo, sed pluribus locis vitioso, primus edidit Anton. *Muratori* in l. antiquitates Italicae aevi medii T. III. p. 854. Amplius deinde innotuit per *Stöschium:* comment. de librorum N. T. canone, Francof. ad Viadrum, 1755. et F. *Schmidium:* kritische Untersuchung, ob die Offenbarung Jo. ein göttliches Buch ist? Leipz. 1771. p. 101. ff. Inter libros receptos auctor incognitus diserte retulit quatuor evangelia, Acta, tredecim Pauli epistolas. Praeterea etiam Iudae epistolam, duas Ioanneas (vd. isag. spec. §. 109. nota 2.), librum apocalypseos Io. in catholicis haberi dixit, quanquam haec scripta una cum sapientia Salomonis et apocalypsi Petri commemoravit. Neque epistolae ad Hebraeos (isag. spec. §. 81. nota 8. coll. §. 80. nota 4.) nec epistolae Iacobi mentio facta est. Desiderantur etiam secundum vulgarem lectionem et interpunctionem (inprobatam quidem *Hugio*, textum fragmenti latinum ex grae-

cis translatum existimanti, Einl. Vol. I. p. 110. ff. ed. II. cfr. *Bertholdt* Einl. Vol. I. p. 114.) duae Petri epistolae. Quo minus cum nonnullis *Caium* presbyterum Rom. huius canonis auctorem fuisse existimemus (quod recentius Frano. *Freindaller* defendit in comment. Caii presbyt. fragmentum acephalum de canone divinorum N. F. librorum, Linz. 1803. 8. Cfr. Ergänzungsblätter der Jenaischen allg. Litteraturz. 1816. N. 24.) praesertim inpedit, quod Caius ille apocalypsin Io. diserte *Cerintho* Gnostico tribuit (§. 115 isag. spec.) Proferuntur insuper in fragmento Muratorio eiusmodi errores, quibus Caius presb. indulsisse parum probabiliter existimetur, v. c. quod apocalypsis Petri a scriptis vere canonicis parum distinguitur, s. quod Hermas ille, cui liber: *pastor* inscriptus tribuitur, Pii episcopi Romani frater fuisse perhibetur. De *aetate* huius fragmenti dissentiunt, nonnullis quidem scriptori incognito saeculi IV. tribuentibus (vd. *Zimmermann* dissert. scriptoris incerti de canone librorum ff. fragmentum a Muratorio repertum exhibens, Ienae, 1805. 8.), aliis rectius ad finem Saec. II. aut initium III. referentibus, vd. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 33. ff. *Bleek* Versuch einer vollständ. Einl. in den Brief an die Hebr. p. 121. sq.

3) *Origenes* in homilia VII. in Iosuam (cfr. hom. XIII. in Gen.) sermone allegorico usus quatuor evangelia, Acta, utramque Petri epistolam, Iacobi et Iudae epistolas, Ioanneas (numero quidem non indicato), quatuordecim Pauli epistolas (quo sensu epistolam ad Hebrr. Paulinam iudicaverit, §. 86. nota 2. coll. §. 81. nota 3. ex. vidimus), apocalypsin Io. tanquam scripta commemorat apostolica. Utriusque vero homiliae nonnisi textum habemus latinum. Praeterea *Eusebius* hist. eccl. l. 6. c. 25. *canonem* exhibet *Origenianum* (non prorsus quidem integrum, ex singulis locis scriptorum Orig. compositum, quibuscum alia plura eiusdem effata conferenda sunt) locis modo laudatis, quod evangelia, Acta (loco l. 6. 25. *sub finem* obiter commemorata, et Lucae vindicata), Pauli epistolas, priorem Petri, primam Ioanneam, apocalypsin attinet, consentientem. Auctoritas vero secundae Petri ep. duarumque Ioannis *h. l.* dubitationibus obnoxia perhibetur. Iacobi quidem et Iudae epistolarum h. l. mentio nulla facta est. Sed Origenem utramque habuisse apostolicam alia docent eiusdem testimonia vd. isag. spec. §. 90. nota 7. §. 103. nota 1. Distinguere solebat a) scripta ὁμολογου-

μενα f. γνησια (quae ecclefia catholica tota recepit), b) μικτα, de quorum auctoritate canonica in utramque partem disceptatur, c) νοθα, quae fpuria agnofcuntur. Vd. comment. in Io. T. IV. Opp. p. 226. ed. de la Rue. Innotuiffe Origeni et illam utramque *collectionem* (§. 137.) το ευαγγελιον, τον αποστολον, et, quae utramque complecteretur, διαθηκην καινην effata docent homil. XIX. in Ierem. T. III. Opp. p. 264. de princlpp. l. 4. c. 1. Libri ab ecclefia recepti tanquam fcripta ab Apoftolis et viris apoftolicis *fpiritu divino plenis* confignata Origeni funt η καινη διαθηκη, homilia I. in Lucam T. III. Opp. p. 933. de princ. praef. T. I. p. 49. Quanquam aliquoties cenfuit, eiusmodi quoque fcriptis, quae, etfi non effent ομολογουμενα, argumenti tamen dignitate et utilitate eximie commendarentur, non denegandam effe theopneuftiam; comment. in ep. ad Romm. Opp. T. IV. p. 683. in Matth. T. III. p. 644. Ceterum ad eos pertinuit, qui in iudicanda librorum origine apoftolica argumenta quoque interna expenderent.

4) *Eufebii* canonem ex duobus potiffimum locis cognofcimus. a) *hift. eccl. l. 3. c. 25.* Diftinguuntur h. l. a) *fcripta* ο μ ο λ ο γ ο υ μ ε ν α (alibi αναμφιλεκτα f. αναντιρρητα, l. 3. c. 3. ed. Valef. 1672. p. 72. C. D. l. 3. c. 24. in.) i. e. *quae fecundum traditionem ecclefiafticam ab omnibus recte agnofcuntur apoftolica, ideoque ad* δ ι α θ η κ η ν κ α ι ν η ν *referuntur*, γραφαι ενδιαθηκοι, κατα την εκκλησιαστικην παραδοσιν (intelligit Euf. fub παραδ. εκκλ. quaecunque ipfi de auctoritate librorum apoftolica *praefertim ex fcriptis* antiquiorum ecclefiae doctorum innotuerant, quanquam etiam traditionem ore factam non fpernendam cenfuit, h. e. l. 3. c. 3. c. 31. l. 2. c. 23.) αληθεις, απλαστοι, ανωμολογημεναι. Praedicato ομολογ. utrumque ineffe, et γραφη ε ν δ ι α θ η κ ο ς et γ ν η σ ι ο ς, patet ex l. 3. c. 3. p. 72. B. ed. Valef. coll. l. 6. c. 13. l. 3. c. 16. c. 38. Hoc genere comprehenduntur: quatuor evangelia, Acta, Pauli epiftolae (numero non indicato), prima Ioannis, prior Petri, apocalypfis Io. (quanquam de hac additur: ει γε φανειη) Epiftolam ad Hebrr. ex perfuafione Eufebii fcriptis ομολογ. adnumerandam effe ifag. fpec. §. 81. nota 5. vidimus. β) *fcripta* α ν τ ι λ ε γ ο μ ε ν α (alibi μη παρα πασιν ομολογουμενα hift. eccl. l. 3. c. 3. ex.), γ ν ω ρ ι μ α δ' ο υ ν ο μ ω ς τ ο ι ς π ο λ λ ο ι ς (f. ut infra dicitur, παρα πλειστοις των εκκλησιαστικων γιγνωσκομενα), i. e. *quorum originem et auctoritatem apoftolicam non omnes agnofcunt* (*ita ut*

nequeant ενδιαθηκα haberi) *quanquam plerisque scriptorum eccl. innotueruut.* Huc primum pertinere dicit Eusebius epistolam Iacobi, ep. Iudae, posteriorem Petri, Ioannis secundam et tertiam. Deinde scriptis νοθαις adnumerat πραξεις Pauli, Pastorem Hermae, apocalypsin Petri, Barnabae epistolam, institutiones (διδαχας) Apostolorum, apocalypsin Ioannis (additis iterum verbis ει φανειη), evangelium secundum Hebraeos (pluribus de eo sic indicantibus). Neque vero Euseb. existimandus est (vd. de *Wette* Lehrbuch der hist. krit. Einl. in die Bibel A. und N. T. Vol. I. p. 29. Jenaische allgem. Litterz. 1820. N. 79.), quae νοθα diceret, tanquam scripta inferioris ordinis, ab illis αντιλεγ. separari voluisse. Immo synonyma sunt αντιλεγ. et νοθα. Cfr. hist. eccl. l. 2. c. 23. ex. ubi Iacobi epistola (l. 3. c. 25. primo loco inter αντιλεγ. commemorata) dicitur νοθευεσθαι, et l. 6. c. 13. c. 14. in. ubi epistola Barnabae (l. 3. c. 25. νοθοις adnumerata) una cum apocalypsi Petri inter αντιλεγ. refertur. γ) *scripta, apostolorum nominibus fictis inter haereticos prolata, errorum plena, a fide orthodoxa aliena, ne νοθα quidem, sed, ως ατοπα και δυσσεβη, repudianda*, v. c. Petri, Thomae, Matthiae evangelia. b) *hist. eccles. l. 3. c. 31.* Tria distinguuntur genera, α) γραμματα ιερα i. q. ομολογουμενα, β) αντιλεγομενα, ομως δ' εν πλεισταις εκκλησιαις παρα πολλοις δεδημοσιευμενα, i. q. (loco supra tractato) αντιλεγομενα et νοθα, γ) παντελως νοθα και της αποστολικης ορθοδοξιας αλλοτρια i. q. ατοπα και δυσσεβη (παντελως νοθα Euseb. h. l. propterea dicit, quod vocem νοθα simpliciter positam l. 3. c. 25. de αντιλεγομενοις adhibuerat.) Ad διαθηκην καινην secundum Euseb. scripta pertinent, *quae apostolica et inspirata recte agnoscuntur* ex traditione, argumento, elocutione, v. c. hist. eccles. l. 3. c. 4. c. 24. l. 2. c. 15. l. 6. c. 14. De canone Eus. diversisque formularum ab eo usurpatarum interpretationibus cfr. Chr. *Schmidt: Hencke* Magazin für Religionsphilosophie u. s. w. 5. B. 3. St. Chr. *Flatt:* Magazin für christl. Dogmatik und Moral von F. Flatt, 7. St. *Vogel* comment. de canone Eusebiano, Erl. 1809—1811. (cfr. Hallische allgem. Litteraturz. N. 263. a. 1813. Jenaische allgem. Litteraturz. N. 162. a. 1814.) *Lücke* über den neutestam. Canon des Eusebius, Berlin, 1816. 8. (cfr. Jenaische allgem. Litteraturz. N. 131. a. 1818.) *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 48. ff. *De Wette* Lehrbuch u. s. w. Vol. I. p. 28. ff.

5) Vd. *Athanaſii* epiſtola feſtalis Opp. T. I. p. 961. ſq. ed. Bened. *Eiusd.* συνοψις επιτομος etc. T. II. p. 126. ſqq. Nomine των κανονιζομενων et ομολογουμενα, et, quae Euſebius αντιλεγομενα ſ. νοθα appellat, poſteriorem Petri epiſtolam, ſecundam et tertiam Ioanneam, Iacobi et Iudae epiſtolas, apocalypſin Io. complectitur.

6) *Cyrilli* canon ab Athanaſiano ita differt, ut apocalypſin Io. omittat. Vd. catecheſis IV. illuminand. p. 67. ſſ. ed. Tuttei.

7) *Gregorius Nazianz.* quanquam in canone exhibendo (T. II. Opp. p. 98. ed. Lipſ. 1690.) apocalypſin omittit, eandem tamen tanquam Ioanneam laudat T. I. p. 516.

8) *Epiphanius* haer. LXXVI. apocalypſin quoque inter libros refert canonicos.

9) *Hieronymi* canon (epiſt. VII. ad Paulinum T. IV. Opp. P. II. p. 571. ſſ. ed. Martian.) non differt ab eo, quem eccleſia noſtris temporibus ſequitur.

10) *Rufinus* expoſ. ſymboli apoſtol. in appendice operum Cypriani ed. Oxon. p. 26. Hieronymo plane conſentit. — Conſuetudo illa doctorum graecorum et orientalium, ομολογουμενα et αντιλεγομενα accuratius diſtinguendi, inter doctores eccleſiae occidentalis (ſcripturas canonicas univerſe apocryphis opponentes) propterea non invaluit, quod eccleſia occident. minus ſollicita fuit de teſtimoniis externis pro auctoritate ſingulorum librorum ponderandis.

11) Huc praeſertim in eccleſia latina valuit auctoritas *Auguſtini* de doctr. Chr. l. 2. c. 18.

12) *Concilii Laodiceni* (intra a. 360—364. habiti) decretum 59. (apud alios 60.) ſcriptis N. T. omnibus, praeter apocalypſin, auctoritatem vindicat canonicam. Vd. *Manſi* ſanctt. conciliorum nova et ampliſſima collectio, Florent. 1759—1779. T. II. p. 574. Dubitatur tamen de authentia huius decreti. Cfr. *Spittler* kritiſche Unterſuchung des 60. Laodiceniſchen Kanon, Bremen, 1777. *Schröckh* chriſtliche Kirchengeſchichte Vol. VI. p. 249. ſſ. *Concilii* vero *Hipponenſis* a. 393. canon 36. (*Manſi* T. III. p. 924.) itemque conc. *Carthagin. tertii* a. 397. canon 47. (*Manſi* T. III. p. 891) apocalypſin quoque ſcripturis adnumerat canonicis.

13) De canone 17. huius concilii a. 633. habiti vd. *Harduini* acta concill. T. III. p. 584.

14) Cfr. *Lutheri* iudicia de epistola ad Hebraeos §. 86. nota 3. isag. spec. de ep. Iacobi §. 90. nota 9. de apocalypsi §. 116. nota 5.

15) Libri ecclesiae nostrae symbolici de ambitu canonis decreta nulla proposuerunt. Ecclesia vero Romano-catholica in concilio Tridentino diris devovendum edixit, qui libros V. et N. F. integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverint, et in versione latina vulgata habeantur, pro sacris et canonicis non susceperit, in sess. IV. c. 1. Vd. *Chemnitii* examen concilii Trident. Genevae, 1634. p. 50. ss. Exstiterunt tamen plures inter doctores ecclesiae Romano-cathol. qui concederent, libros deuterocanonicos (quo nomine inde a saec. IV. interdum libri ecclesiastici, i. e. non ubique in ecclesia tanquam ενδιαθηκοι agniti, satis tamen cogniti, et in coetibus Christ. publice lecti appellabantur) non omnino auctoritate pares esse protocanonicis, Vd. *Iahn* Einl. in die göttlichen Bücher des alten Bundes, Vol. I. Wien, 1802. ed. II. p. 141. ss.

16) Earum quippe canonis nostri partium, quae plurimum valent ad historiam atque doctrinam Christi et Apostolorum recte cognoscendam, auctoritatem apostolicam argumentis, quae sufficiunt, et externis et internis, satis exploratam esse, isagoge specialis in §. §. huc pertinentibus docuit. — Libri de historia canonis conferendi: *Carlstadt* de canonicis scripturis Viteb. 1521. *Gerhard de Mastricht* canon scripturae sacrae secundum seriem saeculorum N. T. collectus et notis illustratus, Ienae, 1725. *Stosch* historia critica de librorum N. F. canone, Francof. ad Viadrum, 1755. *Semmler* Abhandl. von freier Untersuchung des Canon, 4. Theile, Halle, 1771—1775. F. *Schmid* historia antiqua et vindicatio canonis sacri V. et N. T. Lips. 1775. *Corrodi* Versuch einer Beleuchtung der Geschichte des jüdischen und christlichen Bibelcanon, 2. Th. Halle, 1792. *Weber* Beytrag zur Geschichte des neutestam. Canon, Tübingen, 1791. *Planck* comment. de significatu canonis in ecclesia antiqua, Gott. 1820. 4.

SECTIO SECUNDA.

HISTORIA TEXTUS NOVI FOEDERIS CRITICA.

CAPUT I.

DE DIVERSIS, QUAE DICUNTUR, TEXTUS NOVI FOEDERIS RECENSIONIBUS.

§. 139.

Qui recentius operam inpenderunt diligentissimam textui N. F. ad indolem primitivam, quantum fieri posset, revocando, verissime animum attenderunt ad classes documentorum, quae textum horum librorum, donec primum typis excuderetur, servaverunt, discernendas (quum alii horum testium, quod lectionum indolem atque delectum attinet, magis, alii minus vel similes vel dissimiles videantur, itemque haud raro vestigia originis eorundem codicum versionumve antiquiorum communis appareant) eoque discrimine observando negotium criseos N. F. recte instituendae haud parum iuvari intellexerunt [1]). Quem tramitem, postquam Bengelius et Semmlerus [2]) inierant, alii ita persequuti sunt, ut accuratius investigarent diversas textus N. F. recensiones antiquitus factas. Et Gries-

bachius [3]) quidem recenfionem exftitiffe contendit triplicem (etfi fecundae tantum hoc nomen ex ufu loquendi accurato veriffime tribui ipfe largiatur [4]), a) occidentalem, b) alexandrinam five orientalem, c) conftantinopolitanam five byzantinam. Quarum duae priores, antiquiffimae, ex ipfius perfuafione, eidem tempori tribuendae funt, quo collectiones illae: *το ευαγγελιον* et *ο αποστολος* (§. 137.) inftituebantur, et hac ratione differebant, ut textus occidentalis, codicibus vetuftiffimis (exaratis ante collectionem epiftolarum) tanquam fundamento fuperftructus, hebraifmos quidem N. F. diligentius fervaret, fed lubenter adderet, quae explicationi infervirent, formulamque magis perfpicuam haud raro praeferret difficiliori, textus orientalis ex editione *του αποστολου* oriundus partim lectiones fermoni graeco puro accommodatas prae ceteris eligeret, textumque minus bene graecum, ubi mutatione leviori fieri poffet, corrigeret, partim fcribendi erroribus rarius depravaretur, etfi particulas vocesque fynonymas interdum feftinante calamo omitteret [5]). Permifcendis lectionibus utriusque recenfionis exftitit conftantinopolitana, et fenior (Saec. IV.) lectiones minus bene graecas magis, quam ipfa alexandrina, repudians, gloffematibus ditior [6]), et iunior, quae Saec. V. aut VI. (textu conftantinopolitano cum alexandrino et orientali iterum iterumque collato) opera et ftudio virorum doctorum ecclefiae fyriacae inftituta effe videtur [7]). Quanquam Griesbachius hanc documentorum textus N. F. difpofitionem multis probatam eximia et ingenii fagacitate et eruditione defendit, dubitationibus tamen obnoxia eft haud contemnendis, quum a) fundamento idoneo deftituantur, quae de ipfa utriusque recenfionis origine difputavit [8]), b) argumenta plura inpediant, quo minus un-

quam eiusmodi conditionem textus N. F. ecclesiae occidentali propriam, quae, tanquam habitus singularis, recensio appellari possit, exstitisse censeamus [9]), etsi concedatur, ab eo inde tempore, quo exemplaria N. F. in Oriente examini novo subiicerentur (ecclesia occidentali in textu antiquiori, qualem ex Oriente, latine translatum versione Itala, accepisset, magis acquiescente) [10]), diversitatem quandam textus orientalis et occidentalis magis apparuisse, c) indoles textus N. F. quam versio antiquissima Peschito sequitur, ex illa Griesbachii doctrina parum commode explicetur [11]), d) denique, qui codices, versiones, scripta patrum secundum recensiones diversas accurate disponere voluerint, omnino hac difficultate premantur, quod nullum ex iis, quae aetatem tulerunt, textus N. F. documentis ullam eiusmodi recensionem puram exhibeat et integram [12]).

1) Quo maior est copia horum documentorum, eo inpeditius apparet criseos secundum argumenta externa instituendae negotium, nisi, classibus, quantum fieri possit, discernendis conspectus exhibeatur. Patetque, eos testes criticos, quorum cognatio interior atque origo communis vere sit explorata, tanquam *unum* testem primarium esse habendos.

2) Vd. *Bengel* introductio in crisin N. T. §. 26. ff. *Semmler* Vorbereitungen zur Hermeneutik (Halle, 1760 — 1769.) 3. und 4. St.

3) Vd. *Griesbach* curae in historiam textus graeci epistolarum Paul. sect. I. in eius opuscc. ac. ed. *Gabler* Vol. II. p. 44. ff. *Eiusd.* differt. de codicibus quatuor evangeliorum Origenianis in opuscc. Vol. I. p. 227. ff. *Eiusd.* meletemata de vetustis textus N. F. recensionibus, in comment. crit. in textum graecum N. T. part. II. Ienae, 1811. et prolegg. ad editiones N. F. intra capite IV. laudandas.

4) Recensionem quippe sensu proprio dicimus textum N. F. *consilio certo* ab auctore quodam pluribusve aliquando

conformatum et conſtitutum. Quae textui occidentali et conſtantinopol. maxime propria eſſe dicit, mavult ipſe Griesb. et incuriae et corrigendi ſtudiis partim librariorum, partim eorum, qui perperam criticos ſeſe gererent, tribuere, quam examini critico totius N. F. textus conſilio certo inſtituto. — Ceterum Griesb. a recenſione, veluti ſtirpe, diſtinguit *familias* inde oriundas, i. e. claſſes teſtium diverſas, quae, quamvis ad hanc illamve recenſionem univerſe ſpectatae recte referantur, indole tamen critica differant, quum textum huius recenſionis aliae magis, aliae minus purum et integrum ſuppeditent. (Attamen haud pauci vocabb. *recenſio* et *familia* promiſcue uſurpant.)

5) Documentis recenſionis *occident.* adnumeravit Griesb. octo codd. graecos evangeliorum, quatuor codd. epiſtolarum Pauli, verſiones latinas ante Hieronymum ſcriptas, verſionem ſahidicocopticam, et hieroſolymitano-ſyram, loca Tertulliani, Irenaei latine tranſlati, Cypriani, Ambroſii, Auguſtini, quibus effata N. F. adferuntur. Ad recenſionem *alexandr.* referuntur ſex evangeliorum, totidemque epiſtolarum codices, verſiones plures (memphitico-coptica, philoxeniana, aethiopica, armenica), ſcripta denique patrum, qui ad ſcholam alexandrinam pertinent, praeſertim Clementis Alexandrini, Origenis, Euſebii, Athanaſii, Cyrilli alexandrini, Iſiodori Peluſiotae.

6) Ad recenſionem conſtantinop. ſeniorem pertinere docet ſex evangeliorum codices, itemque codices Moscovienſes, quatenus textum epiſtolarum Pauli contineant, verſiones gothicas et ſlavicas, ſcripta doctorum eccleſ. qui Saec. IV. V. VI. in Graecia, Aſia minori, regionibusque finitimis floruerunt.

7) Hanc textus graeci conformationem plerique eorum codd. tenuerunt, qui a ſaeculo inde VII. ſcripti ſunt.

8) Ex Griesb. ſententia textus occidentalis originem debet *veteribus ſingulorum* N. F. *librorum*, aut *collectionum mancarum et inperfectarum apographis*, quae latini, edita iam collectione ο αποστολος, etiamnum ſtudioſius ſervarunt, locupletata quidem ex αποστολω, textus vero orientalis ex antigraphis του αποστολου (et ευαγγελιου) manavit. Sed demonſtrari non poteſt, collectiones librorum ſſ. *mancas*, ante editionem αποστολου, in Occidente *magis*, quam in Oriente, divulgatas fuiſſe. Nec licet inde cau-

sam eruere idoneam, quare censor occidentalis *interpretem*, alexandrinus *grammaticum* potissimum egerit.

9) Ex scriptis patrum Saec. II. intelligimus, eas lect. diversitates, quae textui occidentali, et, quae alexandrino propriae fuisse dicuntur, quod *originem* attinet, ad recensiones diversas non pertinuisse. Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 265. ff. p. 269. ff. Neque probabile est, doctores ecclesiae occident. sermonis graeci minus peritos de recensione textus N. F. adornanda cogitasse.

10) Quam parum ex *Origene* discrimen recensionis occidentalis et alexandrinae probari possit, *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 272. sq. docuit. De conaminibus textus recensendi *posthac* per Lucianum et Hesychium in Oriente factis cfr. §. seq.

11) Haec enim versio *Syriaca*, Saec. II. certe ante Saec. III. medium scripta, saepenumero eiusmodi lectiones exprimit, quae secundum Griesb. sententiam ad textum occidentalem pertinuerunt, quanquam ecclesia syriaca illo tempore nullo utebatur occidentalis commercio. Proinde Griesb. textum huius versionis primitivum variis temporibus mutationes haud paucas subiisse existimat. Ad eiusmodi coniecturam non est, quod confugiamus, dummodo de nulla cogitemus, quae illo tempore fuerit, recensione duplici. Textus fuit nondum recensitus (lectiones diversi generis, et, quae interpretando textui inservirent, et, quae grammaticum emendandi studium magis redolerent, *mixtas* continens) quem et versio Syriaca sequeretur, et Itala, cuius ope textus N. F. in Occidente divulgatus est. — Difficultatem similem parat, quod versio copticosahidica ex sententia Griesb. ad recensionem occidentalem refertur. Coetuum quippe Christianorum Aegypti superioris, qui versionem illam tanquam ecclesiasticam usurpabant, et ecclesiae occidentalis nulla fuit coniunctio.

12) Cfr. quae Griesbachio *Bertholdt* Einl. Vol. I. p. 316. ff. *Eichhorn* Vol. IV. p. 260. ff. breviter Dav. *Schulz* in prolegg. ad ed. III. editionis Griesbach. Vol. I. Berol. 1827. p. XXXII. ff. *Gabler* in praef. ad opuscc. Griesb. Vol. II. p. IV. ff. opposuerunt.

§. 140.

Aliam de recenfionibus fententiam Hugius [1]) commendavit, documentis vetuftis N. F. docte et fubtiliter inveftigatis, huc redeuntem. Textus antiquiffimus, qualem in quinque codicibus evangeliorum, quos Griesbachius ad recenfionem occidentalem retulit, in quatuor codicibus epiftolarum Pauli a Griesbachio eidem recenfioni adfcriptis, in verfionibus latinis antiquiffimis, et fahidico-coptica, denique apud patres antiquiores, usque ad aetatem Origenis, ipfumque Origenem deprehendimus, fere ad faeculum usque III. medium εκδοσις fuit κοινη, editio vulgaris, ad nullam omnino recenfionem conformata, lectionis diverfitates varii generis, originisque variae mixtas, praefertim lectiones textui explicando infervientes continens [2]); quanquam codices in Syria aliisque Orientis regionibus fcripti (quarum incolae fermonis fcriptorum N. F. hebraico-graeci peritiores fuere) textum primitivum accuratius fervarunt, unde factum, ut verfio Syriaca antiquiffima, etfi univerfe fpectata ad eandem εκδοσιν κοινην pertineret, haud raro tamen a lectionibus aliorum documentorum eiusdem editionis vulgatae diffentiret [3]). Saeculo autem III. medio primum quidem Hefychius, epifcopus Egyptius [4]), recenfionem illius, quae in Egypto ufurpabatur, editionis vulgatae inftituit, interpolationibus gloffisque removendis, et vocibus, quas textu vulgari excidiffe intellexerat, reftituendis, nimis ftudiofus eiusmodi lectionum praeferendarum, quae graecitate pura et elegantiori commendarentur [5]). Eodem fere tempore Lucianus, Antiochiae in Syria presbyter [6]), εκδοσιν κοινην, qualis in verfione Pefchito apparebat, recenfuit,

ita ut auctoritatem quidem huius versionis in plurimis sequeretur, sed etiam alios codices in Syria usurpatos conferret, textumque exhiberet cum Hesychiano non prorsus consentientem, siquidem Lucianus minus, quam ille, studiosus esset orationis graecae N. F. emendandae [7]). Praeterea Origenes, quo tempore Tyri in Palaestina vivebat, postquam cetera eius scripta (quorum notitia ad nos pervenit) edita fuerant, singularem textus N. F. recensionem adornavit, editioni vulgatae, qualis in Palaestina obtinuerat, superstructam, modo Hesychianae, modo Lucianeae consentientem, pluribus tamen locis ab utraque discrepantem, posthac in Palaestina regionibusque finitimis divulgatam [8]). Ex his recensionibus nulla in iis, quae habemus, documentis prorsus pura et integra servata est, quum partim εκδοσις κοινη saepenumero (in ecclesiis potissimum occidentalibus) cum documentis illarum recensionum conferretur, partim codices describendi secundum exemplaria recensionum diversarum conformarentur [9]). Quae Hugius de conaminibus textus N. F. recensendi per Hesychium et Lucianum institutis disseruit, rationibus historicis minime destituta sunt [10]), quanquam demonstrari non potest, codices utriusque recensionis vel numerosos fuisse, vel longe lateque divulgatos, magnamque obtinuisse auctoritatem [11]). Quo minus vero Origenem singularem textus N. F. recensionem instituisse credamus, argumentis inpedimur idoneis [12]).

1) *Hug* Einl. Vol. I. p. 126. ff. ed. II. *Bertholdt* Einl. Vol. I. p. 326. ff.

2) De textu occidentali Griesbachius quoque professus est, eum codicibus vetustissimis *ante* recensiones exaratis superstructum esse, atque omnino sensu tantum latiori recensionem dici posse, vd. §. 139. et nota 4.

3) Concedit Griesb. auctorem versionis Peschito ab occidentali textu (sive, quam Hugius dixerit, εκδοσει κοινη) *propius*, quam ab alexandrina recensione abesse, vd. meletemata de vetustis N. T. recenss. p. L.

4) vd. *Euseb.* hist. eccles. l. 8. c. 13.

5) Recensioni Hesychianae, in Egypto tantum auctoritatem naotae ecclesiasticam, ecclesiae occidentali inprobatae (*Hieron.* praef. in Paralipp. et l. 2. adversus Rufinum c. 26), adnumerantur tres eorum codd. evangeliorum et quinque eorum codd. epistolarum Paul. qui apud Griesb. ad recens. referuntur alexandrinam, versio memphitica, Athanasius, Macarius, Cyrillus Alexandr. Eandem intelligit Hugius indolem textus N. F. quam Griesb. recensionem alexandrinam appellavit, et ante Hesychium exstitisse docuit.

6) *Euseb.* hist. eccl. l. 8. c. 13. l. 9. c. 6. Luciani exemplaria Constantinopolis usque ad Antiochiam probavit testante *Hieron.* locis nota 5. laudd.

7) Recensioni Lucianeae codd. plures accensentur, quos Griesb. constantinopolitanae tribuit, itemque codd. Moscovienses, versio slavica et gothica, scriptores eccles. earum regionum, ubi haec textus indoles recepta fuerat, qui a saeculo inde III. med. inclaruerunt. Lucianum auctorem fuisse recensionis constantinopol. Griesb. non negavit.

8) Hac in re Griesbach. prorsus dissentit ab Hugio. Cfr. meletemata laudd. p. LVIII. sqq. Quae Hugius recensioni Origenianae tribuit, Griesb. ramum fuisse putat stirpis constantinopol. s. Lucianeae.

9) *Eusebius* de vita Constantini M. l. 4. c. 36. perhibet, Inperatorem illum sibi demandasse, ut quinquaginta codices N. F. in usum coetuum Christianorum *Constantinopoll.* accurate describendos curaret. *Eusebius* vero (scriptis eius testantibus) iudicio *Origenis* tam insignem tribuit auctoritatem, ut satis probabiliter, quum negotium sibi demandatum perficeret, eiusmodi potissimum codices (textum Lucianeo antiquiorem, alexandrinum, exhibentes), quos Origenes olim comprobasset (vd. nota 12.) adhibuisse existimetur.

10) Iterum hanc sententiam contra dubitationes aliorum defendit *Hug* Einl. ed. III. Vol. I. p. 230. ss.

11) Testatur quidem *Hieronymus* in praefat. in quatuor evv. ad Damasum (si modo verba eius recte hac ratione interpungantur: praetermitto eos codices, quos, a Luciano et Hesychio nuncupatos, *paucorum* hominum asserit perversa contentio etc.) Lucianum et Hesychium codicibus N. F. corrigendis operam dedisse. Sed illud: paucorum hominum, non permittit, ut exemplaria *multa* ad indolem textus Hesychiani et Lucianei conformata fuisse credamus. Vd. Censor isagoges Hugii: theolog. Studien und Kritiken herausgeg. von Ullmann und Umbreit 1. B. 1. H. 1828. p. 172. sq. August. *Scholz* in prolegg. ad N. T. (graece, textum ad fidem testium criticorum recensuit etc. Vol. 1. Lips. 1830. 4.) p. XXIII. ss.

12) Documentis, quae ex Hugii sententia recensionem Orig. exhibent (pluribus evangeliorum codd. versioni syriacae Philoxenianae scriptisque Chrysostomi et Theodoreti) desunt indicia certa recensionis peculiaris. Apud scriptores vett. (Eusebium ipsum, Origenis merita studiosius praedicantem, hist. eccl. l. 6. c. 1. ss. c. 16. 24. 31. sq. 36. 39.) huius rei mentio nulla facta est. Nec facile explicatu dixerim, quomodo Origenes, et senectute et multis rebus adversis tolerandis confectus, *sub finem demum vitae suae* (in scriptis quippe Origenn. nulla apparent recensionis peculiaris vestigia, immo ipse confitetur comment. ad Matth. T. XV. Vol. III. p. 671. ed. de la Rue: in exemplaribus autem N. T. hoc ipsum, emendationem textus, me posse facere sine periculo non putavi) de eiusmodi opere difficillimo suscipiendo cogitare, eique recte satisfacere potuerit. Id unum constat, Origenem codices usurpasse ex aliis multis singulari cura selectos, passimque purgatos, qui dicerentur exemplaria (ἀντίγραφα) Origenis atque Pierii, et singularem apud viros doctos haberent auctoritatem. Vd. *Hieron.* comment. in Matth. 24, 36. catal. scriptt. eccles. sub v. v. *Pamphilus* et *Pierius*. Cfr. Griesbach. loco nota 8. laud. *De Wette* Einl. in das N. T. p. 50.

§. 141.

Recensiones textus N. F. antiquitus factas esse omnino negavit Matthaei [1]), totius criseos Griesbachianae adversarius acerrimus, maluitque ad crisin

textus N. F. recte instituendam distingui a) codices textus perpetui, scholiis nullis neque commentariis instructos, ceteris omnibus eo praestantes, quod textum puriorem exhibeant, b) lectionaria, codices pericoparum ecclesiasticarum, saepius quam illi (a) textum ex scholiis et commentariis interpolatum exhibentes, c) codices mixtos, scholia et interpretationes margini adscriptas continentes, maxime interpolatos. Codices Moscovienses, quos diligentissime contulit, ex ipsius persuasione palmam tenent [2]). Iniquius vero de auctoritate et dignitate aliorum multorum textus N. F. documentorum iudicavit.

1) Vd. F. *Matthaei* über die sogenannten Recensionen, welche Bengel, Semmler und Griesbach in dem griechischen Texte des N. T. wollen entdeckt haben, Ronneburg und Leipzig, 1804. 8. Editiones N. F. ab ipso curatae cap. IV. laudabuntur.

2) Unde factum, ut textus, qualem Matthaei exhibuit, fere totus referret illam textus indolem, quae apud Griesb. et Hugium recensio constantinopolitana s. Lucianea dicitur.

§. 142.

Neque Griesbachii neque Hugii sententiam de recensionibus vetustis N. F. suffragio suo comprobavit nuperrimus N. F. editor, eruditus ac diligens, Augustinus Scholz [1]). Constituit duo genera testium N. F. criticorum, textum alexandrinum et constantinopolitanum. Ad priorem quidem refert codices in Egypto [2]) et Europa occidentali exaratos, plerasque versionum copticarum et latinarum, versionem aethiopicam, itemque scriptores illarum regionum ecclesiasticos. Ad posteriorem eos codices, qui in Asia mi-

nori, Syria, Palaestina, Europa orientali (Graecia, praesertim vero Constantinopoli) scripti sunt [3]), versionem syriacam Philoxenianam, gothicam, georgianam, slavonicam, patres ecclesf. illarum regionum, editiones omnes typis inpressas [4]). Documenta generis posterioris longe praeferenda existimat iis, quae textum habeant alexandrinum, propterea quod codices constantinopolitani parum inter se dissentiant, atque maiori fide, quam alexandrini (textum multiplici grammaticorum arbitrio immutatum exhibentes) scripti fuerint ad normam exemplarium vetustissimorum [5]). Sententia Scholzii duplici difficultate premitur, quum partim textus N. F. occidentalis eiusmodi indolem habeat, quae plurimum discrepet ab alexandrino, partim (quod ipse concedit) textus Constantinopoli divulgatus inperantibus Constantino et Constante collatus fuerit cum textu alexandrino (§. 140. nota 9.), ita ut lectiones utriusque documentorum generis miscerentur [6]), atque omnino ponitur magis quam argumentis idoneis vel internis vel externis demonstratur, eam textus N. F. conformationem, quae saeculo I. II. III. in Asia minori et Graecia obtineret, eandem fuisse, quae posthac constantinopolitanis potissimum codicibus divulgaretur. Neque, Alexandriam veluti sedem fuisse primariam corruptionis textus N. F. arbitrariae, satis probatum est.

1) A. *Scholz* curae criticae in historiam textus evangeliorum, Heidelb. 1820. 4. *Eiusd.* biblisch-kritische Reise u. s. w. nebst einer Geschichte des Textes des N. T. Leipzig und Sorau, 1823. 8. *Eiusd.* prolegg. ad editionem N. F. §. 140. nota 11. laud.

2) Adnumerantur huic codicum generi, antiquitus latissime propagato, plerique eorum, qui adhuc supersunt, litteris *uncialibus* scripti, et pauci recentiores.

3) Huc referendos putat *permultos* eorum, qui supersunt, codicum, a saeculo inde VIII. exaratos, apographa fida vetustiorum, qui perierint.

4) Vestigia huius duplicis documentorum criticorum familiae inesse docet libris scriptorum eccl. asiaticorum, collatis cum scriptoribus africanis, in prolegg. nota 1. laud. p. XIX. sq.

5) Exaratos quippe contendit hos codices omnes in iis provinciis, quae *primis tribus saeculis* in usu et auctoritate habuerint textum vulgatum.

6) Cfr. *Vateri* observata: kirchenhistorisches Archiv herausgeg. von Stäudlin, Tzschirner, Vater, für 1824. 1. *Heft*, Halle, 1823. *Gabler* praefatio ad *Griesbachii* opuscc. acadd. Vol. II. p. XVI. sq. *Schulthess* neueste theolog. Annalen, Juli, 1826. p. 481. seqq.

§. 143.

Eichhornius denique [1]) ad placita Hugii et Scholzii propius, quam ad Griesbachii doctrinam de recensionibus vetustis accedit, quanquam nec illis plane adsentitur. Concedit, quum satis mature lectionum diversitas, ex fontibus diversis oriunda (§. 132.), in N. F. exstitisset (testantibus scriptis patrum eccl. Saec. II. et versionibus antiquissimis, Peschito et latina vetusta), aucta Saec. III. variis interpretandi studiis, iam saeculo II. indolem textus fuisse duplicem, et asiaticam, et africanam [2]), utramque nullis criseos legibus certis adstrictam. Negat, Origenem fuisse recensionis peculiaris auctorem (§. 140. nota 12.); concedit vero, et Hesychium et Lucianum (§. 140. nota 4. seqq.) eiusmodi recensiones instituisse (etsi indolem utriusque primitivam parum accurate ex documentis veteribus cognosci posse profiteatur), ideoque a saeculo inde III. ex. triplicem textus N. F. conformatio-

nem apparuisse docet, a) africanam (alexandrinam), b) asiaticam (constantinopolitanam), c) ex utraque mixtam, inde oriundam, quod non deessent, qui, etsi recensiones Hesychii et Luciani in coetibus africanis et asiaticis auctoritatem ecclesiasticam nanciscerentur, mallent tamen haud raro auctoritatem sequi codicum vetustiorum [3]). Quae ad saeculum usque VII. in regionibus diversis exstiterat textus N. F. conformatio, posthac, priusquam editiones prodierunt typis inpressae, nullam amplius experta est operam virorum doctorum in conferendis familiarum diversarum codicibus collocatam [4]). Sententia Eichhornii prae ceteris eo commendatur, quod in iis potissimum acquiescit, quae maxime habemus explorata (hac una quaestione excepta, an recte dicantur curae criticae Hesychii et Luciani efficaciam suam in textum conformandum longe lateque exseruisse, §. 140. nota 11.)

1) Vd. Einleit. in das N. T. T. IV. p. 183. ff.

2) Exemplis hoc probavit ex documentis vett. desumtis *Eichhorn*. l. l. p. 235. sq. Res ipsa docet, si modo perpenderimus, in quibusnam terris plurima N. F. scripta ab auctoribus edita fuerint, quo iure habitum textus antiquissimum in Asia et Graecia exstitisse censeamus.

3) Exemplo inservit *Euthalius*, diaconus Alex. Saec. V. qui, quum dispositionem singularem stichometricam textus Actorum App. et epistolarum adornaturus esset, Caesaream in Palaestina profectus, cum textu, quo utebatur, alexandrino (aegyptio) codices vetustiores auctoritate praecipua insignes bibliothecae *Pamphili* Caesareensis contulit. Vd. *Zacagni* collectanea monumentorum vett. ecclesiae gr. Rom. 1698. 4. p. 513. Per librarios constantinopolitanos a textu Luciani primitivo saepenumero deflectentes exstitit textus byzantinus recentior, receptus. Vd. *Eichhorn* l. l. p. 319. ff.

4) Curabatur tantum, ut, qui in ſingulis regionibus auctoritatem obtinuiſſet, textus eccleſiaſticus fide deſcriberetur. Vd. *Eichhorn* p. 327. ſſ.

§. 144.

Iis omnibus, quae in utramque partem de recenſionibus atque familiis documentorum textus N. F. diſputata ſunt, accurate ponderandis haec potiſſimum cognoſcimus, in criſi textus N. F. obſervanda: a) ii teſtes critici, quorum origo communis et cognatio interior explorata eſt, auctoritatem habent unius teſtis primarii; b) conſenſus teſtium, qui ad diverſas recenſiones ſive familias referendi ſunt, in una eademque lectione haud parum valet ad auctoritatem eius commendandam [1]); c) documenta antiquiora praeſtant iunioribus (ſaeculi VII. VIII. et ſequentium), et, quo magis de lectione quadam in familiis criticis diverſarum regionum ſervata doceri poteſt, eam ad documenta quoque textus nondum recenſiti (ad ἐκδοσιν κοινην) pertinuiſſe, eo pluris aeſtumanda eſt; d) quae his illisve probatur recenſionum aut familiarum criticarum diſpoſitio caute adhibenda eſt, nec ſine praeſidiis aliorum argumentorum, quae auctoritati lectionum variarum ponderandae inſerviunt [2]), quum plura huius diſputationis arduae ac difficilis capita nondum ſatis explorata habeamus [3]); e) cum teſtimoniis codicum, patrum, verſionum ubique ſedulo comparanda ſunt, quae lectioni cuidam vel favent, vel repugnant, argumenta interna [4]), immo haec interna ſaepenumero praevalent [5]); f) criſi coniecturali eiusmodi tantum locis, rariſſime obvenientibus [6]), ubi textus, qualem documenta critica ſuppeditant, difficultatem faceſſit, quae nequeat ullis expediri praeſidiis herme-

neuticis, aliquid concedendum est, nec nisi eiusmodi coniectura, necessitate efflagitante, admitti potest, quae ad textum quam proxime accedat, et ita comparata sit, ut, quomodo lectio, quam depravatam putamus, originem inde duxerit, conclusione facili intelligatur ⁷).

1) Haec regula valet, si lectio, de qua sermo est, recte existimatur ad indolem *primitivam* earum, quae comparantur, familiarum pertinuisse, nec serius demum in documenta huius illiusve familiae *ex altera* transiisse.

2) Ex *Griesbachii* sententia a) consensus omnium, quas ipse distinguit, recensionum authentiam lectionis certo probat, b) consensus recensionis alexandrinae cum occidentali, dissentiente constantinopolitana, indicio est lectionis antiquissimae, c) ubi vel recensio occidentalis ab alexandrina et constantinopolitana, vel alexandrina a ceteris dissentit, videndum est, an forte lectio ceteris duabus recensionibus inprobata ex genere sit earum, quibus recensio occidentalis aut alexandrina praecipue deflectere soleat a textu primitivo. Vd. Griesb. prolegg. ad ed. N. T. 1796. p. LVIII. sqq. Dissentiunt in quibusdam praecepta *Hugii* Einl. Vol. I. p. 496. ff. ed. II.

3) Vd. §. §. antecedd. Etiamnum diversimode quaeritur, *quot* familiae testium criticorum recte distinguantur. De pluribus documentis singulis dissentiunt, utrum huic vel illi familiae rectius adnumerentur. Neque gradus diversi cognationis familiarum singulorumve documentorum omni ex parte accurate constituti sunt. Vd. *Eichhorn* Einl. T. V. p. 309. sq.

4) Rationibus internis lectio quaedam eo magis commendatur, a) quo aptior apparet naturae rei, de qua sermo est, orationis nexui, scriptoris consilio, eiusque modo cogitandi, sentiendi, loquendi (quatenus elocutionem singulorum scriptorum ad regulas certas licet referre), b) quo minus suspicio locum habet, originem eam debere vel calami erroribus, vel glossematibus aut corrigendi studiis, c) quo probabilius docetur, quomodo altera lectio, ceteraeve eiusdem loci lectt. variae ex illa (quum vel obscurior quibusdam videretur, aliamve offen

tam praeberet, vel cum aliis voco. facile permutari et vitiose scribi posset) enasci potuerint.

5) a) Argumenta interna haud raro suadent, immo postulant, ut lectio argumentis externis minus stabilita praeferatur (siquidem variis de caussis fieri potuit, ut lectio praestantior in documentis paucioribus servaretur, atque res in facto est posita, multos codicum vetustiorum evanuisse), b) ubi lectiones diversae eadem gaudent testium auctoritate, in promtu est, nonnisi argumentis internis dirimi posse, utra praeferri debeat.

6) v. c. ad *Gal.* 2, 1. ubi emendatio: διὰ τεσσάρων ἐτῶν unicum esse videtur praesidium recte expediendae difficultatis chronologicae, quam scriptura omnium codd. et verss. parat διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν, s. II. *Petri* 1, 5. ubi neque lectio vulgata καὶ αὐτὸ τοῦτο δὲ neque ceterae lectt. καὶ αὐτοὶ δὲ, αὐτῷ δὲ τούτῳ, καὶ αὐτὸ τοῦτο habent, quo (grammatice) commode referantur, textusque sic emendandus videtur: καὶ αὐτοὶ (i. q. ὑμεῖς αὐτοὶ, *Luc.* 11, 4.) διὰ τοῦτο etc. Criseos coniecturalis exiguas tantum partes esse in textu N. F. tractando recte adfirmamus propter insignem copiam et praestantiam documentorum, quae exstant, textus N. F. Cfr. *Vogel* progr. de coniecturae usu in crisi N. T. Altorf. 1795. 4. *Eichhorn* allgem. Bibl. der bibl. Litter. Vol. VIII. p. 260. ff.

7) De praeceptis criseos N. F. praeter libros *Griesbachii* et *Hugii* nota 2. laudd. cfr. C. *Klemm* principia criticae sacrae N. T. Tub. 1746. 4. Ge. *Richter* exerc. de arte critica scripturae interprete, Lips. 1750. 4. Ad. *Rechenberg* de variis graecis N. T. lectionibus, in exercitatt. in N. T. historr. eccles. et litt. p. 33. W. *Baier* dissert. de variarum lectt. N. T. usu et abusu, Altorf. 1712. L. *Frey* comment. de variis lectt. N. T. Basil. 1713. A. *Osiander* de originibus variarum lectt. N. T. Tub. 1739. 4. *Eiusd.* disput. de praecipuis lectionibus varr. in epp. catholicis N. T. occurrentibus, Tub. 1747. 4. B. *Michaelis* tractatio crit. de variis lectt. N. T. caute colligendis et diiudicandis etc. Hal. 1749. 4. Ant. *Knittel* neue Gedanken von den allgemeinen Schreibfehlern in den Handschriften des N. T. Braunschweig, 1755. 4. I. *Breitinger* disquis. critica de examine dubiae lectionis N. T. rite instituendo, in Museo helvet. Vol. XVIII, p. 219. ss. *Semmler* Vorbereit. zur Hermeneutik 3. St. *Wettstenius* in l.

libelli ad crisin atque interpretationem N. T. Hal. 1766. 8. H. *a Melle* epistola critices biblicae graviora quaedam momenta succincte ac dilucide exponens, Lubec. 1786. 8. *Paulus* Skizze einer systemat. Ueberficht der Grundregeln jeder philolog. besonders aber der biblischen Kritik, im neuen theol. Journal von Ammon, Haenlein und Paulus herausgeg. 9. B. 1. St. 1797. *Eiusd.* Vorrede zum Commentar über das N. T. Vol. I. *Beck* monogrammata hermeneutices librorum N. F. p. I. Lips. 1803. 8. p. 115. ss. Dav. *Schulz* in praef. ad: N. T. graece textum recensuit. etc. Griesbach, Vol. I. ed. III. cur. Schulz, Berol. 1827. p. XXX. seqq. —

Caput II.

DE CODICIBUS NOVI FOEDERIS.

§. 145.

Describendis exemplaribus N. F. quae aliquamdiu (more antiquitatis) voluminum formam habebant, mox tamen in formam codicum magis commodam abierunt [1]), olim quidem papyrus (aegyptia) inserviit [2]). Cuius chartae fragilitas fecit, ut illius loco satis mature membranae (διφθέραι) adhiberentur [3]). Posthac, quum studium librorum describendorum tantopere invaluisset, ut membrana rarior fieret et pretiosior, a saeculo inde XII. etiam charta bombycina usurpata est [4]), quae deinde Saec. XIII. et sequentibus chartae vulgari (linteae) cessit [5]).

1) Quicunque supersunt codices N. F. vel formam habent maximam, vel quadratam minoremve, solentque fasciculos complecti, quorum singuli quatuor, pluribusve, ad summum octo plagulis constant sibi invicem insertis atque consutis. Vd. *Scholz* prolegg. ad edit. laud. N. F. Vol. I. p. XXVII.

2) Cfr. II. ep. *Io.* v. 12. Calami ope per atramentum huic papyro litteras fuiffe infcriptas docet III. *Io.* v. 13. Auctores ipfi librorum N. F. fatis probabiliter papyrum vulgarem (non elegantiorem, Augufteam aut Liviam) adhibuiffe exiftimantur. Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 144. De ufu papyri univerfe cfr. *Plinius* hift. natur. l. 13. c. 21—27. E. *Wehrs* vom Papier, den vor Erfindung deffelben üblich gewefenen Schreibmaffen und Schreibmaterialien, Halle, 1789. Supplemente dazu, Hannover, 1790. 8. F. *Pfeiffer* über Bücherhandfchriften, Erl. 1810. 8.

3) Ufum membranae, admodum antiquum, *in codicibus N. F. fcribendis* Saec. IV. factum effe locus docet *Eufebii* vita Conftant. l. 4. c. 36. Cfr. *Hieron.* ep. 141. Ex illo codicum genere, cui papyrus inferviit, nulli fuperfunt.

4) Veftigia chartae bombycinae iam faec. X. apparuiffe docuit *Montfaucon* palaeographia graeca p. 15.

5) Antiquiffimi noftrorum N. F. codicum funt membranacei. Qui chartae linteae infcripti funt, appellari folent chartacei proprie fic dicti.

§. 146.

Per priora octo faecula poft C. N. ubique in ufu fuerunt litterae graecae unciales, maiores, erectae, nec lineolis uncisve cohaerentes. Quae quum temporis fucceffu formam magis oblongam induere, inclinari, lineolisque iungi coepiffent [1]), a faeculo inde IX. ac X. fcriptura, quae dicitur, curfiva five minufcula, Iota fubfcripto inftructa [2]), invaluit. Scriptio antiquiffima fuit continua, qua litterae litteras, absque intervallo, fignisve diacriticis, ita excipiebant, ut quaevis lineola unius vocabuli formam referret [3]), unde in codicibus feriori aevo fcriptis itemque apud veteres fcripturae facrae interpretes haud raro diverfae et vocabulorum et enuntiationum divifiones [4]) exftiterunt. Attamen quo diutius haud pauci experiundo cognoverant, eiusmodi codicum difficilem ac mole-

ſtam eſſe lectionem, praeſertim recitationem publicam, eo maiorem plauſum tulit, quam Euthalius, Alexandriae diaconus, Saec. V. in textu Actorum et epiſtolarum uſurpavit [5]), ſcribendi ratio ſtichometrica, cuius ratio haec fuit, ut ea vocabula, quae in recitando propius coniungenda eſſent, nulla quidem interpunctione inſtructa nec invicem ſeparata, unam efficerent lineolam (ϛιχον) [6]). Poſthac, quum ii, qui negotio codicum ſcribendorum operam darent, membranae ſive chartae parcere vellent, ſervaturi tamen diviſionem Euthalianam, ϛιχους illos ita ſcribere coeperunt, ut cuivis ϛιχῳ colon plenum (punctum) adderent, clauſulae indicandae inſerviens, ſed ϛιχον ſequentem antecedenti in una eademque adiicerent lineola [7]). Prodiit inde ſenſim ſenſimque interpunctio integra grammatica, a ſaeculo inde X. in plerisque codicibus uſurpata, initio quidem admodum diverſa [8]), et ſaeculo demum XVI. in editionibus N. F. typis impreſſis ad normam certam ubique conſtituta. Antiquior fuit origo ſignorum ſpiritus (lenis et aſperi) in codicibus N. F. quae ſaeculo certe VI. haud incognita fuiſſe videntur [9]). Uſus vero accentuum, quanquam ab Euthalio factus eſt in adornatione textus N. F. ſtichometrica, non prius tamen quam Saec. X. ubique invaluit [10]).

1) Vd. *Montfaucon* palaeographia graeca p. 151 — 177. 269.

2) Litterae *unciales* Iota *ſubſcripti* prorſus expertes fuerunt, quanquam ſaepenumero (ad Saeculum usque IV: poſt C. N.) Iota *poſtſcriptum* habebant, v. c. ΠΟΛΕΜΟΙ (quod litteris minuſc. ſcribitur πολέμῳ), ſive ΔΕΚΑΤΕΙ pro δεκάτῃ. Vd. Montfaucon l. l. p. 33. 134. 168. 174.

3) Obveniunt quidem in antiquiſſimis earum, quae aetatem tulerunt, inſcriptionum graecarum puncta vocabulis qui-

busdam adpoſita, quibus lectores de recta vocabulorum diviſione admonebantur. Vd. *Montfaucon* l. l. p. 183. Itemque conſtat ex *Dionyſii Thracis* τεχνὴ γραμματικη (*Fabricii* bibl. graeca T. VII. p. 27.) Ariſtophanem Grammaticum Byzantinum a. 200. ante C. N. triplex commendaſſe punctum diacriticum, a) στιγμὴν τελείαν (punctum plenum, ad caput litterae poſitum, enuntiationem finitam indicans), b) ὑποστιγμὴν (litterae ſubſcriptum, fere noſtrum colon), c) στιγμὴν μέσην, mediae parti litterae adpoſitum (fere noſtrum comma). Vd. *Montfaucon* l. l. p. 31. Quanquam vero ſcholae Grammaticorum hanc rationem magnopere probaverunt, nec dubitari poteſt, inter ſcriptores vett. fuiſſe, qui interpunctionem quandam neceſſariam utilemve haberent (*Cicero* de orat. l. 3. c. 44. 46.), librarii tamen acquieſcere ſolebant in ſcriptione continua ſignis diacriticis deſtituta. *Ariſtotelis* τεχνη ῥητορ. l. 3. c. 5.

4) Cfr. *Tertull.* adv. Marc. l. 5. c. 11: *Hieronymus* comment. ad *Epheſſ.* 1, 5. ad *Philem.* v. 4. ſqq. *Epiphanius* liber ancor. c. 75. *Chryſoſt.* homilia V. in *Io.* *Theodor.* ad II. *Corr.* 1, 3. 4, 4. *Romm.* 9, 22. Exempla lectt. varr. ex diviſione vocabulorum diverſimode facta oriundarum permulta in codd. et verſſ. obveniunt.

5) Cfr. quae *Euthalius* ipſe hac de re diſſeruit: *Zacagni* collectanea monumentorum vet. eccl. gr. Romae 1698. 4. T. I. p. 403 ſſ. *Gallandi* bibliotheca patrum etc. T. X. Venet. 1744. p. 199. ſſ.

6) Eiusmodi codicum ſtichometricorum plures aetatem tulerunt. Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 164. Exemplum huius ſcribendi rationis (*Actt.* c. 1. in.):

ΤΟΝΜΕΝΠΡΩΤΟΝΛΟΓΟΝΕΠΟΙΗΣΑΜΕΝ
ΠΕΡΙΠΑΝΤΩΝΩΘΕΟΦΙΛΕ etc.

Haud pauci codd. ad calcem ſingulorum librorum *numerum* στιχων indicant. Utrum iidem στιχοι ab aliis librariis ῥηματα nuncupati fuerint, an poſterius vocabulum aliam ſimilem diſtinguendi rationem indicaverit, diſſentiunt interpretes. Vd. *Hug* Einl. Vol. I. ed. II. p. 235. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 162. ſq. *Roſenmüller* comment. 33. de fatis interpretationis litterarum ſacrarum in eccleſia Chriſt. Lipſ. 1808. 4.

7) Exemplum antiquiſſimum exhibet codex *Cyprius*, quem Rich. *Simon* hiſtoire critique du texte de nouveau teſta-

ment, cap. 10. Seculo X. tribuit, *Montfaucon* palaeogr. gr. p. 231. et August. *Scholz* in comment. de codice Cyprio (commentationum, quae curas criticas in historiam textus evangg. continent, posteriori) p. 73. saeculo VIII. vindicant.

8) Illius, quod supra nota 3. commemoravimus, puncti triplicis mentionem facit *Isidorus Hispalensis* (Saec. VI. et VII. in.) in origg. l. 1, c. 19. Ad saec. IX. refertur primus eorum codd. qui vocabula exhibent intervallis et punctis separata, codex Augiensis. Vd. Herbert *Marsh* Anmerkk. und Zusätze zu Michaelis Einleitung etc. Vol. I. Göttingen, 1795. 4. p. 461. Pro punctis etiam signa crucis subinde in codd. apparent a saeculo inde X.

9) Testimonio inserviunt codex Vaticanus (unus ex antiquissimis), Claromontanus, Sangermanensis. Haec spiritus signa (quorum vetustissimum fuit H, saeculo V. ante Christum haud incognitum, vd. Montfaucon palaeogr. gr. p. 135.) forma sua magnopere differebant. Cfr. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 153. sq.

10) Plures eorum codd. qui post Euthalium *ad saeculum usque* X. scripti sunt, accentu prorsus caruerunt. — De hac tota quaestione cfr. Fr. *Rogall* de auctoritate et antiquitate interpunctionis in N. T. Regiom. 1734.

§. 147.

Admodum antiquam fuisse consuetudinem sectiones (capitula, κεφαλαια) in textu N. F. distinguendi effata docent Tertulliani et Dionysii Alexandrini [1]). Prioribus vero saeculis post C. N. nec vulgo recepta fuit eiusmodi dividendi ratio, neque ad unam eandemque normam et regulam instituta [2]). Posthac, quum Euthalius saeculo V. in sua textus Actorum Apostoli et epistolarum dispositione stichometrica (§. 146.) κεφαλαια adhibuisset, ambitu quidem breviora nostris capitibus [3]), argumento cuiusque primario breviter indicando [4]), similisque sectionum divisio mox etiam in codicibus evangeliorum stichometricis usurpari coe-

pisset [5]); ab hoc inde tempore in plerisque N. F. exemplaribus una eademque dispositionis capitum norma invaluit [6]). Praeterea Ammonius Alexandrinus Saeculo III. medio, harmoniam evangeliorum (ευαγγελιον δια τεσσαρων) adornaturus, textum evangeliorum secundum sectiones multas, admodum breves, disposuerat [7]), eandemque divisionem, hic illic mutatam, Eusebius Caesareensis Saec. IV. in suis adhibuit canonibus evangelicis [8]), unde factum, ut κεφαλαια illa (posthac Ammoniano - Eusebiana dicta) in multis codicibus illi, quae post Euthalium invaluit, sectionum dispositioni coniungerentur [9]). Utriusque vero generis κεφαλαια non omnibus probata sunt, minorem capitum numerum, qui conspectum redderet faciliorem, praesertim in evangeliis desiderantibus, iisque praeplacuit alia textus evangeliorum dispositio secundum τιτλους (sectiones ambitu maiores) facta, quanquam ea non videtur ante saeculum VI. exstitisse [10]). Plerique eorum, qui aetatem tulerunt, codicum et κεφαλαια et τιτλους evangeliorum indicant. Quum hac ratione in textu singulorum librorum adornando haud exigua exstitisset sectionum diversitas, quae usum codicum haud raro difficilem et molestum redderet, Saeculo XIII. Cardinalis Hispanus, Hugo de S. Caro, textum versionis librorum sacrorum vulgatae latinae aliter secundum capita τιτλοις illis maiora disposuit, singulorumque capitum particulas minores, litteris in margine notatas (versus) constituit [11]). Quae quidem textus adornatio per homines doctos graecos in Italia versantes Saec. XV. in codices graecos, mox in editiones N. F. typis impressas transiit [12]). Vulgaris nostra versuum dispositio auctorem habet Robertum Stephanum, N. F. editorem (a. 1551), qui, quum textui graeco praeter ver-

sionem Erasmi latinam vulgatam quoque adderet, illam ab Hugone profectam versuum dispositionem imitatus est [13].

1) *Tertull.* ad uxorem l. 2. c. 2. de pudicitia c. 16. *Euseb.* hist. eccles. l. 7. c. 25.

2) Hanc antiquiorem κεφαλαιων divisionem usui tantum privato, non ecclesiastico inserviisse, inde colligimus, quod, testante *Dionysio* Alexandrino (apud *Euseb.* loco nota 1. laud.), etiam in volumine apocalypseos, quod in coetibus Christianis praelegi non solebat, usurpata est.

3) Quanquam κεφαλαια, quae in epp. ad *Corinthh.* constituit, maiora nostris apparent (IX. capp. I. ad *Corr.* XI. capp. II. *Corr.*), in ceteris tamen breviora fuerunt, v. c. XL. capp. *Actorum*, XIX. capp. ep. ad *Romanos* etc.

4) Quae in epistolis *Paulinis* ab Euthalio adhibebatur, ἐκθεσις κεφαλαιων, testante ipso in comment. §. 146. nota 5. laud. auctorem habebat ἕνα τῶν σοφωτάτων καὶ φιλοχρίστων (*Theodorum Mopsvestiensem* intelligere videtur.)

5) Auctor huius sectionum divisionis ad *evangelia* pertinentis incognitus est. Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 172. Neque compertum habemus, an Euthalius ipse textum quoque *evangeliorum* secundum stichometriam disposuerit.

6) Indices horum κεφαλαιων (capitulationes) posthac ad calcem codicum notari solebant.

7) Cfr. *Caesarius* (Saec. IV.) in dial. I. resp. 39. in *Gallandi* bibl. patrum T. VI.

8) De his canonibus Eusebianis, conspectum eorum, quae in evangeliis obveniunt, locorum parallelorum exhibentibus, cfr. *Wettstein* prolegg. in N. T. ed. Semmler, p. 183. ff. *Milli* N. T. ed. *Küster* Lips. 1723. p. 1. *Marsh* Anmerkk. und Zusätze zu Michaelis Einl. Vol. I. p. 469. sq.

9) Textum *apocalypseos*, olim secundum antiquiorem illum κεφαλαιων ordinem (vd. nota 1.) dispositum, interpres huius libri, *Andreas* episcopus Caesareensis Saec. V. ex. ita adornavit, ut 24 sectiones *maiores* (λογους appellatas), et 72 κεφαλαια constitueret.

10) Neque enim Chryſoſtomo, neque Euthalio haec dividendi ratio cognita fuit. Vocabulum τιτλος, propriè argumenti primarii ſectione quadam tractati indicem ſignificans, ad ipſam tranſiit ſectionem. Diſcrimen vero antiquius, quo τιτλοι ſectiones maiores, κεφαλαια minores indicabat (*Suidas* ſub. v. τιτλος, *Epiphanius* liber ancor. c. 50.) ſeriori tempore non ubique ſervatum eſt, v. *Richard Simon* hiſt. crit. du texte du nouveau teſtament c. 33.

11) Vd. *Bumpaei* comment. crit. ad libros N. T. §. 35. ſqq.

12) Vd. *Hugues* de Saint Cher biblia cum poſtilla, cuius ed. ultima prodiit Lugd. 1645. VI. Volumm. forma max. Quam Hugonianam capitum diviſionem, in editionibus noſtris vulgo receptam, etſi plerumque recte ſe habeat, ſubinde tamen emendandam eſſe, recentiores N. F. interpretes recte intellexerunt.

13) *Robertus* quidem *Steph.* hos verſus in margine numeris notavit. Poſthac auctoritate *Theodori Bezae* (cuius editio prima Genevae a. 1565. prodiit) hoc invaluit, ut verſus ſinguli in textu typis inpreſſo invicem ſepararentur.

§. 148.

Uſui autem eccleſiaſtico a prioribus inde ſaeculis Chriſtianis inſervierunt περικοπαι, αναγνωσεις, αναγνωσματα, ſectiones librorum N. F. lectioni publicae deſtinatae, pro ſingulis diebus dominicis feſtisque diſpoſitae [1]). Solebatque, Euthalio praeeunte [2]), a ſaeculo inde V. et initium et clauſula ſingularum lectionum eccleſiaſticarum in codicibus indicari [3]). Aucta ſucceſſu temporis et dierum feſtorum, et cerimoniarum copia, collectio nova pericoparum, quae et ambitu breviores et numero plures eſſent, inſtituta eſt [4]), cuius uſum eccleſia quidem latina Saeculo V. ex. graeca ſaeculo demum VIII. auctoritate Ioannis Damaſceni facere coepit [5]). Quae apud noſtrates a tempore inde ſacrorum emendatorum uſur-

pantur, pericopae evangelicae et epiſtolicae, tribuuntur vulgo Alcuino (Saec. VIII.), Caroli Magni aulico erudito. Certum eſt, Alcuinum, Caroli M. auctoritate, librum vetuſtum, pericopas continentem, inſcriptum: comes, qui olim Hieronymo tribueretur, pluribus locis emendaviſſe. Neque vero, quae Caroli M. aetate in eccleſia Francorum invaluit, pericoparum collectio, eandem prorſus indolem ſaeculis ſequentibus retinuiſſe videtur [6]).

1) περικοπαι dicuntur *Clementi Alex.* ſtromm. I. 7. p. 750. I. 3. p. 441. ed. Sylb. Solebant 57 ſectiones conſtitui. Imitati quippe fuerant Chriſtiani morem Iudaeorum, in conventibus ſacris pericopas Pentateuchi et Prophetarum (*Juſtin. Mart.* dial. cum Tryph. c. 65. c. 73.) praelegendi, eidemque lectioni publicae praeter ſcripta Moſis et Prophetarum mox etiam libros Evangeliſtarum et Apoſtoll. deſtinaverant.

2) Certum eſt, Euthalium in ſua textus Actorum App. et epiſtolarum adornatione ſtichometrica ordinem pericoparum indicaſſe. Utrum ſuam ipſius, an eiusmodi diſpoſitionem, quae forſan Saec. IV. (libris quoque *αντιλεγομενοις* canoni adſcriptis) inſtitueretur, ſecutus fuerit, diſſentiunt. Vd. *Bertholdt* Einl. Vol. I. p. 232. *De Wette* Einl. p. 36.

3) Initium cuiusque pericopae littera *α* (ἀρχὴ), finis litt. *τ* (τέλος) indicari ſolebat. Proinde vel fronti vel calci codicum eccleſiaſticorum (qui lectiones tantum eccleſiaſtſt. continent) conſpectus pericoparum (vulgo *συναξάριον*, ſive, ubi inſuper *dies* lectionibus ſingulis deſtinati obſervabantur, *μηνολόγιον* appellatus) addebatur.

4) Codices huius novae collectionis ἐκλογάδια, lectionaria, evangeliaria (collectiones lectionum ex evangeliis), praxapoſtoli (collectt. lectt. ex Actis et epp.) dicebantur.

5) Vd. *Bingham* origines eccleſiaſtſt. l. 14. c. 3. §. 3. *Leo Allatius* de libris eccleſiaſtſt. Graecorum diſſ. I. in *Fabricii* bibl. graeca.

6) Vd. *Mabillon* Annales Ord. Bened. T. II. l. 26. p. 328. *Thameri* ſchediaſma de origine et dignitate pericoparum, Ienae, 1716. 4.

§. 149.

Quemadmodum apud veteres omnino parum uſitatae fuerunt inſcriptiones voluminum, ita, quae in codicibus praefixa leguntur ſingulis libris N. F. non profecta eſſe ab ipſis auctoribus certum eſt, quum praeter teſtimonia patrum eccleſiae antiquiorum [1]), ipſa harum inſcriptionum indoles [2]), et, quae in codicibus apparet, diverſitas [3]), ſeriorem illarum originem demonſtret [4]), ſive eo ipſo tempore, quo collectiones librorum N. F. antiquiſſimae, *το ευαγγελιον* et *ο αποστολος* (§. 137.) fierent, ſeu paulo poſt exſtiterint [5]). Citius tamen inſcriptiones invaluerunt, quam ſubſcriptiones. Quae quidem, partim ex inſcriptionibus, partim ex obſervationibus antiquiſſimorum N. F. interpretum oriundae, ab eo inde tempore in codicibus vulgo uſurpatae ſunt, quo Euthalius, ſynopſin ſcripturae Athanaſio olim tributam in plerisque ſequutus, uſum earum fecerat in ſua textus Actorum App. et epiſtolarum editione ſtichometrica [6]).

1) Vd. *Chryſoſt.* homilia I. in Matth. praef. *Tertullian.* adverſus Marcionem l. 4. c. 2. c. 5. c. 11. c. 17.

2) Plura in iis obveniunt, quae ab auctore ſcripta fuiſſe nemo facile exiſtimaverit. V. c. Παύλου τοῦ ἀποστόλου ἡ πρὸς Κορινθίους ἐπιστολή πρώτη (non fuit prima omnium, vd. §. 54. nota 5.) ſ. ἡ πρὸς Θεσσαλονικεῖς ἐπιστολὴ πρώτη (unde compertum habebat Paulus, quo tempore haec ep. prior ſcriberetur, ſe etiam poſteriorem eſſe ſcripturum?) ſ. inſcriptio nimis vaga ἡ πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολὴ, ſ. ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ θεολόγου (praedic. θεόλογος ſerioris fuit originis.)

3) v. c. Ἐυαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον, τὸ κατὰ Ματθαῖον ἐυαγγέλιον, τὸ κατὰ Ματθ. ἅγιον ἐυαγγέλιον, five αἱ πράξεις τῶν ἁγίων ἀποστόλων, λουκᾶ ἐυαγγελιστοῦ πράξεις ἀποστόλων, αἱ πράξεις τῶν ἀποστόλων τοῦ ἁγίου λουκᾶ τοῦ ἐυαγγελιστοῦ, πράξεις τῶν ἀγ. ἀποστόλων συγγραφεῖσαι ὑπὸ λουκᾶ τοῦ ἐυαγγελιστοῦ.

4) De evangeliſtis tantum probabiliter ſtatuimus, eos commentariis ſuis ſimpliciter praefixiſſe ἐυαγγέλιον. *Chryſoſt.* homilia 1. in Matth. praef.

5) Evangelia et Acta App. Saeculo II. exeunte inſcriptiones, quae in codd. noſtris exſtant, vulgo habuerunt, vd. *Iren.* contra haerr. l. 3. c. 11. *Clemens Alexandr.* ſtromm. l. 5. p. 588. Sylb. Inſcriptiones plerarumque Pauli epiſtolarum circa ſaeculum II. medium uſu invaluiſſe videntur. Solebant quippe patres eccl. veteres *Marcionem* nuncupare auctorem ſententiae, qua ep. ad Epheſios *Laodicenſibus* potius ſcripta dicebatur, vd. §. 60. nota 11. Itemque ep ad Hebraeos a tempore inde *Pantaeni* hoc nomine laudatur.

6) Cfr. de epiſtolis Pauli obſervata §. 49. nota 10.

§. 150.

Ex iis, quae capite primo de familiis diverſis teſtium N. F. criticorum diſputavimus, facile patet, in pretio codicum definiendo et codicis, et ipſius textus graeci conformationis [1]), quae hoc documento contineatur, aetatem atque patriam, quantum fieri poſſit, explorandam eſſe. Codicis quidem aetati definiendae, praeter ea, quae forte in ſubſcriptionibus ſcholiisve margini adſcriptis obveniunt, inſervit, ut indolem chartae ad codicem exarandum adhibitae (§. 145.) [2]), litterarum vel uncialium vel curſivarum (§. 146.) [3]), ſcriptionis vel continuae vel ſtichometricae vel interpunctione prorſus inſtructae (§. 146.), κεφαλαιων divisionis (§. 147.), compendiorum [4]) ſcripturae ſpecte-

mus; patriam ex notis codici adscriptis sive calci adpositis, ductu [5]) litterarum, indole orthographiae, diligentia in scribendo magis minusve servata cognoscimus [6]). Quod vero ipsius textus graeci, qui codice continetur, conformationem attinet (ex iis lectionibus varr. quae indolem illam prae ceteris definiunt, elucescentem), comparanda est cum aliis documentis criticis (codicum, versionum, patrum), quorum aetatem et patriam aliunde compertam habemus, quo exploretur, cuinam saeculo et regioni indoles textus huius codicis vel tota vel ex parte [7]) recte vindicetur. Quanquam facile fieri potuit, ut librarii, qui codices graeco-latinos describerent, subinde in textu graeco aliquid mutarent, quo accuratius responderet voci latinae versionis Ante-Hieronymianae (Italae), neque negamus, versionem potissimum vulgatam successu temporis pluribus locis singulis vim habuisse ad textum graecum conformandum; parum recte tamen olim plures viri docti [8]) eos omnes codices, qui latinizantes dicuntur (qui in delectu lectionum vel prorsus vel plerumque textui latino conveniunt) propterea suspectos habuerunt, quod textum suppeditaverint ad latinum prorsus recensitum [9]).

1) Haec enim indoles textus graeci codicum singulorum haud raro ex aliis documentis *antiquioribus* originem duxit. Vd. *Eichhorn* Einl. T. V. p. 231.

2) Codices, quorum membranae sunt tenuiores, antiquitate praestant iis, qui membranas firmiores et crassiores continent. Vd. *Gatterer* de methodo aetatis codicum mss. definiendae in commentatt. societ. Gotting. scientt. T. VIII.

3) Simplicitas quaedam formae litterarum uncialium indicio inservit codicis antiquioris. Minuscularum usus mox abiit in artificia litteras pingendi diversissima. Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 178. sq.

4) Compendia scripturae a ταχυγραφοις adhibita (quorum usum an ipsi N. F. auctores, eorumve scribae fecerint, sub iudice lis est) eiusmodi vocabula, quae frequenter obveniunt, breviter indicant, v. c. ΘC (θεος), ΠΡ (πατηρ), XC (χριστος), ΑΝΟC (ανθρωπος), ισ (ιησους), σηρ (σωτηρ), etc. Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 198. In aliis quidem codd. rarius, in aliis frequentius apparent. Quo magis negotium codicum scribendorum (in ecclesia potissimum Constantinopolit.) successu temporis properabatur, eo lubentius usurpata sunt. Neque negligenda sunt *correctionis signa* varii generis (vd. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 182. sq.), quae produnt, vel codicem seriori tempore aliena manu retractatum esse, vel eum, qui codicem exararet, plures contulisse codices, textum diversarum familiarum continentes.

5) Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 179. sq. *Bertholdt* Einl. Vol. II. p. 497. sq.

6) In codicibus *bilinguibus*, qui una cum textu graeco versionem latinam continent, vel separatim scriptam (qui codd. proprie dicc. graeco-latini), vel singulis textus graeci lineolis insertam (codd. cum versione interlineari), patria textus graeci ex patria versionis cognosci solet.

7) Obveniunt quippe codd. qui, etsi maximam partem textum exhibeant antiquiorem, singulis tamen locis lectiones probaverint ad aliam textus graeci conformationem seriorem pertinentes. Nec eiusmodi codd. desunt, qui *textum prorsus mixtum* suppeditent, e lectionibus codicum diversissimi temporis, regionumque diversissimarum compositum.

8) Vd. Rich. *Simon* in l. kritische Geschichte des Textes des N. T. p. 682. ff. *Beni. Michaelis* tract. critica de variis lectionibus N. T. caute colligendis §. 80. sqq. *Wettstein* in prolegg. editionis N. T. *Defendunt* horum codd. auctoritatem: *Millius* in prolegg. N. T. §. 1250. *Semmler* Vorbereitung zur theologischen Hermeneutik, 3. und 4. St. *Eiusd.* apparatus ad liberalem N. T. interpretationem Hal. 1767. p. 44. ff. *Eiusd.* spicilegium observationum de variantibus N. T. lectionibus, in l. *Wettstenii* libelli ad crisin N. T. ed. *Semmler* (1766. 8) *Griesbach* symbolae criticae etc. Voll. II. Hal. 1785—93. 8. (cfr. Vol. I. p. 110. ff.). *Dav. Michaelis* Einl. Vol. I.

p. 524. ff. ed. IV. *Marsh* Anmerkk. und Zusätze zu Michaelis Einl. übers. von *Rosenmüller*, Vol. I. p. 231. *Bertholdt* Einl. Vol. II. p. 491. ff. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 235. ff.

9) a) Quo minus lectiones versioni latinae Ante-Hieronymianae probatas vel in Occidente, vel in ecclesiis africanis et asiaticis ex latino textu desumtas et graece translatas fuisse censeamus, inpedit, quod neque Christiani occidentales sermonis graeci, neque aegyptii et asiatici sermonis latini peritia ad eiusmodi negotium perficiendum necessaria illo tempore instructi fuerunt. b) Eiusmodi lectt. varr. quas illi e textu latino oriundas dicunt, apud *Irenaeum* et *Clementem Alex.* obveniunt, *priusquam* versio Ante-Hieronymiana divulgata est, nec desunt huius generis lectiones in versionibus antiquis earum regionum, in quibus textum illum latinum vulgo usurpatum fuisse et auctoritatem obtinuisse recte negamus (vers. Peschito, Copticis, Armenica, Slavonica etc.) c) Neque, *postquam* versio illa exstiterat, Christiani, pro religione, qua textum librorum sacrorum venerabantur, graeca ex latinis immutasse probabiliter existimantur. d) Quum codices graeco-latini (nota 6.) haud dubie ita exarari solerent, ut pagina graeca prius scriberetur, quam latina, multo probabilius in eiusmodi exemplaribus latina secundum textum graecum conformata fuisse coniicimus. e) Quo certius testimoniis constat, versionem lat. Post-Hieronymianam (vulgatam) ante tempora concilii Tridentini nunquam perfectam esse iudicatam, immo diversis temporibus secundum codices graecos recensitam, eo minus cogitare licet de immutatione textus graeci ex vers. vulg. instituta. Nec desunt codd. graeco-latini, quorum textus gr. versione vulgata instructus pluribus locis versioni Ante-Hieronymianae potius, quam vulgatae conveniat. f) Testimoniis destituitur, quod *Erasmus* Roterod. in sua N. F. editione V. (a. 1535.) perhibet, in concilio Florentino a. 1439. ecclesiis graecis inperatum fuisse, ut codices N. F. secundum versionem vulg. emendarent. Vd. *Michaelis* Einl. Vol. I. p. 529. ed. IV. Consensus codicum, qui latinizantes dicebantur, cum textu latino, caussa haud dubie haec fuit, quod ex graecis promanaverunt exemplaribus, ad eandem textus graeci conformationem antiquissimam pertinentibus, quam versio latina Ante-Hieronymiana ante oculos habuit.

§. 151.

Ceterum paucissimi sunt codices, qui totum N. F. complectantur [1]). Neque in omnibus idem apparet ordo, quo libri singuli se excipiunt [2]). Ingens est multitudo codicum, qui hucusque usui critico inservierunt (quanquam permulti in singulis tantum N. F. libris sectionibusve collati sunt), numerum 700 codicum superans. Sufficiat [3]), omnium maxime memorabiles enumerasse [4]). Huc pertinent a) qui exarati fuerant, priusquam scribendi ratio stichometrica (§. 146.) invaluit, codex Alexandrinus [5]), Vaticanus [6]), Ephraëmi [7]), Dublinensis rescriptus [8]) b) stichometrici, Cantabrigiensis [9]), Laudianus [10]), Claromontanus [11]), Boernerianus [12]), Augiensis [13]), Coislinianus [14]), c) ex iis permultis, qui scripti sunt, quum usus stichometriae desiisset, codex Cyprius (olim Colbertinus) [15]) Basiliensis B. VI. 21 [16]) et Basiliensis B. VI. 27. qui etiam Reuchlinianus dicitur [17]), Stephani octavus [18]), Winchelseanus [19]), Regius [20]), Mosquensis bibliothecae S. Synodi V. [21]) itemque Mosquenses eiusdem bibliothecae IV. XLIII. XCVIII [22]).

1) De caussis cfr. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 172. ss. Plerique evangelia tantum continent, multi Acta App. epistolas et apocalypsin, s. Acta cum epistolis catholicis, s. solas Pauli epp. s. apocalypsin solam. Vd. *Beck* monogrammata hermeneutices librorum N. F. p. I. p. 91. sqq.

2) In plerisque eorum codd. qui omnes N. F. libros continent, hic ordo apparet: evangelia Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis, Acta Apostolorum, epistolae catholicae, apocalypsis, epistolae Paulinae. Obveniunt tamen, qui evangelium Ioannis *vel* statim post Matthaeum, deinde Lucam et Marcum, *vel* primo loco, deinde Matthaeum, Marcum, Lucam habeant. In nonnullis librum Actorum Pauli epistolae sequuntur, quas deinde catholicae et apo-

cal. excipiunt. Epistola ad Hebraeos plerumque epistolam ad Philemonem excipit; in multis praecedit epistolis ad Timoth. Titum et Philem. datis.

3) Qui enumerationem omnium, qui hucusque innotuerunt, codicum N. F. desideraverit, praeter catalogos bibliothecarum, quae codices continent, typis inpressos (cfr. *Heumann* conspectus reipublicae litterariae ed. *Eyring*, P. I. cap. 4), pluresque libros iam laudatos, criticen N. F. tractantes Rich. Simonis, Semmleri, Wettstenii, Griesbachii, praesertim hos adeat: *Beck* monogrammata laudd. p. 42. ss. (ubi indice alphabetico enumerantur), *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 188. ss. (potiores certe recensentur, et litteris uncialibus, et minusculis scripti, quorum alii textum alexandrinum, alii byzantino-asiaticum suppeditant), *Scholz* prolegg. suae N. T. edit. Vol. I. 1830. p. XXXVIII. seqq.

4) Sequimur h. l. ordinem, quo *De Wette* Einl. p. 63. ss. praeeunte *Hugio* Einl. Vol. I. p. 252. ss. ed. II. codices auctoritate prae ceteris insignes disposuit.

5) Patriam habet Egyptum, totam continet scripturam sacram V. et N. T. (libros quidem V. T. ex versione LXX.), quanquam lacunae subinde obveniunt, membranaceus est, litterisque uncialibus elegantia insignibus, scriptione fere prorsus continua exaratus, interpunctione rara, sed τιτλοις et κεφαλαιοις maioribus minoribusque instructus. Indolem textus, quem exhibet, *Eichhornius* (Einl. Vol. V. p. 206.) maximam partem alexandrinam esse contendit, aliis eum ex diversis recensionibus compositam indicantibus. In Britanniam translatus est a. 1628. quo *Cyrillus Lucaris*, patriarcha Alexandr. deinde Constantinopolitanus hunc codicem ex bibliotheca, quae in monte Athos fuit, acceptum Regi Brit. Carolo I. donaverat. Exstat hoc tempore in museo britannico (Lond.) Satis probabiliter vel Saec. V. vel VI. *in.* exaratus putatur. Vd. *Semmler* diss. de aetate cod. Alex. Hal. 1760. 4. *Eichhorn* l. l. p. 205. Facsimile exhibet: N. T. graece e cod. alexandr. descriptum a Godofr. Car. *Woide*, Lond. 1786. forma max. Cfr. *Woide* notitia codicis alexandr. cum variis eius lectionibus, cur. Leber. *Spohn*, Lips. 1788. 8. In editionibus Wettsten. et Griesb. littera A notatur.

6) *Vaticanus* membranaceus, quem h. l. dicimus, (ab aliis multis eiusdem bibliothecae codd. N. F. distinguendus, vd. *Beck* l. l. p. 80. ff.) num. 1209. apud Griesb. et Wettsten. littera B. signatus, et versionem LXX. V. T. et libros N. F. (exceptis sectionibus postremis epistolae ad Hebrr. inde a c. 9. v. 14. itemque epistolis ad Timotheum, Titum, Philemonem, et apocalypsi) continet, ita ut indolem textus N. F. alexandrinam exprimat. Litterae sunt unciales. Scriptio continua, accentibus signisque spiritus lenis et asperi instructa (forsan seriori manu additis). Nec τιτλους habet nec κεφαλαια, sed aliam sectionum divisionem. Patriam habuisse videtur Egyptum; nostro tempore in bibliothecam Nation. Paris. translatus. De aetate dissentitur, aliis eum saeculo VI. aut V. aliis IV. vindicantibus. Cfr. S. *Hichtel* de antiquitate et praestantia codicis Romani prae Alexandrino, Jenae, 1734. 4. *Hug* de antiquitate codicis Vatic. Friburgi, 1810. 4. Facsimile exhibet *Blanchini* evangeliarium quadruplex, T. I. Vol. 2.

7) Dicitur etiam codex *Regius* 9. (olim 1905.), in bibliotheca quippe regia Paris. repositus, atque *rescriptus*, siquidem olim totam continebat scripturam sacram (et V. T. versionis LXX. et N. T.), Saeculo autem X. aut XI. librariis inserviit male sedulis, qui textum librorum ss. delere studuerunt, illius loco commentationes quasdam graecas Ephraëmi Syri in his membranis consignaturi, quanquam non omnia ita expungere potuerunt, ut prorsus laterent oculos Wettstenii, diligentia summa in textu antiquo, quantum fieri posset, recognoscendo elaborantis. Proinde, qualem nunc habemus, fragmenta tantum scripturae sacrae (praesertim N. F.) exhibet secundum indolem textus N. F. alexandrinam. Apud Wettst. et Griesb. litt. C. signatur. Litterae sunt unciales, scriptio continua, interpunctio rara, neque accentus habet, nec signa spiritus lenis et asperi, attamen τιτλους, et κεφαλαια Eusebiana. Exaratus videtur in Egypto, ante codicem alexandr. Cfr. *Hug* Einl. Vol. I. p. 263. ed. II. Facsimile habet *Montfaucon* palaeogr. gr. l. 3. c. 3. p. 214.

8) Exstat hic codex membran. codici Ephraëmi admodum similis, eiusdemque aetatis, in bibliotheca collegii Trinit. Dublinensis, continetque solum Matthaei evang. (non sine lacunis) secundum indolem textus N. F. alexandri-

mam. Alexandriae fcriptus effe videtur. Vd. *Scholz* prolegg. ad edit. N. F. laud. p. XLIII. fq. *Facfimile:* Ev. fecundum Matth. ex codice refcripto in bibl. collegii S. Trinit. iuxta Dubl. defcriptum opera et ftudio Io. *Barret*, cui adiungitur appendix collationem codicis Montfortiani complectens, Dublin. 1801.

9) Apud Wettften. et Griesb. litt. D. Appellatur etiam codex *Theodori Bezae*, quippe qui hoc documentum, membranaceum, cuius fata antiquiora ignoramus, in monafterio Lugdunenfi a. 1562. repertum, a. 1581. bibliothecae Academiae Cantabrig. donavit. Continet quatuor evangelia, et Acta App. non fine lacunis recentiore manu expletis, cum verfione quadam latina Ante-Hieronymiana (pluribus locis fecundum textum graecum aliorum documentorum conformata.) Litterae graecae funt unciales, latinis elegantia praeftantes, neque accentibus nec fignis fpiritus lenis et afperi inftructae. Lineolae ftichometrice quidem (absque vocabulorum fingulorum intervallis), attamen haud raro parum commode divifae. Neque τιτλοι, neque κεφαλαια (a prima manu) obveniunt. De patria diffentiunt, utrum in Egypto, an (quod partim verfio latina adpofita, defideriis Chriftianorum occidentalium inferviens, partim indoles orthographiae vocum latinarum probabile reddit) in Gallia meridionali exaratus fuerit. Diverfimode item de aetate iudicant. Certum eft, nec ante decennia poftrema Saec. V. fcriptum effe, neque poft Saec. VIII. Plerique eum Saeculo V. aut VI. vindicant. Indolem textus graeci *Griesb.* occidentalem appellavit, *Eichhornius* (Vol. V. p. 191) et alii alexandrinam. Lectiones varr. quae huic codici propriae fint, ex ufu verfionis cuiusdam orientalis derivandas effe, nuperrime evincere ftuduit Dav. *Schulz* in comment. erudita de codice D. Cantabrigienfi, Vratislav. 1827. 4. Cfr. oppofita: *Winer* und *Engelhardt* neues krit. Journal der theol. Litter. 8. B. 2. St. 1828. p. 252. ff. *Facfimile*: Codex Theodori Bezae Cantabrig. etc. academia aufpicante edidit codicis hiftoriam praefixit notasque adiecit Thom. *Kipling*, Cantabr. 1793. II. Voll. forma max.

10) *Laudianus* qui dicitur III. ab aliis N. F. codd. iunioribus eiusdem bibliothecae diftinguendus (apud Wettft. et Griesb. litt. E.) nonnifi textum graecum Actorum fere integrum, fecundum indolem textus alexandrinam, cum verfione latina exhibet. Membranaceus eft, litteris un-

cialibus sine accentu scriptus, et κεφαλαια habet Eusebiana. *Laudius*, episcopus Cantuariensis, codicem illum, ex Sardinia in Britanniam translatum, bibliothecae Bodleianae Oxon. donaverat. Utrum scriptus fuerit Alexandriae, an in Europa occidentali (vd. *Eichhorn* V. p. 200.) sub iudice lis est. De aetate exploratum habemus (ex ipsa scribendi ratione stichometrica, et observatione quadam historica codici ad calcem subiecta), neque ante Saec. V. medium, neque post Saec. VIII. exaratum esse. Satis probabiliter Saeculo VI. aut VII. in. tribuitur. *Fac-simile:* Acta App. graeco-latina litteris maiusculis, e cod. Laudiano etc. descripsit ediditque Th. *Hearne*, Oxon. 1715. 8.

11) *Claromontanus* (apud Griesb. et Wettst. inter codd. *Paulinos* litt. D. sign.) propterea dicitur, quod Theodorus *Beza*, qui olim hunc codicem membran. possedit (posthac a. 1656. in bibliothecam regiam Paris. translatum), testatur, se illum ex oppido Gall. Clermont en Beauvaisis accepisse. Continet tredecim tantum Pauli epistolas fere integras cum versione latina. Epistola ad Hebraeos manu seriore latine translata sub finem legitur. Litteris uncialibus scriptus est, absque divisione vocabulorum singulorum. Accentus habet, spiritus signa, nec raro indicia correctionis, quam diversis temporibus subiit. Textus, quem exhibet, *Eichhornio* iudice (V. p. 194.) maximam partem ad indolem alexandrinam pertinet, *Griesbachio* hunc cod. ad recensionem occident. referente. De antiquitate codicis eadem valent, quae nota 10. de Laudiano diximus. *Fac-simile* habet *Montfaucon* palaeogr. graeca l. 3. c. 4. p. 217. Qui *Sangermanensis* dicitur (a coenobio Paris. St. Germain, ubi olim fuerat, priusquam in bibliothecam Petropolitanam transferebatur), codex epistolarum Pauli graeco-latinus (apud Griesb. et Wettst. inter codd. Paul. litt. E. sign.) membranaceus, totus ex Claromontano descriptus est Saec. X. aut XI. Vd. *Montfaucon* palaeogr. gr. p. 218.

12) Apud Wettst. et Griesb. (inter Paulinos) litt. G. Ex bibliotheca *Boerneri*, Theol. Professoris Lips. in biblioth. regiam Dresdensem translatus est. Tredecim Pauli epistolas fere integras continet cum versione lat. interlineari Ante-Hieronymiana. Ep. ad Hebrr. deest. Membranaceus est, litteris scriptus uncialibus ad minusculas pro-

pius iam accedentibus, neque accentu, nec spiritus signis instructis. Stichometria codicis ita se habet, ut singuli στιχοι nullis quidem lineolarum intervallis, sed litteris *initialibus maioribus* invicem distinguantur. Praeeuntibus notis margini adscriptis exaratus est Saec. IX. ex. aut X. Textus graeci indolem refert alexandrinam, indicante *Eichhornio* V. p. 198. *Griesb.* eum recensioni occidentali tribuit. *Fac-Simile:* XIII. epistolarum Pauli codex cum versione latina veteri, olim Boernerianus etc. summa fide et diligentia transcriptus et editus a Chr. Fr. *Matthaei*, Misenae, 1791. 4.

13) Apud Wettst. et Griesb. (inter Paulinos) litt. F. Fuerat olim in coenobio helvetico Augiae maioris, unde Professori Heidelberg. Christ. *Miegio* contigit, qui eum a. 1718. Richardo *Bentleio* vendidit, ex cuius bibliotheca, post obitum Bentleii minoris, in bibliothecam collegii S. Trinit. *Cantabrigiensis* translatus est a. 1787. Exhibet 13 Pauli epistt. fere integras graece et latine (addito textu latino ep. ad Hebrr.) Membranaceus est, litteris scriptus uncialibus, sine accentu, sed vocibus singulis et intervallo et puncto distinctis. Praeeuntibus notis quibusdam et margini codicis et calci adpositis decenniis postremis Saec. IX. exaratus est, in Europa occidentali (quod litterarum latinarum ductus arguere videtur.) De ea, quam refert, textus graeci indole eadem valent, quae de cod. Boerner. nota 12. monuimus, omninoque tanta est utriusque similitudo, ut ex uno eodemque codice, saepius correcto, et lectionum diversitatem indicante, originem duxisse videantur. Vd. *Montfaucon* palaeogr. gr. p. 237.

14) *Coislinianus* CCII (ab aliis multis codd. N. F. eiusdem bibliothecae *Coislini*, olim episcopi *Metz.* distinguendus, apud Wettst. et Griesb. litt. H. sign.) ex monte Athos in Galliam translatus, membranaceus, litteris uncialibus admodum proceris scriptus, accentu instructus, qualem nunc habemus, fragmenta tantum continet epistolarum Paulinarum. Exaratus videtur Saec. VII. aut VIII. refertque indolem textus alexandr. Vd. *Montfaucon* bibliotheca Coisliniana T. II. p. 253. ff.

15) *Colbertinus* olim dicebatur 5149. (ab aliis codd. quos idem *Colbertius* comparaverat, distinguendus), nunc *regius* 63. (in bibliotheca regia Paris. repositus), itemque *Cyprius*, ex Cypro insula a. 1673. in bibliothecam Colbert. advectus, apud Griesb. et Wettst. litt. K. Textum

hic cod. membran. ſuppeditat graecum quatuor evangeliorum, maximam partem ad indolem alexandr. conformatum, pluribus tamen locis ad conſtantinopolit. propius accedentem. Litteris ſcriptus eſt uncialibus, vocibus ſpatio nullo diviſis, ſed puncto fini cuiusque στιχου adpoſito. κεφαλαια, et maiora et minora, τιτλουςque habet, itemque accentus, haud raro quidem parum recte poſitos. Exaratus eſt Saec. VIII. aut IX. Vd. *Montfaucon* palaeogr. gr. l. 3. p. 232. *Scholz* comment. de codice Cyprio, Heidelb. 1820. 4.

16) *Baſileenſis* B. VI. 21. (ab aliis codd. Baſill. diſtinguendus), apud Wettſt. et Griesb. litt. E, ſign. membranaceus, textum graecum evangeliorum (non ſine lacunis, nonnullis etiam manu ſeriori additis) exhibet, litteris ſcriptum uncialibus, plerumque accentu, ubique interpunctione grammatica inſtructum, maximam partem ſecundum indolem textus conſtantinopol. conformatum. Plura indicia docent, exaratum fuiſſe Saec. IX. aut X. Vd. A. *Schmelzer* de antiquo baſileenſis bibl. codice graeco etc. Gott. 1750. 4. *Chr. Beck* diſſert. de codd. mſſ. gr. N. T. Baſil. 1774. 4.

17) Quod nomen a *Reuchlino* duxit, qui hunc cod. membran. ex bibliotheca monaſterii Baſil. acceptum per 30 annos tenuerat, eiusque uſum permiſerat Eraſmo, N. F. editori. Textum graecum totius N. F. (excepta apocalypſi) continet, litteris minuſculis ſcriptum, accentu inſtructum et τιτλοις Euſebianis (quorum litterae inauratae ſunt), imaginibus variis condecoratum, in evangeliis ad indolem textus alexandrinam, in ceteris ad conſtantinopolitanam conformatum. Praecipuus uſus eſt criticus textus evangeliorum. Saeculo X. hunc cod. recte vindicamus. Cfr. *Beck* diſſert. nota 16. laud.

18) *Stephani octavus* (ab aliis codd. Pariſſ. quos idem Rob. *Stephanus*, N. F. editor adhibuerat, diſtinguendus), inter *regios* (codices bibliothecae regiae Pariſ.) olim 2861, nunc 62. apud Wettſt. et Griesb. litt. L. ſign. membranaceus textum exhibet gr. quatuor evangeliorum fere integrum, litteris uncialibus ſcriptum, absque vocabulorum diviſione, ſignis ſpiritus lenis et aſperi antiquioribus itemque ſignis crucis clauſulam enuntiationum ſingularum indicantibus, τιτλοις, ſectionibus Ammonianis, canonibusque Euſebii, interdum etiam accentu inſtructum.

De tempore, quo scriptus fuerit, dissentiunt, aliis eum Saeculo VII. aliis VIII. aliis IX. vindicantibus. Collatio accurata docuit, librarium, etsi haud pauca scribendi vitia committeret, ante oculos tamen habuisse codicem vetustum, *praestantia eminentem*, qui ad indolem textus N. F. alexandrinam pertineret.

19) Repositus est in bibliotheca Comitis *de Winchelsea*. Apud Griesb. et Wettsten. num. 106. sign. Membranaceus est, textumque gr. quatuor evangeliorum continet, litteris minusculis scriptum accentu instructum, secundum indolem textus alexandr. conformatum. Exaratus est saec. X.

20) Eum intelligimus, qui inter codd. bibliothecae regiae Paris. 48. dicitur (olim 2243), apud Wettst. et Griesb. litt. M. sign. Membranaceus est, textum exhibens graecum evangeliorum, litteris uncialibus scriptum, accentu et interpunctione instructum, ad indolem textus N. F. constantinopolit. conformatum. Exaratus est Saec. IX. aut X. Vd. *Montfaucon* palaeogr. graeca l. 3. c. 8. p. 260. sq.

21) Quatuor continet evangg. graeca (Ioanneum quidem inde a c. 7. v. 39. manu seriori additum). Textus litteris uncialibus (parum proceris, sed elegantibus) scriptus est, absque vocabulorum divisione, ita tamen, ut sectionibus brevibus constet, quae versibus editionum nostrarum N. F. similes sunt, instructus accentu, spiritus signis antiquioribus, punctis lineolisque diacriticis, κεφαλαιοις Eusebianis. Indolem exprimit textus constantinopolitani. Exaratus videtur Saec. IX. Vd. *Matthaei* N. T. ex ed. mai. ad epp. ad Thessall. et Timoth. ibidemque ad apocal.

22) Mosqu. S. Syn. IV. membran. ex monte Athos in biblioth. Moscov. translatus Acta cum epistolis graece continet, secundum indolem textus constantinopol. Exaratus Saec. IX. aut X. Vd. *Matthaei* ed. maior ad Acta p. XIII. ep. ad Romm. p. 277. Mosqu. S. Syn. XLIII. evangeliarium exhibet litteris uncialibus scriptum cum accentu signisque spiritus, ex sententia Matthaeii ante saec. VIII. exaratum. Vd. *Matthaei* ed. maior ad epp. ad Thessall. p. 252. Mosqu. S. Syn. XCVIII. (olim in coenobio, quod in monte Athos fuit, repositus) epistolas complectitur litteris uncialibus consignatas, cum accentu,

signis spiritus, punctisque diacriticis. Scriptus est Saec. IX. aut X. Vd. *Matthaei* ed. maior epp. ad Romm. Titum et Philem. p. 265. Uterque ad indolem textus constantinop. pertinet. — Ceterum. *praeter* libros multos in notis ad §. §. capitis I. et II. passim laudatos historiae textus N. F. praesertim codicum illustrandae inserviunt: *Rinck* lucubratio critica in Acta App. epistolas catholicas et Paulinas, Basil. 1828. 8. Iac. *Dermout* disput. exhibens collectaneorum criticorum in N. T. partem priorem, Lugd. Bat. 1825. 8.

Caput III.

DE VERSIONIBUS NOVI FOEDERIS ET PATRUM TESTIMONIIS CRITICIS.

§. 152.

Versionum N. F. antiquiorum, in codicibus mss. servatarum usus est duplex, et criticus, et exegeticus. Quod priorem attinet, versiones veteres haud paucas lectt. varr. suppeditarunt, quae in ceteris documentis vel omnibus vel plerisque desiderantur; inserviunt aetati et patriae huius illiusve textus conformationis accuratius explorandae; ad lectiones singulas in codicibus graecis obvias vel confirmandas vel refutandas haud parum testimoniis suis conferunt [1]. Exegeticum praestant, quatenus non tantum quaevis versio fida sententiarum scriptoris in aliam linguam translatarum veluti perpetuus est interpres, sed etiam plures versionum antiquarum auctores, pro tempore, quo vivebant, et patria, qua utebantur, haud pauca accuratius habebant perspecta, quae ad interpretationem N. F. et philologicam et historicam recte insti-

tuendam plurimum valent. Recentiores facile patet exegetico tantum uſui inſervire [2]).

1) Qualem textus gr. indolem verſionis auctor ante oculos habuerit, quas leges in vertendo ſibi ſcripſerit, quae fata temporis ſucceſſu textus verſionis ſubierit, quantum fieri poteſt, indagandum. Patetque, verſionum auctores, *qui textum graecum ipſum* verterint, uſu critico plurimum praevalere iis, qui aliam quandam textus graeci verſionem in ſuam linguam tranſtulerint; quanquam, qui ad genus poſterius pertinent, recte adhibentur ad textum eius, quam accurate expreſſerint, verſionis corrigendum.

2) De verſionibus antiquis N. F. univerſe cfr. *Le Long* bibliotheca ſacra ed. *Maſch* (Hal. 1778 — 1790. 4.) P. I. Vol. I. III. *Richard Simon* kritiſche Hiſtorie der Ueberſetzungen des N. T. aus dem Franzöſ. überſ. von *Cramer*, mit Anmerkk. von *Semmler*, Halle, 1777. 80. Voll. II. 8. K. *Roſenmüller* Handbuch für die Litteratur der bibl. Kritik und Exegeſe, Göttingen, 1797 — 1800. IV. Voll. (huc pertinet Vol. III.) *Michaelis* Einl. Vol. I. p. 359. ff. ed. IV. *Hug* Einl. Vol. I. p. 325. ff. ed. II. *Bertholdt* Einl. Vol. II. p. 632. ff. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 383. ff. Vol. V. p. 1 — 118. *De Wette* Einl. p. 11. ſeqq.

§. 153.

Ex iis, quae orientales dicuntur, verſionibus vetuſtis primo quidem loco commemorandae ſunt ſyriacae. Antiquiſſimam fuiſſe, quae propter fidem ſingularem (ſecundum interpretationem vocabuli ſyriaci plerisque probatam) Peſchito diceretur, parti poſteriori Saeculi II. initio certe ſaeculi III. (minime vero [1]) ſaeculo I.) vindicandam, ex ambitu librorum N. F. quos verſio illa complectitur [2]), aliisque argumentis hiſtoricis [3]) recte colligimus. Edeſſae in Syria (ubi litterarum artiumque ſtudia mature viguerunt) ſcripta probabiliter exiſtimatur. De auctore eius auctoribusve nihil [4]) innotuit. Adornata eſt ex codice quodam

textus graeci [5]) admodum vetuſto, praeſtantia inſigni, apparetque, quod indolem textus graeci translati criticam attinet, eiusmodi neceſſitudo interior verſionis Peſchito atque latinae antiquiſſimae, quae doceat, codices graecos utrique verſioni adhibitos inter documenta textus antiquiſſimi nondum recenſiti pertinuiſſe [6]). Quanquam non litteralis eſt, commendatur tamen fide ſua et perſpicuitate, neque criſin tantum, ſed etiam, propter convenientiam ſingularum linguae ſyriacae et idiomatis aramaei (Palaeſtinenſis), interpretationem N. F. eximie adiuvat [7]). Aliam verſionem ſyriacam a. 508. Polycarpus, epiſcopus choralis Xenaiae ſive Philoxeni, qui epiſcopus fuit Mabugi (Hierapoleos) in Syria, partibus Monophyſitarum addictiſſimus, huius viri auctoritate edidit [8]). Quae verſio, vulgo Philoxeniana dicta (quum Philoxeno dedicata eſſet), omnes libros N. F. complexa, etſi verſioni Peſchito tanquam fundamento ſuperſtructa eſt, ſaepiſſime tamen ab ea diſceſſit, textumque graecum fide tam ſervili reddidit, ut adeo voces, formas, conſtructiones plane graecas idiomati ſyriaco admiſceret. Codices, quos Polycarpus contulit, ad indolem textus graeci alexandrinam pertinuerunt. Verſionis margini varii generis notas addidit, et exegeticas, et criticas, partim diſſenſum ſuae verſionis a Peſchito, partim lectiones varias codicum graecorum haud raro indicantes [9]). Attamen, quum librarii multi verſionem Philoxen. parum accurate deſcripſiſſent [10]), anno 616. Thomas Heracleenſis, monachus Alexandrinus, duobus codicibus bonis textus graeci alexandrini collatis, novam adornavit illius editionem, textui graeco pluribus locis magis adſtrictam, ita ut formulam verſionis Philoxenianae, ubi illius loco aliam uſurpaſſet, in notis marginalibus indicaret [11]). Uſum habet criticum haud

exiguum, praesertim propter observationes margini adscriptas; maiorem utique haberet, si in iis, qui exstant, codicibus textus versionis Philoxenianae primitivus ab iis, quae posthac accesserunt, mutationibus ubique accurate posset discerni [12]). Denique ex codice quodam syriaco (evangelistario) bibliothecae Vaticanae, a. 1030. Antiochiae scripto [13]), tertia innotuit versio N. F. syriaca, quae propter dialectum, qua utitur, ad idioma chaldaicum, quale in Talmude Hierosol. apparet, propius accedentem [14]) Hierosolymitana sive Palaestinensis appellatur. Textum graecum [15]), qualem codices admodum vetusti et fidi exhibuerant, ad indolem occidentalem maxime accedentem, liberius, quam Philoxeniana, transtulit. Intra saeculum IV. et VI. [16]) litteris consignata videtur [17]).

1) Saeculo quippe I. nondum exstiterat eiusmodi collectio plurimorum N. F. librorum, qualem Peschito complectitur. Cfr. quae *Michaeli* (Einl. Vol. I. p. 388. ss. ed. IV.) opposuit *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 395. sq.

2) Omisit Petri epistolam posteriorem, ep. Iudae, II. et III. Ioanneam, apocalypsin. Seriori tempore saeculo IV. aliquam certe partem ecclesiae syriacae auctoritatem horum αντιλεγομενων apostolicam agnovisse, scripta doceat *Ephraëmi Syri*, vd. §. 99. nota 1. ex. §. 103. nota 1. §. 109. nota 1. §. 115. nota 9. — Codices quidem seriores versionis Peschito, itemque editiones plures typis inpressae (inde ab a. 1645.) textui eius primitivo supplendo consuluerunt, inserenda epistolae II. Petr. II et III. Io. ep. Iudae versione syriaca, serius scripta, totaque indole sua a Peschito plurimum discrepante, cuius textus duplex, alter ex codice bibliothecae Bodleianae Oxoniensis, alter (non integer quidem) ex commentario syr. *Dionysii Barsalibi* (Saec. XII.) in II. Petri epistolam, innotuit auctore Eduardo *Pococke:* epistolae quatuor Petri secunda, Ioannis secunda et tertia, et Iudae una, ex bibl. Bodl. etc. depromtae et charactere hebraeo, versione lat. notisque quibusdam insignitae, Lugd. Batav. 1630. 4. Textum syr. posteriori loco commemoratum (ex comm. Dion. Barf. de-

promtum) non differre a versione Philoxeniana per Thomam Heracleensem recognita verissime docuit *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 443. ff. Similiter apocalypsis syriace translata, quum ex codice quodam innotuisset opera et studio *Ludovici de Dieu:* (Apocalypsis S. Ioannis ex Mto exemplari e bibliotheca clarissimi Viri Iosephi Scaligeri depromta, charactere syro et ebraeo, cum versione lat. et notis, Lugd. Bat. 1627. 4. rec. in Ludov. *de Dieu* critica sacra, Amstelod. 1693. forma max.) et in codices versionis Peschito posthac exaratos, et in editiones typis inpressas transiit. Quo quidem textu fragmentum contineri versionis Philox. per Thomam recognitae *Eichhorn* docuit Einl. Vol. IV. p. 459. ff.

3) Saec. IV. in. versionem Peschito inter Syros usui inserviisse ecclesiastico, scripta docent *Ephraëmi.* Vd. *Storr* observv. super N. T. versionibus syrr. Stuttg. 1772. p. 10. ff. Sed *prius* scriptam esse verissime adfirmamus, quum saec. II. ex. III. in. prodierint inter Syros, qui res theologicas hoc idiomate tractarent (v. c. *Bardesanes* et *Harmonius.*)

4) Traditio, quae *Achaeum*, discipulum Thaddaei Apostoli auctorem huius versionis perhibet (cfr. *Assemanni* biblioth. orient. T. II. p. 486) pugnat cum alia traditione, quae hunc Achaeum a. 48. post C. N. diem obiisse dicit (quo tempore de libris N. T. colligendis omnino nondum cogitari potuit.) Quod nonnullis probabile visum, non omnes singulas eius partes eundem habuisse auctorem (vd. *Michaelis* Einl. Vol. I. p. 363. sq. ed. IV. *Hug* Einl. Vol. I. p. 341. ed. II.) argumentis certis effici nequit. Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 405. ff.

5) Haud pauca vocabula *graeca* iis ipsis locis, ubi in textu graeco leguntur, haec versio retinuit, etsi eorum loco facile potuissent syriaca poni. Subinde errores in vertendo acciderunt, nonnisi ex *graeco* textu, quem auctor ante oculos habuerit, explicandi. Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 400. ff.

6) Antiquitatem et praestantiam textus graeci hac versione translati a) ex ambitu eius cognoscimus, plura scripta *αντιλεγομενα* (vd. nota 2.) nondum complexi, b) ex pluribus locis, ubi particulae membris connectendis inservientes desiderantur (seriori tempore codicibus multis illatae), c) ex consensu eius cum textu, qualem Irenaeus,

Clemens Alexandrinus, versio latina Ante-Hieronymiana ante oculos habuerunt. Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 416. ff. *Griesbachii* et *Hugii* sententiam de indole huius textus gr. §. 140. cognovimus.

7) Vd. D. *Michaelis* curae in versionem syr. Actorum App. Gott. 1775. 4. Mich. *Weber* de usu versionis syr. hermeneutico, Lips. 1778. 8. *Winer* comment. de versionis N. T. syr. usu critico caute instituendo, Erl. 1823. 4. *Eiusd.* observatt. in epistolam Iacobi ex versione syr. maximam partem criticae, Erl. 1827. — *Editiones* versionis Peschito *praecipuae:* a) Liber S. S. Ev. de Iesu Christo, Domino et Deo nostro etc. Vindob. 1555. II. Voll. 4. curantibus Mose Mardinensi, clerico apud Maronitas, Alb. Widmanstadio, cancellario Austriaco, Guilielmo Postell, adiuvante hanc editionem principem, litteris syriacis inpressam, Ferdinandi I. Inperatoris liberalitate. b) ἡ καινὴ διαθήκη. Testamentum novum. דיתיקא חדתא. Est autem interpretatio syr. N. T. *hebraicis* typis descripta, plerisque etiam locis emendata. Eadem latino serm. reddita, auctore Imman. *Tremellio* (Professore Heidelb.) excud. Henr. Stephanus, Genevae, 1559. forma max. Textum versionis Pesch. secundum editionem Vindobon. (paucis mutatis) una cum textu graeco et versione latina duplici (Theod. Bezae ipsiusque Tremellii) exhibet. c) Biblia Regia (s. Polyglotta Antverp. 1569—1572.) Tomus V. 1572. Textus versionis Pesch. Widmanstadiensis (paucis mutatis) legitur et syriacis et hebr. litteris inpressus. Hunc textum Antverp. plures edd. Saec. 16. repetierunt. d) Novum Domini n. Iesu Chr. testam. syr. cum vers. lat. ex diversis editt. diligenter recensitum, access. in fine notationes varr. lectt. ex V inpressis editt. dilig. coll. a Martino *Trostio* Cothenis (Anhalt.) 1621. 4. Litterae vers. sunt syriacae. e) Biblia *Polyglotta Parisiensia* Vol. IX. X. 1645. forma max. Prima est earum editionum, quae textui versionis Pesch. primitivo eas quoque partes N. F. adiiciunt, quas scriptor serioris aevi syr. transtulerat (nota 2.). Versionem lat. textui Antverp. addidit. f) Biblia *Polyglotta Londinensia* T. V. 1657. exhibent textum syr. qualis in polygl. Paris. apparet, paucis ex versione Philox. additis. g) Novum Test. syr. cum punctis vocalibus et versione lat. Matthaei, acc. lexicon syr. accurante Aegidio *Gutbier*, Hamb. 1664. 8. Usus est praesertim iis, quae iam prodierant, editionibus,

collato infuper codice, qui nondum fuerat ufurpatus. h) Novum Teft. fyr. cum verfione latina cur. Io. *Leusden* et Car. *Schaaf* Lugd. Bat. 1708. 4. ed. H. a mendis purgata, 1717. 4. Editio praeftantiffima, cuius ufum haud parum adiuvat lexicon fyr. concordantiale elabor. a Car. *Schaaf*, Lugd. Bat. 1709. 4. rec. 1717. i) Biblia facra quadrilinguia N. T. (graeci, fyr. lat. german.) cur. Chrift. *Reineccio*, Lipf. 1750. forma max. 3. Voll. k) editio Londin. auctoritate focietatis Britann. biblicae adornata (ex codd.) 1816. 4.

8) Cfr. fubfcriptiones huius verf. in codd. pluribus obviae, quae in re primaria omnes confentiunt. *Michaelis* Einl. Vol. I. p. 420. ff. ed. IV.

9) Et afterifcos, et obelos adhibuit, illos quidem, ubi textui verfionis Pefch. aliquid addendum putaverat, hos vero ad eiusmodi lectiones varr. notandas, quae magis auctoritate verfionis Pefchito, quam codicum graecorum nitebantur. Vd. *Eichhorn* Vol. IV. p. 478. ff. *De Wette* Einl. p. 16.

10) Omittebantur haud raro aut confundebantur afterifci et obeli Polycarpo ufurpati (nota 9.) neque lectiones margini adfcriptae ab ipfo textu accurate diftinguebantur.

11) Parum recte nonnulli ex fubfcriptione, quae ad calcem evangeliorum fyriacorum in editionibus verfionis Philox. legitur, colligunt, Thomam Heracl. aequalem fuiffe Philoxeni, illamque verfionem, primum per Thomam Heracl. recognitam, feriori tempore iterum emendatam effe opera Syri cuiusdam eruditi, nobis incogniti. Vd. quae *Eichhorn* oppofuit Vol. IV. p. 471. ff.

12) De verf. Philox. cfr. *Glocefter Ridley* de fyr. verff. indole et ufu differt. Oxon. 1761. (inf. libro: *Wettftenii* libelli, ad crit. atque interpret. N. T. ed. *Semmler*, Hal. 1766.) E. G. *Paulus* accuratior mff. quibus verfio N. T. Philoxen. continetur, catalogus, Helmftad. 1788. *Editio:* SS. evangell. verfio Syr. Philoxen. e codd. Ridleianis nunc primum ed. cum interpretat. et adnotatt. Iofephi *White*, T. I. II. Oxon. 1778. 4. Actuum App. et epiftolarum verfio fyr. Philoxen. e cod. Ridleiano nunc primum ed. etc. Iof. *White*, T. I. Oxon. 1799.

13) Vd. G. C. *Adler* N. T. verff. fyriacae, fimplex, Philoxeniana, et Hierofolymitana, denuo examinatae et ad

fidem codd. mſſ. novis obſervatt. illuſtratae, Hafniae, 1789. 4. Cfr. Epiſtolae, una R. P. Antonii Georgii, altera G. Adleri, in quibus loca nonnulla operis Adleriani de verſionibus ſyrr. examinantur, Hafniae, 1791.

14) Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 492. ff.

15) Auctorem textum graecum, non aliam verſionem, ante oculos habuiſſe inde patet, quod pluribus locis etymon vocabuli graeci exprimere ſtuduit.

16) An Saec. IV. conſignata fuerit, dubitari poteſt propter vocabula ex latino ſermone oriunda ſubinde adhibita. Quaeritur enim, an Iudaei ante Saec. VI. eiusmodi voces in ſuam linguam vernaculam receperint.

17) De omnibus verſſ. ſyrr. cfr. libri *Storrii* et *Adleri* nota 3. nota 13. laudd.

§. 154.

Innotuerunt porro tres N. F. verſiones egyptiae ſive copticae [1]), in plurimis conſentientes, e textu graeco factae, haud dubie intra Saec. IV. et VII. conſignatae [2]). Prima earum, integra ſervata, quae Memphitica dicitur (dialecto quippe ſcripta, quae in Egypto inferiori obtinuit), maximam partem eam exprimit indolem textus graeci, quae alexandrina dicitur [3]). Altera, Sahidica ſive Thebaica (dialecto Egypti ſuperioris uſa), quae ſecundum Eichhornium [4]) ad codicem textus N. F. nondum recenſiti conformata eſt, Griesbachio eam quidem huius verſionis partem, quae evangelia et Acta continet, ad recenſionem occidentalem, eam vero, quae epiſtolas Pauli complectitur, ad recenſ. alexandr. referente [5]), ex fragmentis tantum innotuit [6]). Pauca, quae exſtant, fragmenta verſionis tertiae, Baſmuricae (propter dialectum [7]) ſic appellatae) propius accedunt ad textum alexandrinum [8]).

1) Quum post obitum Alexandri M. Ptolomaeis inperantibus numerus Graecorum in Egypto versantium magnopere increvisset, sermo Graecus in Egypto ita propagatus est, ut lingua Egyptia successu temporis haud paucas et voces et verba struendi rationes graecas reciperet, unde lingua mixta coptica (ab urbe primaria Egypti superioris, Coptos, sic appellata) existeret.

2) An litterae ss. ante saec. IV. coptice translatae fuerint, dissentiunt viri docti. Vd. *Hug* Einl. Vol. I. p. 384. ss. ed. II. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 2. ss. Testante *Chrysostomo* (Saec. IV.) in homilia II. in Io. tum temporis versio scripturae s. egyptia exstitit. (Minus tribuerim auctoritati martyrologii, ecclesiae copticae apud Athanas. *Kircherum* prodrom. copt. p. 186.) Neque patet, quomodo monachi aliique homines Egyptii Saec. IV. et seqq. (quod factum esse regula *Pachomii* docet, latine translata in Opp. *Hieronymi*, praesertim can. 139. 140.) scripturam sacram legere potuerint, nisi haberent coptice translatam, quum linguae graecae usus atque cognitio a Saec. inde IV. in Egypto superiori evanuisset. De aetate versionum egypti. universe cfr. F. *Münteri* commentatio: *Eichhorn* allgem. Biblioth. der bibl. Litter. IV. B. 1. und 3. St.

3) N. T. egyptium, vulgo copticum, ex mss. Bedleianis descripsit, cum Vaticano et Pariss. contulit, et in latinum sermonem convertit Davides *Wilkins*, Oxon. 1716. 4.

4) Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 14. ss.

5) Vd. *Griesbach.* prolegg. ad suam ed. N. T. (ed. III. cur. D. *Schulz*) p. LXXI. ss.

6) Io. Aloys *Mingarelli* egyptiorum codd. reliquiae Venetiis in bibliotheca Naniana asservatae, fascic. I. Bonon. 1785. 4. exh. duo tantum fragmenta evangeliorum. Fragmentum ev. S. Ioannis graeco-copto-thebaicum Saec. IV. opera et studio Io. Augustini Anton. *Georgii* Eremitae Augustiniani, Romae, 1789. 4. G. *Woide* commentatt. insertae: Andr. *Cramer* Beyträge zur Beförderung theologischer und anderer wichtiger Kenntnisse u. s. w. 1779. T. III. itemque: D. *Michaelis* oriental. und exeget. Bibliothek T. III. p. 202. ss. T. X. p. 199. ss. (fragmenta epp.) Appendix ad editionem N. T. ex cod. alexandr. a G. *Woide* descripti, in qua continetur fragmentum N.

T. dialecti ſuperioris Egypti etc. Oxon. 1799. forma max. (fragmm. epp. Pauli.) F. *Münter* comm. de indole verſionis N. T. Sahidicae. Accedunt fragmenta epiſtolarum P. ad Timoth. ex membranis ſahidicis muſei Borgiani Velitris, Hafniae, 1789. 4.

7) Haec dialectus, ad ſahidicam propius accedens, in *Baſchmure* provincia Aegypti inferioris obtinuit.

8) Vd. *Georgii* praef. ad fragmentum Io. nota 6. laud. Fragmenta Baſmurico-Coptica V. et N. T. quae in muſeo Borgiano Velitris aſſervantur, cum reliquis verſſ. egyptiis contulit, latine vertit, et adnotatt. illuſtravit F. *Engelbreth*, Hafniae, 1811. 4. (vd. Leipziger Litterat. Z. N. 45. 1815.)

§. 155.

Hiſtoria verſionum Arabicarum, a Saeculo inde IV. praeſertim VII. [1]) conſignatarum haud exiguis inplicita eſt difficultatibus. Aetatem tulerunt: a) quatuor evangeliorum verſio arabica, e textu graeco facta [2]), cuius exemplaria diverſa [3]) unum eundemque produnt verſionis auctorem, quanquam formularum ſingularum lectionumque diverſitas quaedam apparet, quae indicio inſervit, textum primitivum ſucceſſu temporis varie interpolatum fuiſſe e textu N. F. coptico et ſyriaco [4]). Propter auctoritatem, quae apud Syros et Coptas huic verſioni contigit, eccleſiaſticam, probabiliter Saeculo IV. vindicatur [5]). b) Actorum Apoſtſt. epiſtolarumque Pauli, I. Petrinae, I. Ioannis et Iacobi verſio Arabica [6]), ex Peſchito facta [7]), haud dubie in Syria conſignata, quum uſus ſermonis arabici in hac terra invaluiſſet, ad textum verſionis Peſch. emendandum utilis. c) Poſterioris Petri epiſtolae, II. et III. Ioannis, Iudae, apocalypſeos verſio arabica, cuius originem nondum ſatis exploratam habemus [8]). d) Epiſtolarum Pauli verſio arabica, quae copticam exprimit [9]).

1) Post Muhammedem, quum Arabes, Syria et Egypto occupata, una cum inperio linguam quoque suam in regionibus illis propagassent, usus sermonis vernaculi in Syria et Egypto magis magisque cessit sermoni arabico, ita ut versiones librorum sacrorum hoc idiomate exaratae a plurimis desiderarentur.

2) Obveniunt subinde eiusmodi errores in vertendo commissi, qui nequeant nisi ex usu textus graeci explicari. Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 39. sq.

3) *Editiones:* a) Evangelium s. Domini nostri Iesu Chr. conscriptum a quatuor evangelistis ss. etc. *Romae* in typographia Medicea, 1591. forma max. rec. 1619. et 1774. b) Novum D. N. Iesu Chr. testam. arabice ex bibliotheca Leidensi edente Thoma *Erpenio*, Leidae, 1616. Contulit Erpen. in evangeliis et editionem Romanam, et codicem quendam in Egypto superiori Saec. XIII. exaratum. c) *Biblia Polygl. Paris.* 1645. exh. textum editionis Romanae secundae paucis mutatis. d) Biblia Polygl. *Londinensia* 1657. exh. textum, qui in Polygl. Paris. legitur, in paucis mutatum. e) N. T. syrico — arabicum ed. Congregationis de propag. fide, Romae, 1703. Cfr. *Storr* comment. de evangeliis arabicis, Tub. 1775. 4.

4) Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 31. ss.

5) Vd. *Hug* Einl. Vol. II. p. 422. ss. ed. II. Aliter indicavit *Bertholdt* Einl. Vol. II, p. 695.

6) Ex codice Leidensi innotuit opera et studio *Erpenii* (nota 3.). Ex codice Oxoniensi: Pauli Apost. ep. ad Titum arabice cum Ioannis Antonidae Alomariani interlin. versione lat. ad verbum, ex officina Plantiniana Raphelengii 1612. 4. Biblia Polygl. Paris. et Londin. textum huius vers. exhibuerunt e codice Saec. 14. scripto.

7) In quibusdam tamen sectionibus ad versionem copticam propius accedit. *Eichhorn* Einl. T. V. p. 53. ss.

8) Legitur apud *Erpenium* (nota 3) Singularum partium editiones: *Io. epistolae* catholicae, arabice et aethiopice, Lugd. Bat. 1654. 4. *Iacobi* ep. arab. et aethiop. Lugd. Bat. 1654. 4. *Iudae* ep. arab. et aethiop. Lugd. Bat. 1654. 4. Versionem *apocalypseos* plures quidem e vers. *coptica* adornatam fuisse existimarunt. Sed vd. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 63. sq.

9) Vd. *Hug* Einl. Vol. II. p. 418. ff. ed. II. — Praeterea *Ioannem Hifpalenfem* a. 717. libros divinos lingua arabica donaffe perhibet (ex verfione lat. vulgata) Io. *Mariana* de rebus hifpanicis ad a. 737. l. 7. c. 3. — De aliis editionibus bibliorum ff. arabb. praeter laudatas vd. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 65. fq.

§. 156.

Verfio aethiopica, quae vulgo Saec. IV. fcripta exiftimatur [1]), foletque Frumentio tribui, doctrinae Chriftianae inter Aethiopes praeconi, ufum criticum infignem propterea habet, quod ex codicibus graecis facta eft [2]), fere eandem textus N. F. nondum recenfiti indolem exprimentibus, quam verfiones Pefchito et antiquiffima latina ante oculos habuerunt [3]). Ufurpavit fermonem Aethiopum antiquiorem, qui, cum dialecto amharicae ceffiffet [4]), pofthac in rebus tantum facris fcriptisque eruditorum adhibitus eft (dialectum Geez) [5]). Alius verfionis feriori tempore dialecto amharica configuatae fragmentum innotuit [6]).

1) Provocatur ad *Chryfoftomi* homil. II. in *Io.* itemque ad traditionem antiquam inter Aethiopes divulgatam de libris V. et N. F. eo tempore, quo doctrina Chrift. in hac terra praedicari coeperat, aethiopice translatis. Vd. *Ludolph* hiftoria Aethiop. Francof. 1681. l. 3. c. 2. *Eiusd.* comment. in hift. Aethiop. 1691. l. 3. c. 2. *Bertholdt* Einl. Vol. II. p. 700. ff. *Eichhornius* vero Einl. Vol. V. p. 66. fq. de aetate verfionis nihil definiendum putat.

2) Auctor verfionis plerumque verba graeca premit, pluribusque locis ad errores delapfus eft, quorum origo ex ufu tantum codicis graeci explicari poteft.

3) Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 68. ff.

4) Haec dialectus in vita communi invaluit, poftquam ftirpi Sewenfi inperium cefferat. Vd. *Ludolph* hift. Aeth. l. 1. c. 15.

5) Editiones: a) Testam. N. cum epistola Pauli ad Hebraeos etc. quae omnia F. Petrus Aethiops auxilio piorum sedente Paulo III. Pont. Max. et Claudio illius regni imperatore inprimi curavit (Romae) a. 1548. 49. 2. Voll. 4. Editores, tres clerici aethiopici, Petrus (aeth. Tessa Sionis), Paulus (Tensea Waldi), Bernardinus (Zaslasxi), codice usi sunt in Actis App. non prorsus integro, quam lacunam ipsi, versione vulgata lat. adhibenda, suppleverunt. Scatet editio vitiis typographicis. b) S. *Io.* apost. epistolae catholicae tres arabice et aethiopice cura et industria Io. Ge. *Nisselii* et *Theod. Petraei*, Lugd. Bat. 1654. 4. S. *Iudae* ep. cath. versio arab. et aethiop. ab *iisdem* ed. eod. a. ib. S. *Iacobi* Ap. ep. cathol. versio arab. et aethiop. opera *Theod. Petraei*, ib. eod. a. Textum editionis Rom. emendaverunt. c) Ed. quae in bibliis Polygl. *Londin.* exstat, e textu Rom. facta, sed vitiosa, usum habet criticum nullum. d) Novum Dom. N. Iesu Chr. testamentum ex versione aethiopici interpretis in bibliis Polygl. Anglic. editum, ex aethiop. lingua in latinam translatum a Chr. Aug. *Bode* Brunov. 1752. 55. II. Volumm. 4. Cfr. Novum Test. ex versione aethiopici interpretis cum graeco ipsius fonte studiose contulit *Bode*, Brunov. 1753. 4.

6) Fragmentum *Lucae* exhibet codex bibliothecae acad. Giesensis. Vd. Chr. *Schmidt* Bibliothek für Kritik, Exegese und Kirchengeschichte, Vol. I. p. 307. ss.

§. 157.

Postquam Armenii, olim ad scribendum idiomate vel persico vel syriaco usi, litterarum formas sibi proprias acceperant auctore Miesrobo, opera ac studio huius Miesrobi et Isaaci Patriarchae, iuvante insuper Mose Chorenensi historiarum scriptore inclyto [1]), Saec. V. versio N. F. armenica ex codicibus graecis, ad textum N. F. nondum recensitum propius accedentibus [2]), adornata est, pluribus locis ad versionem Peschito [3]) conformata [4]).

1) Vd. *Mofes Chorenenfis* hift. Armeniae l. 3. c. 61.

2) Cfr. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 79. ff.

3) Vd. *Walton* prolegomena ad biblia polygl. Londin. XIII. n. 16. Ad verfionem quoque vulgatam lat. pofthac conformatam effe plures exiftimant propter locum fpurium 1. ep. Io. c. 5. v. 7. verfioni infertum. Sed vd. *Eichhorn*. Vol. V. p. 82. ff.

4) Editiones: Biblia Armena iuxta verfionem LXX. interpretum, iuffu Iacobi Characteri Armenorum Proto-Patriarchae adornata et edita ftudio *Oskan* Wartabied (id eft) epifcopi Iufchuaran in Armenia etc. Amftelod. 1666. 4. Novum Teft. armen. fecundum hanc edit. feparatim prodiit Amftelod. 1668. 8. rec. 1698. 12. Quatuor prima capp. ev. Matth. una cum oratione Domin. c. 6, v. 9—13. ex verfione armeni interpretis Amftelod. 1698. edita, ex armen. lingua in lat. tranftulit etc. A. *Bode*, Hal. 1756. 4. Biblia facra, Armenice iuffu Patriarchae *Nahabet* edita, Conftantinop. 1705. 4. Biblia facra armenice iuffu *Abraami* Patriarchae Armenorum, ftudio Mikkitar. Venet. 1733. forma max. Novum Teft. armen. ed. a Io. *Zohrab*, Venet. 1789. 8. 1816.

§. 158.

Evangeliorum verfio Perfica duplex in lucem prodiit, altera e verfione Syr. Pefchito facta [1]), quae ufum praeftat haud exiguum ad textum eius emendandum [2]); altera, quae ex codicibus graecis adornata exiftimatur, textum e diverfis verfionibus Perficis mixtum exhibens [3]).

1) Indicio inferviunt eiusmodi lectt. variae, quas praeter hanc verf. Perficam illamque fyriacam alia nulla exprimit, voces fyriacae interdum fervatae, vocabulisque perficis explicatae, itemque errores fubinde in vertendo commiffi, haud dubie ex ufu textus fyriaci oriundi.

2) Edita eft in bibliis Polygl. *Londin*. T. V. cum verfione lat. Sam. Clarkii et Gravii notis. Novam verfionem lat. huius interpretationis Perf. ed. A. *Bode*, Helmftad. 1751. 4.

3) Quatuor evangg. Domini nostri I. Chr. Persice ad numerum situmque verborum latine data Lond. 1652. forma max. (editore Abr. *Wheloc.* Matthaeum tantum continet.) Quae editio posthac aucta prodiit (omnia quatuor evv. complexa) opera et studio *Piersoni:* Quatuor evv. versio Persica Syriacam et Arabicam suavissime redolens etc. Lond. 1657. forma max. Cum duobus codd. textum huius vers. suppeditantibus collatus fuerat codex illius vers. Syriaco - Persicae. Vd. *Eichhorn* Einl. V. p. 115. sq. *Marsh* Anmerkungen und Zusätze zu Mich. Einleit. Vol. I. p. 210.

§. 159.

Quae Saeculo VI. in Georgia sive Grusinia, Armeniae finitima, consignata est librorum sacrorum versio [1]), ipsum textum graecum N. F. ante oculos habuit secundum codicem ex Graecia oriundum. Sed, qualem nunc habemus [2]), tantopere interpolata est ex slavica versione, ut ad crisin textus N. F. parum commode adhibeatur [3]).

1) Scripta est ea dialecto Georg. quae in usu virorum doctorum rebusque sacris invaluerat.

2) Biblia Georgiana V. et N. T. Moscoviae, 1743. forma max. Cfr. *Alter* über georgianische Litteratur, Wien, 1798. 8.

3) Optandum est, ut codices eius antiquiores non interpolati conferantur. *Le Long* bibl. sacra T. I. p. 140. ed. Paris. 1723.

§. 160.

Inter versiones occidentales refertur primum gothica, quae Ulphilam Moesogothorum [1]) episcopum [2]) Saec. IV. habet auctorem. Ex duobus potissimum innotuit monumentis, codice argenteo [3]) evangelia (non sine lacunis) continente, Saec. V. ex. aut VI. in.

in Italia ſcripto, ab anno inde 1669. in bibliotheca Upſalenſi repoſito [4]), et codice Carolino, bibliothecae Guelferbytanae, reſcripto [5]), Saec. VIII. aut IX. exarato, fragmenta exhibente epiſtolae ad Romanos [6]). Acceſſerunt nuper, quae in codicibus reſcriptis bibliothecae Ambroſianae Mediolanenſis reperta ſunt [7]). Totius verſionis Ulphilae indoles docet, auctorem non verſionem latinam [8]), ſed textum graecum conſtantinopolitanum [9]) ante oculos habuiſſe, quamvis poſthac in textu verſionis primitivo nonnulla mutata fuerint ſecundum verſionem vulgatam [10]).

1) i. e. eius Gothorum ſtirpis, quae Saec. IV. Moeſiam (quae nunc Walachia dicitur) inhabitavit.

2) Eiusdem viri doctrina meritisque haud exiguis conſpicui opera Moeſogothi litterarum formas ſibi proprias acceperunt, ex ſermone latino et graeco compoſitas. Vd. *Socratis* hiſt. eccleſ. l. 4. c. 27. *Sozom.* hiſt. eccleſ. l. 6. c. 37. *Jornand.* de rebus goth. c. 51. Parum recte nonnulli ſermonem verſionis, quae Ulphilae tribuitur, *francicum* appellare maluerunt, quam gothicum (cfr. theſaurus epiſtolicus la *Crozianus* T. I. p. 49. T. II. p. 281. *Wettſtenii* prolegg. T. I. editionis N. T. p. 114. ſq.) Etenim, quo tempore *Otfriedus* verſionem evangg. rythmicam inter Francos exaravit (*Saec. IX.*), teſtante illo in praefatione (vd. *Schilteri* theſaurus antiquitt. teutonicc. T. I. p. 18.) Francorum natio etiamnum deſtituta fuerat evangeliis in ſermonem patrium translatis. (Cfr. evangelii ſecundum Matth. verſio Francica ſaeculi IX. nec non Gothica ſaec. IV. quoad ſupereſt, das Ev. des Matth. im Hochdeutſch des 9. Jahrhunderts aus dem St. Galler codex der Tatianiſchen Evangelienharmonie, mit Vergleichung der Schilterſchen Ausgabe des Oxforder Manuſcripts zuſammengeſtellt und nebſt den entſprechenden Reſten der Gothiſchen Ueberſ. zum Gebrauche bey Vorleſungen herausgeg. von Andr. *Schmeller*, Stuttgart und Tüb. 1827.) Diſcimus item ex Walafr. *Strabi* (Saec. IX.) libro de rebus eccleſiaſtt. c. 7. aliquam partem Francorum verſionem N. F. a Gothis accepiſſe. Porro hiſtoria praeeunte multo probabilius Gothorum, quam

Francorum litterae praeter linguam latinam *etiam graecam* imitatae esse existimantur. Obveniunt insuper in versione Ulphilae tributa voces slavicae, a lingua Francorum vetusta prorsus alienae. Denique epistola antiqua exstat mercatoria, nonnulla continens eodem idiomate, quo versio Ulphilae utitur, consignata, in eiusmodi regionibus scripta, quas certum est nunquam Francos sed Gothos incoluisse. Cfr. *Donii* inscriptt. antiquae, ed. Fr. *Gori*, Florent. 1731. p. 469. Cfr. *Hug* Einl. Vol. I. p. 472. ff. ed. II.

3) Litteras habet unciales, argento obductas, admodum pulcre et eleganter membranae vel inpressas vel inustas.

4) Servabatur olim in coenobio Werdensi (Westphal.), deinde, per varia fata, in Sueciam transiit. *Editiones:* a) Quatuor Domini N. Iesu Chr. evangeliorum versiones perantiquae duae, gothica et anglo-saxonica, quarum illam ex celeberrimo codice argenteo nunc primum depromsit Franc. *Iunius*, hanc autem ex codd. collatis emendatius recudi curavit Thomas *Mareschallus* Anglus, cuius observatt. in utramque versionem subnectuntur, acc. glossarium gothicum etc. opera eiusd. Iunii, Dordraci, 1665. 4. rec. Amstelod. 1684. 4. Exhibet ductum litterarum codicis argentei. b) Dom. N. Iesu Chr. evangelia ab Ulfila Goth. in Moesia episcopo ex Graeco gothice translata, nunc cum parallelis verss. Sueo-Gothica, Norraeana, seu Islandica et Vulgata latina edita, acc. Franc. *Iunii* glossarium goth. lingua Sueo-Gothica moderna et antiqua locupletatum et illustr. cura et studio Ge. *Stiernhielmii*, Holm. 1671. 4. Textum goth. latinis litteris exprimit. c) Sacrorum evangg. versio Gothica ex codice argenteo emendata atque suppleta cum interpretatione latina et adnotatt. *Erici Benzelii*, non ita pridem Archiepiscopi Upsal. observationes suas adiecit, et grammaticam goth. praemisit *Edw. Lye*, Oxon. 1750. 4. Accurate exprimit litteras gothicas. Symbolas ad hanc edit. emendandam contulit *Ihre*: Io. ab *Ihre* scripta versionem Ulphilanam et linguam Moeso-gothicam illustrantia — collecta et cum aliis scriptis similis argumenti edita ab Ant. Fried. *Büsching*, Berol. 1773. 4. d) Ulfilas goth. Bibelübersetzung, nach Ihrens Text mit einer grammatisch-wörtlichen lateinischen Uebersetzung zwischen den Zeilen, sammt einer Sprachlehre und einem Glossar, ausgearbeitet von F. K. *Fulda*, das Glossarium

gearbeitet von F. H. *Reinwald*, und den Text nach Ihrens genauer Abschrift der silbernen Handschrift in Upsal sorgfältig berichtigt, die Uebersetzung und Sprachlehre verbessert und ergänzt, auch mit Ihren's lateinischer Uebers. neben dem Texte, und einer vollständigen Kritik und Erläuterung in Anmerkungen unter demselben, sammt einer historisch-kritischen Einleitung versehen und herausgegeben von Io. Chr. *Zahn* (weil. Prediger in Delitz bey Weissenfels), 1805. 4. 2. Voll.

5) Quanquam textum huius codicis, sectiones nonnullas epistolae ad Romm. gothice translatas cum versione latina Ante-Hieronymiana continentem manus serior expungere studuit, inserendo lineolis singulis textu originum Isidori Hispalensis, illa tamen fragmenta antiqua, quum oculis non prorsus evanuissent, opera virorum doctorum diligentissima restituta sunt.

6) Editiones: Ulphilae versionem gothicam nonnullorum capitum ep. P. ad Romanos e litura codicis cuiusdam msf. rescripti etc. una cum variis monumentis hucusque ineditis eruit, commentatus est, deditque foras Franc. Anton. *Knittel*, Brunov. 1762. 4. Fragmenta versionis Ulph. continentia particulas aliquot ep. P. ad Romm. etc. a F. A. Knittel edita, nunc cum aliquot adnotatt. typis reddita a Io. *Ihre*, Upsal. 1763. 4. Rec. in libro nota 4. laud. *Ihre* scripta versionem Ulph. illustrantia etc. Exstant insuper eadem fragmenta in opere *Zahnii* nota 4. laud.

7) Ulphilae partium ineditarum in Ambrosianis Palimpsestis ab Angelo *Maio* repertarum specimen coniunctis curis eiusdem Maii et Car. Oct. *Castillionaei* editum, Mediolani, 1819. 4. Continet fragmenta multa epistolarum Pauli, itemque nonnulla Matthaei, Esrae, Nehemiae. Ulphilae versio gothica II. Pauli ad *Corr.* ep. quam ex Ambrosianae bibl. palimpsestis depromtam cum interpretatione, adnotationibus, glossario ed. *Castillionaeus*, Mediolani, 1829. 4.

8) *Wettsten.* in prolegomm. edit. N. F. T. I. p. 114. ss. contendit, auctorem versionis non purum fontem graecum unice consuluisse, sed magnam etiam versionis lat. habuisse rationem.

9) Patet quippe, auctorem studiosius hoc egisse; ut textum *graecum* (immo ipsum verborum graecorum ordinem), quantum fieri posset, fide exprimeret. Obveniunt item errores in vertendo commissi, quorum originem non liceat nisi ex usu textus *graeci* explicare. Quo minus Ulphilam versionem suam ad latinam conformasse existimemus (cuius coniecturae argumento parum certo inservit, quod versio Ulph. cum ea textus N. F. indole, quam versio lat. expressit, haud raro consentit), plura inpediunt, praesertim usus articuli. Vd. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 98. ff.

10) Vd. *Hug* Einl. Vol. I. p. 487. ed. II.

§. 161.

Historia versionum Anglo-Saxonicarum (dicuntur quippe inter Anglo-Saxones, postquam Saec. VI. med. ad religionem Christianam conversi fuerant, plures [1]) in eo elaborasse, ut scripturam sacram, singulasve eius partes in hanc linguam transferrent) parum accurate explorata est. Una tantum evangeliorum versio, ad versionem latinam Ante Hieronymianam conformata [2]), hucusque ex codicibus in lucem prodiit [3]).

1) *Beda Venerabilis* Saec. VIII. *Alfredus* Anglo Saxonum princeps Saec. IX. *Ethelstanus* et *Aelfricus* Saec. X. Vd. *Rosenmüller* Handbuch der Litter. der biblischen Kritik und Exegese Vol. III. p. 170. Rich. *Simon* krit. Geschichte der Uebersetzungen des N. T. 2. Abtheil. p. 201.

2) Vd. Thomas *Marshall* observatt. ad vers. anglico-saxon. p. 495. ff. Utilis est ad historiam versionis lat. illustrandam.

3) Evangelia quatuor saxonice et anglice, ex editione Matthaei *Parkeri* cum praefatione Io. *Foxi*, Lond. 1571. 4. Alia editio Guilielmi *d'Isle* prod. Lond. 1638. 4. Ed. *Mareschalli* §. 160. nota 4. laud. De codicibus vd. *Hikes* thesaurus, Oxon. 1705. forma max.

§. 162.

Versio Slavica auctores habuit Cyrillum Thessalonicensem, eiusque fratrem Methodium, qui Saec. IX. praecones doctrinae Christianae inter Slavos Moraviam incolentes exstiterunt. Adornata est ex codicibus graecis [1]), eamque textus N. F. indolem, quae constantinopolitana dicitur, plerumque exprimit [2]).

1) Indicio inservit et usus multarum vocum graecarum litteris slavicis expressarum, et studium, quantum per leges syntaxeos linguae slavicae fieri posset, ordinem verborum textus graeci et constructiones graecas imitandi. An versio slavica seriori tempore pluribus locis secundum latinam vulgatam immutata fuerit, dissentiunt viri docti. Vd. *Hug* Einl. T. I. p. 492. ed. II. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 107. sq.

2) Vd. *Eichhorn* l. l. p. 106. sq. Editiones *totius scripturae sacrae* slavice translatae: ed. Franc. *Scorniae* Pragae 1570. *Ostrogiensis*, 1581. *Moscavienses* 1663. 1751. 56. 57. 59. 66. Editiones *N. F.* slavici: Tetraevangelia in *Ugrowlachia* iussu Ducis Io. Basarabae inpressa, 1512. 4. Tetraevangelia *Vilnae* 1575. forma max. Tetraevangelia *Leopoli* 1644. forma max. Acta App. et epp. slav. *Moscav.* 1653. f. max. Novum Test. slav. *Vilnae*, 1623. 8. Biblia *Moscuensia* (N. T.) 1663. f. max. (repetitus textus editionis totius scripturae f. Ostrogiensis.) Cfr. P. *Kohl* introductio in historiam et rem litterariam Slavorum Altonae 1729. 8. I. *Dobrowsky* Slovanna, zur Kenntniss der alten und neuen slavischen Litteratur, Prag, 1814. 8. *Idem* über die Slavische Uebersetzung des N. T. in I. D. *Michaelis* neuer oriental. Bibliothek T. VII. p. 155. ff. *Eiusd.* catalogus codicum slavonicorum in ed. *Griesb.* N. T. 1796. T. I. p. CXXVII. ff. T. II. p. XXXII. ff.

§. 161.

Prae ceteris vero in Occidente admodum mature invaluit studium libros N. F. latino sermone donan-

di [1]). Una potiſſimum verſio latina longe lateque propagata fuit, apud ſcriptores eccleſiae latinae veteres diligenter uſurpata [2]), haud dubie ſaeculo II. exeunte aut III. in. conſignata, univerſe quidem eundem textum latinum exhibens, quanquam locis ſingulis (quod comparatio docet eorundem N. F. locorum latine redditorum, qualia apud patres vetuſtos itemque in codicibus diverſis obveniunt) mature ſaepius immutata [3]). Praeeunte teſtimonio Auguſtini (ſecundum lectionem [4]) huius loci vulgarem) Italiam patriam habuit. Textum ſequitur N. F. admodum vetuſtum [5]), nondum recenſitum, uſumque habet inſignem ad criſin N. F. [6]). Quum temporis ſucceſſu in exemplaribus textus latini diverſitas haud exigua exſtitiſſet, et gloſſis ſcholiisque haud paucis textui illatis, et vocibus multis ſecundum codices graecos diverſos immutatis, a. 384. Hieronymus, Damaſo epiſcopo Romano hortante, collatis graecis codicibus antiquis, praeſertim iis, qui ad lectionem textus latini propius accedebant, verſionem lat. uſitatam [7]) emendare inſtituit. Quanquam hac in re admodum caute et ſollicite verſatus eſt, et multa, quae emendare potuiſſet, intacta reliquit, ne Chriſtiani textus antiqui tenaciores in verſione emendata offenderent [8]); permulti tamen prodierunt, qui eum graviter reprehenderent, ſolebatque ſatis diu utriusque verſionis, et antiquioris, et huius emendatae, uſus fieri in eccleſia latina [9]). Serioribus demum ſaeculis ita increvit auctoritas verſionis Hieronymianae, ut vulgata ſive communis diceretur. Exſtitit vero in codicibus haud exigua textus primitivi Hieronymiani depravatio, partim ex ſtudio utramque verſionem cum altera conferendi, et modo veterem novae, modo novam veteri accommodandi [10]), partim ex vitiis ſcribendi et gloſſemati-

bus oriunda. Itaque Saeculo VIII. Alcuinus, iussu et auctoritate Caroli Magni, collatis, qui antiquitate praestabant, latinis codicibus, textum versionis vulgatae edidit emendatum [11]), cui auctoritas publica contigit in ecclesia Francorum. Nova, quae in exemplaria multa huius versionis, emendatae posthac irrepsit depravatio, et singulos interdum excitavit, ut textui latino a mendis purgando consulerent [12]), et ansam praebuit correctoriis bibliorum [13]). Postquam concilium Tridentinum a. 1546. decreverat, ut haec versio vetus vulgata inter omnes pro authentica haberetur [14]), propter magnam textus latini diversitatem, quae hucusque et in codicibus et in editionibus typis inpressis [15]) apparuerat, Pontifices Romani novam versionis vulgatae recensionem instituerunt [16]), eamque posthac sequuti sunt recentiorum editionum auctores [17]).

1) Cfr. *Hieron.* praefatio in 4 evv. ad Damasum: tot sunt enim exemplaria pene quot codices. *Cassiodorius* de inftit. div. litt. c. 8. *Van Ess* pragmatisch-kritische Geschichte der Vulgata, Tübingen, 1824. p. 10. ff. *De Wette* Lehrbuch der Einl. in das Alte Test. p. 71. Etsi *Augustinus* non sine hyperbola locutus fuisse existimetur, quum (de doctrina Christ. l. 2. c. 11.) diceret, *numerari non posse* interpretes, qui scripturam sacram latine verterent, plures tamen versiones latinas prioribus saeculis post C. N. prodiisse eo probabilius iudicamus, quo certius constat (cfr. §§. antecedentes) apud Syros, Coptos, Arabes scripturam sacram similiter saepius esse translatam. Cfr. etiam *Augustini* ep. 97. ad Hieron.

2) *Tertullianus* de monogamia c. 11. textum N. F. graecum *authenticum* ab eo distinguit (latino), qui in *usum exierit.* Cuius textus latini documenta luculentissima in scriptis ipsius Tertulliani, Interpretis Irenaei, Ambrosii, Augustini, Cypriani, Hilarii Pictaviensis, itemque in codicibus, qui versionem lat. veterem continent (Cantabrigiensi, Claromontano, Augiensi, Laudiano, Sangermanensi, Boerneriano) apparent. Cfr. *Hug* Einl. Vol. I.

p. 434. ſſ. ed. II. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 337. ſſ. Quanquam haec verſio prioribus IV. ſaeculis poſt C. N. in eccleſia latina vulgo uſurpata eſt, doctores tamen eccleſiae minime ab illius auctoritate pependerunt. Vd. *Tertull.* de monogamia c. 11. *Hilarius* tract. in Pſ. 138. *Auguſtinus* de doctrina Chriſt. l. 2. c. 14.

3) Difficile eſt iudicatu, utrum haec verſio unum habuerit, an plures auctores. Vd. *Eichhorn* Vol IV. p. 356. ſſ.

4) *Auguſt.* de doctrina Chriſt. l. 2. c. 16.: in ipſis autem (latinis) interpretationibus *itala* ceteris praeferatur, nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiae. Lectionem: itala, plures ſollicitarunt, quum vel Bentleio praeeunte ſubſtitui mallent: *illa* (quae coniectura admitti non poteſt, niſi etiam in ſeqq. contra auctoritatem codicum *nam* in *quae* mutaveris), vel cum Pottero aliisque: *uſitata* (praeeunte loco *Auguſtini* de conſenſu evangeliſtarum l. 2. c. 66. ubi de verſione LXX. phraſis legitur: codices eccleſiaſtici interpretationis uſitatae.) Poſterius nuperrime quoque probavit *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 351. ſſ. Verum, quod praeter Auguſtinum alii patrum veterum illius formulae: verſio Itala, mentionem nullam fecerunt, minime demonſtrat, non potuiſſe Auguſtino, patriam huius verſionis indicaturo, eiusmodi phraſin probari. Idem quippe *Auguſtinus* contra Fauſtum Manichaeum l. 11. c. 2. haud obſcure innuit, codices verſionis latinae N. F. ex regionibus italis in Africam fuiſſe translatos. Neque cum Eichhornio dixerim, indolem ipſam verſionis latinae vetuſtae, quae verborum graecorum tam tenax eſſet, ut haud raro parum latina appareret, inpedire, quo minus patriam eius habeamus Italiam, ſi modo *extra Romam* ſcripta exiſtimetur. Cfr. *Bertholdt* Einl. Vol. II. p. 721. ſq. Van *Eſs* in l. nota 1. laud. p. 19. ſſ.

5) *Eichhornio* iudice Einl. Vol. IV. p. 370. ſq. haec verſio, quam *Griesbachius* ad recenſionem occidentalem retulit, indolem textus N. F. aegyptiam exprimit.

6) Uſum dicimus huius verſ. inſignem propterea, quod textum graecum admodum vetuſtum exprimit, qui etiamnum expers fuit multarum ſerioris aevi correctionum et interpolationum, multasque ſervavit textus graeci lectt. varias gravitate haud deſtitutas. Cfr. *Eichhorn* Einl. Vol. IV. p. 361. ſqq. — De *codicibus* verſionem lat. antiquiſſimam continentibus vd. nota 2. *Editiones:* Vulgata an-

qua lat. Itala verfio ev. fecundum Matth. et ep. canonica Iacobi ed. Io. *Martianay*, Parif. 1695. 12. coll. remarques fur la verfion Italique de l'evangile de St. Matth. qu'on a decouvert dans de fort anciens mff. par Iean *Martianay*, Parif. 1695. 8. Acta App. graeco-latina, litteris maiufculis. E codice Laudiano characteribus uncialibus exarato, et in bibliotheca Bodleiana afferyato defcripfit ediditque Th. *Hearnius* Oxonii, 1715. 4. (inferta, absque textu graeco, libro: *Hwiid* libellus criticus de indole codicis N. T. bibliothecae Caefareo-Vindobonenfis Lambecii XXXIV, acc. textus latinus Antehieronym. e cod. Laud. Hafniae, 1785. 8.) Bibliorum ff. latinae verfiones antiquae, feu vetus Itala et ceterae, quotquot in codd. mff. et antiquorum libris reperiri potuerunt, quae cum vulgata latina et cum textu graeco comparentur, cura et ftudio D. Petri *Sabatier*, Remis, 1743. 3. Voll. forma max. (Verfionem lat. vetuftam ex hac Sabatierii collectione defumtam feparatim exhib. S. *Semmler:* paraphr. in ep. ad Romm. Hal. 1769. in ep. ad Corr. 1770. 1776. in ep. Iacobi, 1781. in epp. Petri et Iudae, 1783. 84.) Evangeliarium quadruplex latinae verfionis antiquae, etc. a Iof. *Blanchino* Veronenfi Romae, 1749. 2. Voll. forma max. Sacrofanctus evangeliorum codex Eufebii Magni manu exaratus, ex autographo Bafilicae Vercellenfis ad unguem exhibitus, nunc primum in lucem prodit opera et ftudio Io. Andr. *Irici*, Tridinenfis, Collegii Ambrof. Doctoris, Mediolani, 1749. 4. Iof. *Dobrowsky* fragmentum Pragenfe ev. Marci vulgo autographi, Prag. 1778. 4. Fragmenta Marci iuxta verfionem antiquam Antehieronymianam etc. (ab *Altero* ex cod. Vindob. defcripta): *Paulus* Repertorium für bibl. und morgenländ. Litter. Vol. III. itemque fragmenta Lucae iuxta eandem verf. ex eodem cod. ab *Altero* defcripta: *Paulus* Memorabb. 7. St.. Codex Theodori *Bezae* Cantabrigienfis, evv. et Acta complectens ed. Th. *Kipling*, Cantabr. 1793. 2. Voll. forma max. (textum ev. Io. lat. ex eodem cod. exhibuerat S. *Semmleri* paraphrafis ev. Io. Hal. 1771. 2. Voll.) Ceterum cfr. Dav. *Schulz* differt. de codice quatuor evangeliorum bibliothecae Rhedigerianae, in quo vetus latina verfio continetur, Vratislav. 1814. 4. A. *Breyther* differt. theologico-critica de vi, quam antiquiffimae verfiones, quae exftant, latinae in crifin quatuor evangeliorum habeant, Merfeburgi, 1824. 8. (Ingeniofa eft, quam auctor doctiff. commendavit, fen-

tentia; Censori quoque huius commentat. probata: *Winer* und *Engelhardt* neues krit. Journ. der theol. Litter. 5 B. 2. St. 1826. p. 238. Augustinum sub *Itala* eandem intellexisse textus latini emendationem, quam Hieronymus Romae instituisset. Sed haud inepte quaerere licet, qua de causa Augustinus, si hanc innueret, maluerit Italam, quam vel Romanam, vel versionem Hieronymi appellare?)

7) Cfr. *Hieron.* praefatio in quatuor evangg. ad Damasum. *Idem* comment. in Matth. 24. 36. ep. ad Gal. 3. 1. pluribusque locis epistolarum ad Augustinum et Marcellum. Vd. *Van Ess* in l. nota 1. laud. p. 101. ss.

8) Legitur versio *Hieron.* in Hieron. divina bibliotheca studio et labore Monachorum Ordinis S. *Benedicti* (Io. Martianay, et Ant. Pouguet) Paris. 1693. forma max. itemque in Opp. Hieron. ex ed. Vallarsi et Scip. *Maffei*, Veronae, 1734. (XI. Volumm.) Vol. IX. X., et fragm. Pragensi ev. Marci nota 6. laud.

9) Testimonia coll. *Van Ess* l. l. p. 134. ss.

10) *Cassiodorus* Saec. VI. textui latino, collata quidem versione vetere Ante-Hieronymiana, emendando operam dedit. Vd. *Cassiod.* praef. libri de institutione divinn. litt. Nec defuerunt codices, qui utrumque textum (Ante-Hieronymianum et Hieron.) alteri miscerent. Vd. *Blanchini* liber nota 6. laud. T. II. p. 2.

11) Vd. Capitular. Reg. Franc. l. 6. c. 227. *Alcuini* epistola ad Gislam et Columbam, praefixa libro VI. commentarii in Io. (separatim ed. Argentor. 1527. 8.) *Baronius* Annales ad a. 778. Fragmentum autographi Alcuini exh. *Blanchini* vindiciae canonicarum scripturarum p. CCCXXII. ss. *eiusdemque* evangeliarium quadruplex laud. Vol. II. tab. 8.

12) *Lanfrancus*, episcopus Cantuariensis Saec. XI. (vd. vita Lanfranci ed. D'*Achery* in opuscc. Paris. 1648.) *Stephanus* Abbas Cistertiensis Saec. XII. in. (histoire litteraire de la France T. IX. p. 123.) *Nicolaus* Cardinalis Saec. XII. med. (vd. *Hodius* de bibliorum textibus originalibus p. 417.)

13) *Epanorthodetae* sive *correctoria biblica* dicebantur codices, vel textum versionis vulg. una cum notatione le-

ctionum eius variarum margini adscripta (indicio de auctoritate lectionum subinde addito), vel solas lectt. varr. sine textu continuo exhibentes, interdum etiam interpretationi notis marginalibus inservientes. V. c. Correctorium *Parisinum* s. *Senonense* a. 1230. vd. Rich. *Simon* histoire critique des versions du N. T. c. 9. Correct. *Dominicanorum* s. *Hugonis* a S. Caro liber de correctionibus a. 1236. vd. *Doederlein* in l. litterärisches Museum 1. 2. St. Rich. *Simon* nouvelles observations sur le texte et les versions du N. T. P. 2. c. 1. Corrector. bibliae cum difficilium quarundam dictionum luculenta interpretatione per *Magdalium Iacobum* Gandensem Ordinis Praedic. Colon. 1508. 8.

14) Concilium Tridentinum sess. IV. decreto 2. statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat. Vd. *Iahn* Einl. in die göttlichen Bücher des alten Bundes, T. I. Wien, 1802. ed. II. p. 230. ss. *Van Ess* l. 1. p. 401. ss. Nos, libertatis vere evangelicae defensores, nolumus *ullam* scripturae s. *versionem* pro norma perpetua haberi vel interpretationis librorum ss. recte instituendae, vel dogmatum formandorum.

15) De primis, quae typis inpressae prodierunt (sine indicio anni et loci), versionis vulgatae editionibus vd. *Le Long* bibliotheca sacra, ed. *Masch* P. II. Vol. III. p. 58. ss. Cum indicio loci et anni primum apparuit vers. vulg. curantibus *Faustio* et *Schoiffero*, Mogunt. 1462. forma max. quam edit. posthac plures sequuti sunt, qui Parisiis, Neapoli, Venetiis, Norinbergae, et alibi hunc textum lat. typis inprimendum curaverunt. Quae quidem edd. (singulorum quorundam codd. latinorum apographa fida) nostro tempore rariores sunt. Sed *recensionem* textus latini *criticam*, conferendis codd. pluribus, inter editores primus instituit *Robertus Stephanus*: Biblia, Paris. ex officina Rob. Steph. e regione scholae Decretorum, 1528. forma max. Eiusd. officinae septem alias debemus edd. ab anno inde 1532. usque ad a. 1557. adornatas, quarum praestantissima recte habetur, quae a. 1540. prodiit. Textui huius edit. tanquam fundamento suam recensionem auctoritate Theologorum Lovanensium adornatam (collatis codd. latinis vetustis) superstruxit Io. *Hentenius*:

biblia ad vetuſtiſſima exemplaria recens caſtigata, Lovanii, 1547. forma max. Concilium quippe Trident. decreverat, ut poſthac ſacra ſcriptura, praeſertim vetus et vulgata (lat.) editio quam emendatiſſime inprimeretur. Ed. Hentenii ſaepius repetita. Poſt eius obitum Theologi Lovanienſes novam ed. inſtituerunt: biblia ſacra Antverp. ex officina Chriſtoph. *Plantini* 1573. 3. Voll. 8. repet. 1580. In utraque ed. Lovan. accuratior codicum deſcriptio deſideratur. Auctoritatem publicam non amplius obtinuit, ex quo tempore interdictum fuerat, ne textus probaretur ab eo diverſus, qui auctoritate epiſcopi Romani prodiiſſet.

16) Biblia ſacra vulgatae editionis, tribus tomis diſtincta, Romae ex typographia Apoſtolica Vaticana, 1590. ex altero titulo: Biblia ſacra Vulg. ed. ad concilii Tridentini praeſcriptum emendata et a *Sixto* quinto P. M. recognita et approbata forma max. Profitebatur Sixtus in praefatione, laborem ſuum eo ſpectaſſe, ut Vulgata vetus priſtinae ſuae puritati, qualis primum ab ipſius interpretis manu ſtyloque prodiiſſet, reſtituta inprimeretur (ope antiquorum probatorumque codicum latinorum), ideoque, *conſtitutione perpetuo valitura*, eam vulgatam V. et N. F. latinam editionem, quae pro authentica a concilio Trident. recepta ſit, ſine ulla dubitatione aut controverſia cenſendam eſſe hanc ipſam, quam nunc emendatam evulgaverit. Attamen, quum Sixtus ipſe vitiis pluribus in textu latino typis inpreſſo hic illic animadverſis et calamo corrigente, et ſchedulis adfixis mederi ſtuduiſſet, *Gregorius* XIV. Pont. Romanus, ne hac in re offenderetur, novam, quae pro authentica haberetur, verſionis vulgatae recenſionem (tanquam ab ipſo Sixto V. praeparatam eiusque conſilio accommodatam) inſtituit, ſerius demum, inperante *Clemente* VIII. typis inpreſſam, ad editionem Lovanenſem (nota 15.) pluribus locis propius accedentem: Biblia ſacra vulgatae editionis Sixti V. P. M. iuſſu recognita et edita, Romae ex typogr. Apoſtol. Vatic. 1592. forma max. Eiusdem vero Clementis VIII. auctoritate paulo poſt alia editio prodiit, quae ab illa ſaepenumero diſcrepat: biblia latina Sixti V. P. M. iuſſu recognita atque edita Romae ex typogr. Vatic. 1593. 4. Cfr. Thomas *James* bellum Papale ſive concordia diſcors Sixti V. et Clementis VIII. circa editio-

nem Hieronymianam, Lond. 1600. 4. rec. 1678. 8. *Lucas Brugensis* romanae correctionis in latinis bibliis editionis vulg. iussu Sixti V. P. M. recognitis loca insigniora, Antverp. 1608.

17) Editt. Plantinianae, Antverp. 1599. 4. 1605. 4. 1608. 8. et al. Recentissima: biblia sacra vulgatae editionis iuxta exemplar ex typographia Apostol. Vatic. Romae 1592. etc edidit Leander *Van Ess*, 2. Voll. Tub. 1824. 8. (add. lectt. varr. ex editt. diversis collectae). — Usui critico maxime inserviunt edd. Stephan. et Lovan. nota 15. laudd. Quo accuratius textus versionis vulg. antiquus, quantum fieri possit, restituitur, et ab interpolamentis seriorum temporum liberatur, eo tutius adhibetur ad cognoscendas eiusmodi lectiones, quae in codicibus ante Hieronymum scriptis et Hieronymo usurpatis obvenerunt. Nec negligendus est usus versionis vulg. exegeticus, admodum fidae quippe, et saepenumero diligenter perlustratae atque recognitae. De indole eius atque historia praeter librum egregium *Van Essii* saepe laud. cfr. *Sixtinus Amama* censura vulgatae vers. lat. Franequ. 1620. *Eiusd.* antibarbarus biblicus, 1628. 1656. Io. *Boisii* veteris interpretis cum Beza aliisque collatio, Lond. 1655. *Le Bret* de usu versionis lat. veteris in ecclesia Christ. Tub. 1786. *Herber* de versione lat. vulgata, Vratislav. 1815. 4. (cfr. Marburger neue theol. Annalen, September und Oct. 1815. p. 711. ff.) *Riegler* kritische Geschichte der Vulgata, Sulzbach, 1820. 8.

Versiones latinae recentiores (praeter vulgatam): Biblia sacra ex Sebast. *Castalionis* postrema recognitione cum eiusdem adnotatt. Basil. 1573. Lips. 1697. deinde saepius. Recentiores editiones: biblia s. e *Castalionis* interpret. praefatus est Christoph. *Wolle* Lips. 1728. Biblia s. e Castalionis interpret. etc. versionem ex primis editionibus emendavit et praefatus est *Bunemann*, Lips. 1758. (Etsi interdum elocutio latina paulo artificiosior appareat universe tamen spectata haec versio et fide et sermone vere latino ita commendatur, ut inter praestantissimas recte referatur.) Alius vers. *Theodori Bezae*, qui in eo potissimum elaboravit, ut, quam proxime fieri posset, ad textum graecum accederet, verborumque proprietatem sectaretur (unde haud raro minus latine verteret), editio prima cum adnotatt. prodiit a. 1556. Successerunt aliae edd. textu graeco instructae. Guil. *Thalemann*

versio latina evangeliorum Matth. M. L. Io. itemque Actuum Apostt. edita a C. *Tittmanno*, Berol. 1781. continuata auctore Sig. *Jaspis*: versio lat. epistolarum N. T. perpetua adnotatione illustrata, Lips. II. Voll. 1793. 97. ed. II. 1821. Quam versionem et fides atque perspicuitas, qua sententia scriptoris exprimitur, et sermo latinus magnopere commendat. Sacri N. T. libri omnes veteri latinitate donati ab Henr. Godofr. *Reichardo*, Lips. 1799. II. Voll. 8. Quanquam sermo latinus Reichardi insignem habet elegantiam, numerum et concinnitatem, desideramus tamen eam sermonis simplicitatem, quae indolem scriptoribus sacris N. F. propriam recte exhibeat. — Quod versiones *vernaculas* attinet, veluti coryphaeum agit immortale opus *Lutheri*, cuius versio librorum sacrorum, etsi passim voces formulasque usurpet vel obsoletas vel nostro loquendi mori minus sollennes, neque negari possit, ipsam exegesin nostram ulterius esse provectam, maximam tamen partem sermone vernaculo admodum culto et perspicuo scripta est, tantaque fide et sententias, et modum loquendi, narrandi, differendi scriptoribus sacris peculiarem exprimere studet, ut exemplo praestantissimo (cum delectu quidem et iudicio imitando) inserviat omnibus, qui nostra aetate libros ss. sermone vernaculo donaverint. Novi quidem F. versionem vern. absolvit Lutherus mense Septembri a. 1522. De historia huius operis, eiusque edd. vd. *Rumpaeus* comment. crit. in libros N. F. p. 368. ss. *Küster* Geschichte der Verdeutschung des göttlichen Wortes durch D. Luther, Berlin, 1823. *Veesenmayer* comment. inserta diario: Hallisches Journal für Prediger, herausg. von Bretschneider, Neander, Vater, 64. B. 2. St. Halle, 1823. *Gieseler* und *Lücke* Zeitschrift für gebildete Christen der evangelischen Kirche, 3. und 4. H. Bonn, 1823. 24. Aliae versiones recentiores: Das N. T. nach der Uebersetzung Aug. *Heumanns*, ed. recent. Hannover, 1750. 8. Das N. T. von neuem übers. mit Anmerkk. von T. *Damm*, Berlin, 1764. III. Volumm. Die neuesten Offenbarungen Gottes in Briefen und Erzählungen verdeutscht durch F. *Bahrdt*, Riga, 1773. 74. II. Voll. recentius: die neuesten Belehrungen Gottes durch Jesum und seine Apostel verdeutscht mit Anmerkk. von F. *Bahrdt*, Berlin, 1783. 2. Voll. (Dolendum quod vir ingeniosus hoc potissimum egerit, ut Iesum et Apostolos ea ratione loquentes exhiberet, qua ipse

eos loqui voluisset.) Die Bibel A. und N. T. mit vollständig erklärenden Anmerkk. von F. *Hetzel*, Lemgo, 1781. ss. Voll. X. versio periphrastica, recentius recusa, permultis locis immutata: die Bibel des N. T. übers. mit Anmerkk. von *Hetzel*, Dorpat und Leipzig, 1809. Das N. T. übers. mit Anmerkk. von F. *Seiler*, Erlangen, 1781. recentius: *Seiler* Uebers. der Schriften des N. T. mit beygefügten Erklärungen schwerer Stellen, Erlangen, 1806. II. Voll. Dav. *Michaelis* Uebersetzung des N. T. Göttingen, 1790. 2. Voll. 4. Das N. T. so übersetzt, dass es ein jeder Ungelehrte verstehen kann, von D. *Moldenhawer*, Quedlinburg, 1787. ss. 2. Voll. Die heil. Schriften des N. B. übers. mit Anmerk. von W. *Rullmann*, Lemgo, 1790. 91. Voll. III. De *Brentano* (theol. Confess. romano-cathol.) die heil. Schrift des N. T. ed. III. Frankfurt a. M., 1799. Voll. III. Das N. T. neu übers. mit einer durchaus anwendbaren Erklärung von O. *Thiess*, Gera und Leipz. 1794—1800. IV. Voll. *Schwarzel* (theol. Confess. romano-cathol.) Uebersetzung und Auslegung des N. T. Ulm, 1801. ss. Voll. II. Sämmtliche Schriften des N. T. übers. von *Stolz*, ed. IV. Hannover, 1804. Voll. II. quae versio prorsus immutata prodiit, ad morem loquendi scriptorum N. F. multo propius conformata: sämmtliche Schriften des N. T. übers. von *Stolz* eine ganz neue Arbeit, Hannover und Leipzig, 1820. *Carl van Ess* und *Leander van Ess* (Theoll. conf. romano-cathol). die heiligen Schriften des N. T. übersetzt, ed. II. Sulzbach, 1810. Die neutestamentliche Bibel von *Preiss*, Stettin, 1811. Die Schriften des N. T. neu übers. von *Augusti* und *de Wette*, Heidelberg, 1814. (quae versio egregia Lutherianae tanquam fundamento prorsus superstructa est.) Die heil. Schrift in berichtigter Uebers. mit Anmerkk. von *Meyer*, tomus III. (cont. libros N. F.) ed. II. Frankfurt a. M., 1823. Praecipue ex his omnibus commendandae sunt *Seileri*, *Stolzii*, *Van Essii*, *Augustii* et *De Wettii*, *Meyeri* versiones. Zachariae et Boltenii verss. in isagoge spec. pluribus locis laudd. sunt.

§. 164.

Ceterum ad crisin textus N. F. recte instituendam permultum valent loci scriptorum veterum textum

N. F. citantium, qui a faeculo inde II. usque ad XII. floruerunt [1]). Inferviunt quippe et lectionibus varr. colligendis, et origini, aetati, patriae lectionum infigniorum indagandae, totiusque textus N. F. hiftoriae illuftrandae. Qua in re cautio magna adhibenda est, fiquidem teftimonia certa lectionum variarum ex iis tantum locis patrum veterum recte petuntur, quae ita fe habent, ut pateat, effata N. F. neque liberius (et negligentius) ex memoria laudari, neque conftructioni aut fententiae ipfius fcriptoris haec effata in rem fuam adhibentis effe aptata, fed accurate fecundum codices adferri [2]). Praeterea probe exploratum habeamus neceffe eft, an liber fcriptoris ecclefiaftici, cuius teftimoniis criticis utamur, huic auctori recte vindicetur, itemque, an textus vulgaris eorum locorum, quibus effata N. F. citantur, recte fe habeat.

1) Ex ipfis eorum, qui haeretici dicebantur, fcriptis eorumve fragmentis ad apparatum criticum fymbolae colliguntur. Erraverunt, qui, quaecunque lectiones fingulares in fcriptis haereticorum obvenirent, eas omnes depravationi tribuerent arbitrariae (vd. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 120. ff.), quanquam de Marcione (vd. §. 8. §. 49. nota 9.) negare nolumus, eum crifin exercuiffe audaciorem. Sed ufum potiorem habent fcripta *patrum* eccl.

2) Verba N. F. diligenter adferri cenfemus a.) ubi pater eccles. (cuius fidem aliunde cognitam habemus) *non alludit* ad locum N. F. fed *diferte laudat*, b) ubi *longa* adfertur enuntiationum (verfuum) feries, qualem fcriptor multo probabilius ex codice infpecto petiiffe quam memoriter attuliffe exiftimatur, c) ubi fcriptor hoc agit, ut locum laudatum commentario illuftret (cavendum modo, ne, fi forte interpres voculam quandam, formulam, enuntiationem brevem, intellectu facilem filentio praeterierit, hoc argumento colligamus, eum haec non legiffe in codicibus), d) ubi palam profitetur, fe hanc illamve fcripturam in exemplari deprehendiffe (quan-

quam nonnulli patrum *iuniorum* codices, quorum testimoniis utuntur, graecos vetustos non ipsi legisse, sed hac in re testimonia aliorum interpretum sequuti esse videntur.)

§. 165.

Ex his patrum testimoniis criticis praecipue in censum veniunt: Saec. II. Irenaeus [1]) et Clemens Alexandrinus [2]). Saec. III. Origenes [3]). Saec. IV. Basilius Magnus [4]), Gregorius Nyssenus [5]), Gregorius Nazianzenus [6]), Crysostomus [7]). Saec. V. Cyrillus Alexandrinus [8]), Theodoretus [9]), Isidorus Pelusiota [10]). Saec. XI. Theophylactus [11]). Saec. XII. Euthymius Zigabenus [12]).

1) Dolendum, quod pauca tantum exstent Irenaei fragmenta *sermone graeco* (originali) servata, ceterorum interpretationem tantum latinam vetustam habeamus, cuius auctor loca N. F. ab Irenaeo citata ex versione lat. vetere inseruisse videtur. Quae in graecis laudantur, ad indolem textus N. F. asiaticam byzantinam propius accedunt.

2) Loca N. F. plerumque ex memoria adfert. Quae accurate ex codd. protulit, ad indolem textus alexandrinam pertinent.

3) Origenem, qui textu alexandr. usus est, multosque codd. vetustos ante oculos habuit, hac in re prorsus sequitur Eusebius Caesareensis.

4) Ex codicibus diversis accurate collatis lectiones servavit insigniores, quae indolem textus N. F. byzantinam exprimunt.

5) Quanquam plerumque loca N. F. liberius laudavit, interdum tamen textum codicum (ad indolem byzant. pertinentem) accuratius expressit.

6) Pluribus locis Gregorio Nyss. prorsus adsentitur. Sed rarius omnino, quam ille, effata N. F. attulit.

7) Chrysost. scripta modo indolem textus alexandrinam, modo byzantinam referre videntur. Admodum caute ad

crisin N. F. adhibenda sunt, quum permulta effata laudd. memoriter protulerit, loca similia vel eiusdem vel diversorum scriptorum ss. haud raro composuerit, textum antea accuratius propositum saepenumero ipse mutaverit.

8) Inter testes gravissimos textus N. F. secundum indolem alexandrinam conformati pertinet. Praecipue constantem sese gerit in locis citandis, plerumque eiusmodi lectiones exhibens, quae argumentis internis commendantur.

9) Quanquam Theodor. plerumque ab Origene et Chrysostomo pendet, et paucas habet lectt. varr. insigniores, conferunt tamen illius scripta ad indolem textus byzant. cognoscendam.

10) Isidorus, cuius epistolarum epitome tantum exstat, plerumque cum codicibus textus alexandr. consentit.

11) Textus, quem sequitur, maximam partem est byzantinus, quanquam pluribus locis ex effatis N. F. parallelis lectionibusque varr. margini codd. adscriptis interpolatus.

12) In commentariis suis ex Origene, Basilio, Gregorio Nazianz. et Chrysostomo collectis plerumque indoli textus byzantinae adhaeret. — Recensionem uberiorem conciliorum, patrum, scriptorumque ecclesiast. graecorum, latinorum, syriacorum, qui textum N. F. citaverunt, exhib. *August. Scholz* Vol. I. editionis N. F. prolegg. p. CXXXIX. seqq. Praeterea cfr. *Griesbach* opuscc. ed. *Gabler* Vol. I. p. 278. ss. *Eiusd.* meletemata de vetustis textus N. T. recensionibus p. XXV. ss. *Vater* spicilegium observationum ad usum patrum graecorum in Critica N. T. pertinentium, Regiom. 1810. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 119. ss.

CAPUT IV.

DE EDITIONIBUS NOVI FOEDERIS.

§. 166.

Postquam nonnullae librorum N. F. partes separatim typis inpressae [*]) fuerant, prodierunt saeculo XVI. duae totius N. F. editiones principes eaedemque

fundamentales (i. e. ex solis codicibus adornatae), nostro tempore admodum rarae, quarum auctores paucis tantum usi sunt praesidiis criticis textus recte constituendi, Complutensis [2]) et Erasmiana [3]).

1) Hymni Mariae et Zachariae *Luc.* 1, 46—55. 68—80. in appendice libri: Psalmi graece, charactere vetustissimo et singulari etc. Venet. 1486. 4. *Evangelii Ioannei* sex capita priora, appendix libri: Gregorii Naz. carmina e graeco in lat. translata, Venetiis ex *Aldi* academia, 1504. 4. *Evangelii Io.* c. 1, v. 1—14. Tub. 1514. Pauli Ap. ad Romanos epistola Viteb. 1520. 8. (auctore Melanchthon.) Quum versio vulgata, in cuius usu tum temporis plerique acquiescerent, saepius iam saec. 15. ex. 16. in. prodiisset typis excussa, editio N. F. graeci minus desiderari solebat.

2) Biblia sacra (polyglotta) *Complutensia* (Alcalae in Hispania) VI. Voll. forma max. Novum Testam. graece et latine, in Academia Complutensi noviter inpressum (Vol. V.) 1514. Opus coniunctis virorum doctorum, qui Alcalae versabantur, studiis, adiuvante Francisci Ximenis Cardin. liberalitate eximia a. 1502. inchoatum anno demum 1522. iuris publici factum est. Codices ab editoribus adhibiti, parum accurate descripti, ex iunioribus fuisse videntur. Interpolationis textus graeci ex vers. vulgata factae, quam plures olim editoribus Complutt. vitio verterunt, paucissima apparent vestigia (v. c. 1. ep. *Io.* 5, 7.) Cfr. de hac ed. S. *Semmler* historische und krit. Sammlungen über die sogenannten Beweisstellen in der Dogmatik 1. Th. Halle, 1764. 8. Melch. *Götz* Vertheidigung der Complutensischen Bibel gegen die Semmlerischen und Wettsteinischen Beschuldigungen, Hamburg, 1765. 8. *Semmler* genauere Untersuchung der schlechten Beschaffenheit des zu Alcala gedrukten N. T. Halle, 1766. 8. *Götz* ausführlichere Vertheidigung des complutens. Neuen Test. Hamburg, 1766. 8. *Semmler* historische und krit. Sammlungen u. s. w. 2. Th. Halle, 1768. *Götz* Fortsetzung der ausführlicheren Vertheidigung des Complutens. N. T. u. s. w. Halle, 1769. 8. N. *Kiefer* gerettete Vermuthungen über das Complut. N. T. gegen Herrn Sen. Götz, herausg. von *Semmler*, Halle, 1770. 8. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 253. ff.

3) Defid. *Erafmi* (Roterod.) editio prima, praecipitanter facta; (cum verfione Er. latina) prodiit Bafil. 1516. f. max. Ufurpavit codd. paucos Bafileenfes iuniores, et fcripta patrum quorundam eccl. vett. praecipue Theophylacti. Seriores eiusdem Er. editt. a. 1519. (quae codicem Vindobon. et plura patrum fcripta contulit), 1522. 1527. 1535. permultis locis (plerumque ratione idonea) a textu antiquiffimae deflectunt. Editio IV. pluribus locis textui accommodata eft Complutenfi.

§. 167.

Secundum alterutram harum editionum fundamentalium aliae multae conformatae funt Saec. XVI. et XVII. inftitutae, quarum nonnullis tantum nova crifeos N. F. praefidia praefto fuerant [1]). Prae ceteris a faeculo inde XVI. medio, collatis pluribus codicibus, qui hucusque nondum ufurpati fuerant, editiones Roberti Stephani [2]) ita eminuerunt, ut plures deinde textum Steph. exprimerent [3]). Sed novam textus N. F. recenfionem, apparatu critico uberiori inftructus, primus inftituit Theodorus Beza [4]), cuius diligentia et eruditio magis praedicanda eft, quam fubtilitas crifeos atque conftantia. Auctoritatem Bezae haud pauci editionum minorum auctores [5]) fequuti funt, exftititque prioribus decenniis faeculi XVII. quum editionibus Elzevirianis, modo ad textum Bezae, modo ad Steph. conformatis, praefertim typorum diligentia atque nitore, plaufus fingularis contigiffet, textus, qui dicitur receptus [6]).

1) Textum *Complutenfem* fequuntur: ed. Chriftoph. *Plantini*, Antverp. 1564. 12. et aliae eiusd. officinae, v. c. Novum Iefu Chr. Dom. N. teftam. ex officina Plantiniana Raphelengii, 1612. 32. edd. *Genevenfes*, 1609. 1619. 1620. 1628. 1632. Biblia Polyglotta *Parif.* T. IX. X. 1645. Domini Noftri Iefu Chr. teftam. gr. cum variis lectt. etc.

qua lat. Itala verſio ev. ſecundum Matth. et ep. canonica Iacobi ed. Io. *Martianay*, Pariſ. 1695. 12. coll. remarques ſur la verſion Italique de l'evangile de St. Matth. qu'on a decouvert dans de fort anciens mſſ. par Iean *Martianay*, Pariſ. 1695. 8. Acta App. graeco-latina, litteris maiuſculis. E codice Laudiano characteribus uncialibus exarato, et in bibliotheca Bodleiana aſſervato deſcripſit ediditque Th. *Hearnius* Oxonii, 1715. 4. (inſerta, absque textu graeco, libro: *Hwiid* libellus criticus de indole codicis N. T. bibliothecae Caeſareo-Vindobonenſis Lambecii XXXIV, acc. textus latinus Antehieronym. e cod. Laud. Hafniae, 1785. 8.) Bibliorum ſſ. latinae verſiones antiquae, ſeu vetus Itala et ceterae, quotquot in codd. mſſ. et antiquorum libris reperiri potuerunt, quae cum vulgata latina et cum textu graeco comparentur, cura et ſtudio D. Petri *Sabatier*, Remis, 1743. 3. Voll. forma max. (Verſionem lat. vetuſtam ex hac Sabatierii collectione deſumtam ſeparatim exhib. S. *Semmler*: paraphr. in ep. ad Romm. Hal. 1769. in ep. ad Corr. 1770. 1776. in ep. Iacobi, 1781. in epp. Petri et Iudae, 1783. 84.) Evangeliarium quadruplex latinae verſionis antiquae, etc. a Ioſ. *Blanchino* Veronenſi Romae, 1749. 2. Voll. forma max. Sacroſanctus evangeliorum codex Euſebii Magni manu exaratus, ex autographo Baſilicae Vercellenſis ad unguem exhibitus, nunc primum in lucem prodit opera et ſtudio Io. Andr. *Irici*, Tridinenſis, Collegii Ambroſ. Doctoris, Mediolani, 1749. 4. Ioſ. *Dobrowsky* fragmentum Pragenſe ev. Marci vulgo autographi, Prag. 1778. 4. Fragmenta Marci iuxta verſionem antiquam Antehieronymianam etc. (ab *Altero* ex cod. Vindob. deſcripta): *Paulus* Repertorium für bibl. und morgenländ. Litter. Vol. III. itemque fragmenta Lucae iuxta eandem verſ. ex eodem cod. ab *Altero* deſcripta: *Paulus* Memorabb. 7. St.. Codex Theodori *Bezae* Cantabrigienſis, evv. et Acta complectens ed. Th. *Kipling*, Cantabr. 1793. 2. Voll. forma max. (textum ev. Io. lat. ex eodem cod. exhibuerat S. *Semmleri* paraphraſis ev. Io. Hal. 1771. 2. Voll.) Ceterum cfr. Dav. *Schulz* diſſert. de codice quatuor evangeliorum bibliothecae Rhedigerianae, in quo vetus latina verſio continetur, Vratislav. 1814. 4. A. *Breyther* diſſert. theologico-critica de vi, quam antiquiſſimae verſiones, quae exſtant, latinae in criſin quatuor evangeliorum habeant, Merſeburgi, 1824.

tentia; Censori quoque huius commentat. probata: *Winer* und *Engelhardt* neues krit. Journ. der theol. Litter. 5 B. 2. St. 1826. p. 238. Augustinum sub *Itala* eandem intellexisse textus latini emendationem, quam Hieronymus Romae instituisset. Sed haud inepte quaerere licet, qua de causa Augustinus, si hanc innueret, maluerit Italam, quam vel Romanam, vel versionem Hieronymi appellare?)

7) Cfr. *Hieron.* praefatio in quatuor evangg. ad Damasum. *Idem* comment. in Matth. 24, 36. ep. ad Gal. 3, 1. pluribusque locis epistolarum ad Augustinum et Marcellum. Vd. *Van Ess* in l. nota 1. laud. p. 101. ss.

8) Legitur versio *Hieron.* in Hieron. divina bibliotheca studio et labore Monachorum Ordinis S. *Benedicti* (Io. Martianay et Ant. Pouguet) Paris. 1693. forma max. itemque in Opp. Hieron. ex ed. Vallarsi et Scip. *Maffei*, Veronae, 1734. (XI. Volumm.) Vol. IX. X. et fragm. Pragensi ev. Marci nota 6. laud.

9) Testimonia coll. *Van Ess* l. l. p. 134. ss.

10) *Cassiodorus* Saec. VI. textui latino, collata quidem versione vetere Ante-Hieronymiana, emendando operam dedit. Vd. *Cassiod.* praef. libri de institutione divinn. litt. Nec defuerunt codices, qui utrumque textum (Ante-Hieronymianum et Hieron.) alteri miscerent. Vd. *Blanchini* liber nota 6. laud. T. II. p. 2.

11) Vd. Capitular. Reg. Franc. l. 6. c. 227. *Alcuini* epistola ad Gislam et Columbam, praefixa libro VI. commentarii in Io. (separatim ed. Argentor. 1527. 8.) *Baronius* Annales ad a. 778. Fragmentum autographi Alcuini exh. *Blanchini* vindiciae canonicarum scripturarum p. CCCXXII. ss. *eiusdemque* evangeliarium quadruplex laud. Vol. II. tab. 8.

12) *Lanfrancus*, episcopus Cantuariensis Saec. XI. (vd. vita Lanfranci ed. D'*Achery* in opusc. Paris. 1648.) *Stephanus* Abbas Cistertiensis Saec. XII. in. (histoire litteraire de la France T. IX. p. 123.) *Nicolaus* Cardinalis Saec. XII. med. (vd. *Hodius* de bibliorum textibus originalibus p. 417.)

13) *Epanorthodetae* sive *correctoria biblica* dicebantur co-

ctionum eius variarum margini adſcripta (indicio de auctoritate lectionum ſubinde addito), vel ſolas lectt. varr. ſine textu continuo exhibentes, interdum etiam interpretationi notis marginalibus inſervientes. V. c. Correctorium *Pariſinum* ſ. *Senonenſe* a. 1230. vd. Rich. *Simon* hiſtoire critique des verſions du N. T. c. 9. Correct. *Dominicanorum* ſ. *Hugonis* a S. Caro liber de correctionibus a. 1236. vd. *Doederlein* in l. litteräriſches Muſeum 1. 2. St. Rich. *Simon* nouvelles obſervations ſur le texte et les verſions du N. T. P. 2. c. 1. Corrector. bibliae cum difficilium quarundam dictionum luculenta interpretatione per *Magdalium Iacobum* Gaudenſem Ordinis Praedic. Colon. 1508. 8.

14) Concilium Tridentinum ſeſſ. IV. decreto 2. ſtatuit et declarat, ut haec ipſa vetus et vulgata editio, quae longo tot ſaeculorum uſu in ipſa eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, praedicationibus et expoſitionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praeſumat. Vd. *Iahn* Einl. in die göttlichen Bücher des alten Bundes, T. I. Wien, 1802. ed. II. p. 230. ſſ. *Van Eſs* l. l. p. 401. ſſ. Nos, libertatis vere evangelicae defenſores, nolumus *ullam* ſcripturae ſ. *verſionem* pro norma perpetua haberi vel interpretationis librorum ſſ. recte inſtituendae, vel dogmatum formandorum.

15) De primis, quae typis inpreſſae prodierunt (ſine indicio anni et loci), verſionis vulgatae editionibus vd. *Le Long* bibliotheca ſacra, ed. *Maſch* P. II. Vol. III. p. 58. ſſ. Cum indicio loci et anni primum apparuit verſ. vulg. curantibus *Fauſtio* et *Schoiffero*, Mogunt. 1462. forma max. quam edit. poſthac plures ſequuti ſunt, qui Pariſiis, Neapoli, Venetiis, Norinbergae, et alibi hunc textum lat. typis inprimendum curaverunt. Quae quidem edd. (ſingulorum quorundam codd. latinorum apographa fida) noſtro tempore rariores ſunt. Sed *recenſionem* textus latini *criticam*, conferendis codd. pluribus, inter editores primus inſtituit *Robertus Stephanus*: Biblia, Pariſ. ex officina Rob. Steph. e regione ſcholae Decretorum, 1528. forma max. Eiusd. officinae ſeptem alias debemus edd. ab anno inde 1532. usque ad a. 1557. adornatas, quarum praeſtantiſſima recte habetur, quae a. 1540. prodiit. Textui huius edit. tanquam fundamento ſuam recenſionem auctoritate Theologorum Lovanenſium adornatam

biblia ad vetuſtiſſima exemplaria recens caſtigata, Lovanii, 1547. forma max. Concilium quippe Trident. decreverat, ut poſthac ſacra ſcriptura, praeſertim vetus et vulgata (lat.) editio quam emendatiſſime inprimeretur. Ed. Hentenii ſaepius repetita. Poſt eius obitum Theologi Lovanenſes novam ed. inſtituerunt: biblia ſacra Antverp. ex officina Chriſtoph. *Plantini* 1573. 3. Voll. 8. repet. 1580. In utraque ed. Lovan. accuratior codicum deſcriptio deſideratur. Auctoritatem publicam non amplius obtinuit, ex quo tempore interdictum fuerat, ne textus probaretur ab eo diverſus, qui auctoritate epiſcopi Romani prodiiſſet.

16) Biblia ſacra vulgatae editionis, tribus tomis diſtincta, Romae ex typographia Apoſtolica Vaticana, 1590. ex altero titulo: Biblia ſacra Vulg. ed. ad concilii Tridentini praeſcriptum emendata et a *Sixto* quinto P. M. recognita et approbata forma max. Profitebatur Sixtus in praefatione, laborem ſuum eo ſpectaſſe, ut Vulgata vetus priſtinae ſuae puritati, qualis primum ab ipſius interpretis manu ſtyloque prodiiſſet, reſtituta inprimeretur (ope antiquorum probatorumque codicum latinorum), ideoque, *conſtitutione perpetuo valitura*, eam vulgatam V. et N. F. latinam editionem, quae pro authentica a concilio Trident. recepta ſit, ſine ulla dubitatione aut controverſia cenſendam eſſe hanc ipſam, quam nunc emendatam evulgaverit. Attamen, quum Sixtus ipſe vitiis pluribus in textu latino typis inpreſſo hic illic animadverſis et calamo corrigente, et ſchedulis adfixis mederi ſtuduiſſet, *Gregorius* XIV. Pont. Romanus, ne hac in re offenderetur, novam, quae pro authentica haberetur, verſionis vulgatae recenſionem (tanquam ab ipſo Sixto V. praeparatam eiusque conſilio accommodatam) inſtituit, ſerius demum, inperante *Clemente* VIII. typis inpreſſam, ad editionem Lovanenſem (nota 15.) pluribus locis propius accedentem: Biblia ſacra vulgatae editionis Sixti V. P. M. iuſſu recognita et edita, Romae ex typogr. Apoſtol. Vatic. 1592. forma max. Eiusdem vero Clementis VIII. auctoritate paulo poſt alia editio prodiit, quae ab illa ſaepenumero diſcrepat: biblia latina Sixti V. P. M. iuſſu recognita atque edita Romae ex typogr. Vatic. 1593. 4. Cfr. Thoma[illegible] Papale ſive

nem Hieronymianam, Lond. 1600. 4. rec. 1678. 8. *Lucas Brugensis* romanae correctionis in latinis bibliis editionis vulg. iussu Sixti V. P. M. recognitis loca insigniora, Antverp. 1608.

17) Editt. Plantinianae, Antverp. 1599. 4. 1605. 4. 1608. 8. et al. Recentissima: biblia sacra vulgatae editionis iuxta exemplar ex typographia Apostol. Vatic. Romae 1592. etc. edidit Leander *Van Ess*, 2. Voll. Tub. 1824. 8. (add. lectt. varr. ex editt. diversis collectae). — Usui critico maxime inserviunt edd. Stephan. et Lovan. nota 15. laudd. Quo accuratius textus versionis vulg. antiquus, quantum fieri possit, restituitur, et ab interpolamentis seriorum temporum liberatur, eo tutius adhibetur ad cognoscendas eiusmodi lectiones, quae in codicibus ante Hieronymum scriptis et Hieronymo usurpatis obvenerunt. Nec negligendus est usus versionis vulg. exegeticus, admodum fidae quippe, et saepenumero diligenter perlustratae atque recognitae. De indole eius atque historia praeter librum egregium *Van Essii* saepe laud. cfr. *Sixtinus Amama* censura vulgatae vers. lat. Franequ. 1620. *Eiusd.* antibarbarus biblicus, 1628. 1656. Io. *Boisii* veteris interpretis cum Beza aliisque collatio, Lond. 1655. *Le Bret* de usu versionis lat. veteris in ecclesia Christ. Tub. 1786. *Herber* de versione lat. vulgata, Vratislav. 1815. 4. (cfr. Marburger neue theol. Annalen, September und Oct. 1815. p. 711. ss.) *Riegler* kritische Geschichte der Vulgata, Sulzbach, 1820. 8.

Versiones latinae recentiores (praeter vulgatam): Biblia sacra ex Sebast. *Castalionis* postrema recognitione cum eiusdem adnotatt. Basil. 1573. Lips. 1697. deinde saepius. Recentiores editiones: biblia s. e *Castalionis* interpret. praefatus est Christoph. *Wolle* Lips. 1728. Biblia s. e Castalionis interpret. etc. versionem ex primis editionibus emendavit et praefatus est *Bunemann*, Lips. 1738. (Etsi interdum elocutio latina paulo artificiosior appareat, universe tamen spectata haec versio et fide et sermone vere latino ita commendatur, ut inter praestantissimas recte referatur.) Alius vers. *Theodori Bezae*, qui in eo potissimum elaboravit, ut, quam proxime fieri posset, ad textum graecum accederet, verborumque proprietatem sectaretur (unde haud raro minus latine verteret), editio prima cum adnotatt. prodiit a. 1556. Successerunt aliae edd. textu graeco instructae. Guil. *Thalemann*

verſio latina evangeliorum Matth. M. L. Io. itemque Actuum Apoſtſt. edita a C. *Tittmanno*, Berol. 1781. continuata auctore Sig. *Jaſpis*: verſio lat. epiſtolarum N. T. perpetua adnotatione illuſtrata, Lipſ. II. Voll. 1793. 97. ed. II. 1821. Quam verſionem et fides atque perſpicuitas, qua ſententia ſcriptoris exprimitur, et ſermo latinus magnopere commendat. Sacri N. T. libri omnes veteri latinitate donati ab Henr. Godofr. *Reichardo*, Lipſ. 1799. II. Voll. 8. Quanquam ſermo latinus Reichardi inſignem habet elegantiam, numerum et concinnitatem, deſideramus tamen eam ſermonis ſimplicitatem, quae indolem ſcriptoribus ſacris N. F. propriam recte exhibeat. — Quod verſiones *vernaculas* attinet, veluti coryphaeum agit immortale opus *Lutheri*, cuius verſio librorum ſacrorum, etſi paſſim voces formulasque uſurpet vel obſoletas vel noſtro loquendi mori minus ſollennes, neque negari poſſit, ipſam exegeſin noſtram ulterius eſſe provectam, maximam tamen partem ſermone vernaculo admodum culto et perſpicuo ſcripta eſt, tantaque fide et ſententias, et modum loquendi, narrandi, diſſerendi ſcriptoribus ſacris peculiarem exprimere ſtudet, ut exemplo praeſtantiſſimo (cum delectu quidem et iudicio imitando) inſerviat omnibus, qui noſtra aetate libros ſſ. ſermone vernaculo donaverint. Novi quidem F. verſionem vern. abſolvit Lutherus menſe Septembri a. 1522. De hiſtoria huius operis, eiusque edd. vd. *Rumpaeus* comment. crit. in libros N. F. p. 368. ſſ. *Küſter* Geſchichte der Verdeutſchung des göttlichen Wortes durch D. Luther, Berlin, 1823. *Veeſenmayer* comment. inſerta diario: Halliſches Journal für Prediger, herausg. von Bretſchneider, Neander, Vater, 64. B. 2. St. Halle, 1823. *Gieſeler* und *Lücke* Zeitſchrift für gebildete Chriſten der evangeliſchen Kirche, 3. und 4. H. Bonn, 1823. 24. Aliae verſiones recentiores: Das N. T. nach der Ueberſetzung Aug. *Heumanns*, ed. recent. Hannover, 1750. 8. Das N. T. von neuem überſ. mit Anmerkk. von T. *Damm*, Berlin, 1764. III. Volumm. Die neueſten Offenbarungen Gottes in Briefen und Erzählungen verdeutſcht durch F. *Bahrdt*, Riga, 1773. 74. II. Voll. recentius: die neueſten Belehrungen Gottes durch Jeſum und ſeine Apoſtel verdeutſcht mit Anmerkk. von F. *Bahrdt*, Berlin, 1783. 2. Voll. (Dolendum quod vir ingenioſus hoc potiſſimum egerit, ut Ieſum et Apoſtolos ea ratione loquentes exhiberet, qua ipſe

eos loqui voluiffet.) Die Bibel A. und N. T. mit vollftändig erklärenden Anmerkk. von F. *Hetzel*, Lemgo, 1781. ff. Voll. X. verfio periphraftica, recentius recufa, permultis locis immutata: die Bibel des N. T. überf. mit Anmerkk. von *Hetzel*, Dorpat und Leipzig, 1809. Das N. T. überf. mit Anmerkk. von F. *Seiler*, Erlangen, 1781. recentius: *Seiler* Ueberf. der Schriften des N. T. mit beygefügten Erklärungen fchwerer Stellen, Erlangen, 1806. II. Voll. Dav. *Michaelis* Ueberfetzung des N. T. Göttingen, 1790. 2. Voll. 4. Das N. T. fo überfetzt, dafs es ein jeder Ungelehrte verftehen kann, von D. *Moldenhawer*, Quedlinburg, 1787. ff. 2. Voll. Die heil. Schriften des N. B. überf. mit Anmerk. von W. *Rullmann*, Lemgo, 1790. 91. Voll. III. De *Brentano* (theol. Confeff. romano-cathol.) die heil. Schrift des N. T. ed. III. Frankfurt a. M., 1799. Voll. III. Das N. T. neu überf. mit einer durchaus anwendbaren Erklärung von O. *Thiefs*, Gera und Leipz. 1794—1800. IV. Voll. *Schwarzel* (theol. Confeff. romano-cathol.) Ueberfetzung und Auslegung des N. T. Ulm, 1801. ff. Voll. II. Sämmtliche Schriften des N. T. überf. von *Stolz*, ed. IV. Hannover, 1804. Voll. II. quae verfio prorfus immutata prodiit, ad morem loquendi fcriptorum N. F. multo propius conformata: fämmtliche Schriften des N. T. überf. von *Stolz* eine ganz neue Arbeit, Hannover und Leipzig, 1820. *Carl van Efs* und *Leander van Efs* (Theoll. conf. romano-cathol). die heiligen Schriften des N. T. überfetzt, ed. II. Sulzbach, 1810. Die neuteftamentliche Bibel von *Preifs*, Stettin, 1811. Die Schriften des N. T. neu überf. von *Augufti* und *de Wette*, Heidelberg, 1814. (quae verfio egregia Lutherianae tanquam fundamento prorfus fuperftructa eft.) Die heil. Schrift in berichtigter Ueberf. mit Anmerkk. von *Meyer*, tomus III. (cont. libros N. F.) ed. II. Frankfurt a. M., 1823. Praecipue ex his omnibus commendandae funt *Seileri*, *Stolzii*, *Van Effii*, *Auguftii* et *De Wettii*, *Meyeri* verfiones. Zachariae et Boltenii verff. in ifagoge fpec. pluribus locis laudd. funt.

§. 164.

Ceterum ad crifin textus N. F. recte inftituendam permultum valent loci fcriptorum veterum textum

N. F. citantium, qui a ſaeculo inde II. usque ad XII. floruerunt [1]). Inſerviunt quippe et lectionibus varr. colligendis, et origini, aetati, patriae lectionum inſigniorum indagandae, totiusque textus N. F. hiſtoriae illuſtrandae. Qua in re cautio magna adhibenda eſt, ſiquidem teſtimonia certa lectionum variarum ex iis tantum locis patrum veterum recte petuntur, quae ita ſe habent, ut pateat, effata N. F. neque liberius (et negligentius) ex memoria laudari, neque conſtructioni aut ſententiae ipſius ſcriptoris haec effata in rem ſuam adhibentis eſſe aptata, ſed accurate ſecundum codices adferri [2]). Praeterea probe exploratum habeamus neceſſe eſt, an liber ſcriptoris eccleſiaſtici, cuius teſtimoniis criticis utamur, huic auctori recte vindicetur, itemque, an textus vulgaris eorum locorum, quibus effata N. F. citantur, recte ſe habeat.

1) Ex ipſis eorum, qui haeretici dicebantur, ſcriptis eorumve fragmentis ad apparatum criticum ſymbolae colliguntur. Erraverunt, qui, quaecunque lectiones ſingulares in ſcriptis haereticorum obvenirent, eas omnes depravationi tribuerent arbitrariae (vd. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 120. ff.), quanquam de Marcione (vd. §. 8. §. 49. nota 9.) negare nolumus, eum criſin exercuiſſe audaciorem. Sed uſum potiorem habent ſcripta *patrum* eccl.

2) Verba N. F. diligenter adferri cenſemus a.) ubi pater eccleſ. (cuius fidem aliunde cognitam habemus) *non alludit* ad locum N. F. ſed *diſerte laudat*, b) ubi *longa* adfertur enuntiationum (verſuum) ſeries, qualem ſcriptor multo probabilius ex codice inſpecto petiiſſe quam memoriter attuliſſe exiſtimatur, c) ubi ſcriptor hoc agit, ut locum laudatum commentario illuſtret (cavendum modo, ne, ſi forte interpres voculam quandam, formulam, enuntiationem brevem, intellectu facilem ſilentio praeterierit, hoc argumento colligamus, eum haec non legiſſe in codicibus), d) ubi palam profitetur, ſe hanc illamve ſcripturam in exemplari deprehendiſſe (quan-

quam nonnulli patrum *iuniorum* codices, quorum testimoniis utuntur, graecos vetustos non ipsi legisse, sed hac in re testimonia aliorum interpretum sequuti esse videntur.)

§. 165.

Ex his patrum testimoniis criticis praecipue in censum veniunt: Saec. II. Irenaeus [1]) et Clemens Alexandrinus [2]). Saec. III. Origenes [3]). Saec. IV. Basilius Magnus [4]), Gregorius Nyssenus [5]), Gregorius Nazianzenus [6]), Crysostomus [7]). Saec. V. Cyrillus Alexandrinus [8]), Theodoretus [9]), Isidorus Pelusiota [10]). Saec. XI. Theophylactus [11]). Saec. XII. Euthymius Zigabenus [12]).

1) Dolendum, quod pauca tantum exstent Irenaei fragmenta *sermone graeco* (originali) servata, ceterorum interpretationem tantum latinam vetustam habeamus, cuius auctor loca N. F. ab Irenaeo citata ex versione lat. vetere inseruisse videtur. Quae in graecis laudantur, ad indolem textus N. F. asiaticam byzantinam propius accedunt.

2) Loca N. F. plerumque ex memoria adfert. Quae accurate ex codd. protulit, ad indolem textus alexandrinam pertinent.

3) Origenem, qui textu alexandr. usus est, multosque codd. vetustos ante oculos habuit, hac in re prorsus sequitur Eusebius Caesareensis.

4) Ex codicibus diversis accurate collatis lectiones servavit insigniores, quae indolem textus N. F. byzantinam exprimunt.

5) Quanquam plerumque loca N. F. liberius laudavit, interdum tamen textum codicum (ad indolem byzant. pertinentem) accuratius expressit.

6) Pluribus locis Gregorio Nyss. prorsus adsentitur. Sed rarius omnino, quam ille, effata N. F. attulit.

((ulam textus alexandrinam,

crisin N. F. adhibenda sunt, quum permulta effata laudd. memoriter protulerit, loca similia vel eiusdem vel diversorum scriptorum ss. haud raro composuerit, textum antea accuratius propositum saepenumero ipse mutaverit.

8) Inter testes gravissimos textus N. F. secundum indolem alexandrinam conformati pertinet. Praecipue constantem sese gerit in locis citandis, plerumque eiusmodi lectiones exhibens, quae argumentis internis commendantur.

9) Quanquam Theodor. plerumque ab Origene et Chrysostomo pendet, et paucas habet lectt. varr. insigniores, conferunt tamen illius scripta ad indolem textus byzant. cognoscendam.

10) Isidorus, cuius epistolarum epitome tantum exstat, plerumque cum codicibus textus alexandr. consentit.

11) Textus, quem sequitur, maximam partem est byzantinus, quanquam pluribus locis ex effatis N. F. parallelis lectionibusque varr. margini codd. adscriptis interpolatus.

12) In commentariis suis ex Origene, Basilio, Gregorio Nazianz. et Chrysostomo collectis plerumque indoli textus byzantinae adhaeret. — Recensionem uberiorem conciliorum, patrum, scriptorumque ecclesiast. graecorum, latinorum, syriacorum, qui textum N. F. citaverunt, exhib. *August. Scholz* Vol. I. editionis N. F. prolegg. p. CXXXIX. seqq. Praeterea cfr. *Griesbach* opusco. ed. *Gabler* Vol. I. p. 278. ss. *Eiusd.* meletemata de vetustis textus N. T. recensionibus p. XXV. ss. *Vater* spicilegium observationum ad usum patrum graecorum in Critica N. T. pertinentium, Regiom. 1810. *Eichhorn* Einl. Vol. V. p. 119. ss.

CAPUT IV.

DE EDITIONIBUS NOVI FOEDERIS.

§. 166.

Postquam nonnullae librorum N. F. partes separatim typis inpressae [1]) fuerant, prodierunt saeculo XVI. duae totius N. F. editiones principes eaedemque

fundamentales (i. e. ex solis codicibus adornatae), nostro tempore admodum rarae, quarum auctores paucis tantum usi sunt praesidiis criticis textus recte constituendi, Complutensis [2]) et Erasmiana [3]).

1) Hymni Mariae et Zachariae *Luc.* 1, 46—55. 68—80. in appendice libri: Psalmi graece, charactere vetustissimo et singulari etc. Venet. 1486. 4. *Evangelii Ioannei* sex capita priora, appendix libri: Gregorii Naz. carmina e graeco in lat. translata, Venetiis ex *Aldi* academia, 1504. 4. *Evangelii Io.* c. 1, v. 1—14. Tub. 1514. Pauli Ap. ad Romanos epistola Viteb. 1520. 8. (auctore Melanchthon.) Quum versio vulgata, in cuius usu tum temporis plerique acquiescerent, saepius iam saec. 15. ex. 16. in. prodiisset typis excussa, editio N. F. graeci minus desiderari solebat.

2) Biblia sacra (polyglotta) *Complutensia* (Alcalae in Hispania) VI. Voll. forma max. Novum Testam. graece et latine, in Academia Complutensi noviter impressum (Vol. V.) 1514. Opus coniunctis virorum doctorum, qui Alcalae versabantur, studiis, adiuvante Francisci Ximenis Cardin. liberalitate eximia a. 1502. inchoatum anno demum 1522. iuris publici factum est. Codices ab editoribus adhibiti, parum accurate descripti, ex iunioribus fuisse videntur. Interpolationis textus graeci ex vers. vulgata factae, quam plures olim editoribus Complutt. vitio verterunt, paucissima apparent vestigia (v. c. 1. ep. *Io.* 5, 7.) Cfr. de hac ed. S. *Semmler* historische und krit. Sammlungen über die sogenannten Beweisstellen in der Dogmatik 1. Th. Halle, 1764. 8. Melch. *Götz* Vertheidigung der Complutensischen Bibel gegen die Semmlerischen und Wettsteinischen Beschuldigungen, Hamburg, 1765. 8. *Semmler* genauere Untersuchung der schlechten Beschaffenheit des zu Alcala gedrukten N. T. Halle, 1766. 8. *Götz* ausführlichere Vertheidigung des complutens. Neuen Test. Hamburg, 1766. 8. *Semmler* historische und krit. Sammlungen u. s. w. 2. Th. Halle, 1768. *Götz* Fortsetzung der ausführlicheren Vertheidigung des Complutens. N. T. u. s. w. Halle, 1769. 8. N. *Kiefer* gerettete ... N. T. gegen Herrn